

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`



Digitized by Google

3890
Inv. 4. 3b. fl. 413

#

Mayr

(Wilibald)

Digitized by Google


Digitized by Google

DIVVS AVGVSTINVS AVRELIVS ECCLESIÆ DOCTOR ET Hipponensis Episcopus.

Digitized by Google

Digitized by Google

107929



Digitized by Google



Digitized by Google

107929

REVERENDISSIMO ANTISTITI, ILLVSTRISSIMO S. R. I. PRINCIPI,



ALBERTO,

EPISCOPO RATISPONENSI,



Domino suo clementissimo.

NOn vitio, aut superbiæ dabis, Illustrissime Princeps, quòd huic libro TVI NOMINIS, & dignitatis splendorem mutuatus sim: vt auderem, TVA cumprimis humanitas persuasit, quæ tametsi cum summâ morum grauitate coniuncta sit, nihil tamen supercilij habet, nec alienam frontem facilè sinit erubescere. Enimuerò vt pictę tabellę, tametsi emissitias imagines, quas philosophi species vocant, perpetuò in suã peripheriam propagent, nihil tamen inde detrimenti capiunt; vt solaris orbis, quãtumuis mortalibus multum luminis dispenset, nihil tamen solis amittit; sic tametsi multi à LVCE TVA obscuræ scriptioni suæ lucem accipiant, non decrescet tamen lumen tuum, quod à TE, velut sole emanat. Atque profectò, qui Rorenses im-

Digitized by Google

merentes non ſemel tuâ Illuſtriſsimâ præſentiâ, humaniſsimo alloquio (beneficijs haud exiguis) donaſti; dabis & his pagellis veniam, vt à TE illuſtrentur.

In Epiſcopali olim, & Hipponenſi aulâ furentes inter Arianos, & media incendia, ſoli tamen libri Auguſtini flammas non ſenſerunt. Et iſte liber ſeu Auguſtini, ſeu veriùs de Auguſtino, hoc nomine omni iniuriâ eximiũ ſe fore ſperat, quod etiam Epiſcopalem aulam ſit nactus, maximè cùm Ratiſponæ furor Lutheranorum non eò excreuerit, quò in Africa Arianorum; quippe ciuitatem Tuam non tantùm machinationibus improborum peſſumdari non permittis, ſed ſuis antiquis legibus, & cultui diuino reſtituere contentè ſatagis, quod egregiũ ſtudium Tuum, ſuum denique propitio Numine effectum ſortietur.

Et quò libentiùs Epiſcopus noſter iuiſſet, quàm ad TE Epiſcopũ; Eccleſiæ Cardo, quàm ad eiuſdem firmiſsimam columnam; Canonicorum Regularium parens, quàm ad eorundem longè optimum Patronum? Conſtantiâ Auguſtinus ad hæreticos perferendos, doctrinâ ad cõuellendos, fortitudine ad ſuperandos; ceu cote animum Tuum exſuſcitabit, vt ad maiora audenda,

Digitized by Google

denda, pro zelo & lege Dei de cætero etiã, quemadmodum heroicè incepisti, audaci pede progrediaris. Scio quàm orthodoxos Ratisponenses ab amborum suis hæretici exagitent, quas calumnias & dicteria prosimiment, vt adeò publicè noui Horatij Satyricos libros euulgẽt, quod hoc ipso anno in Eadem ipsa ciuitate factum est. Atque doles TV quidem in occulto, tanquam caput de membris, & cum Augustino Spartanè fers, quod emendare solus non potes, sed Fabius eris, & cunctando restituis rem. Neque interea supinè negotium Christianum procrastinas: docent hoc amplissimi Tui Oratores, quos ad Cæsarem ipsum, aliosque Imperij Status ablegas, nihilque intermittis, quod vigilantem decet Episcopum, vt vel tandem deuię oues ad veram caulam postliminiò redeant. Nec mirare cunctationem illorum, nam Augustinus, licet malleus hæreticorum sit dictus, contundere tamen eorum peruicaciam non vsquequaque potuit, tot annis & laboribus impensis. Scilicet rectè annulosas bestias aliquis hæreticos vocauit, qui cùm partiales habeant animas, contrito capite, caudâ adhuc, vel reliquo trunco corpore viuunt, & magno auctu similia Lernæ monstra progenerant.

Obsederunt Circumcelliones viam, & insi-

dias Auguſtino ſtruxerunt, ſed duxit aliò Deus ſanctum ſuum, & errare docuit in viâ, ne capitis incideret diſcrimen; ſimile Tibi à Lutheranis perſæpè factum. Intercluſerunt iter expanſis per compita catenis in ſupplicationibus publicis, & adeò in ſolenni ſacratiſsimæ Euchariſtiæ adhiberi ſolitâ pompâ, ſed paſſus es; vltrò iam aperiunt plateas, vtinam breui etiam ſua templa, & in ſacro tribunali ſuas conſcientias; quod Deo dante, Imperatore iubente, TE vrgente facient. Accipe igitur tot nominibus tibi debitum Auguſtinum, & vt accipias rogant Reuerendi Superiores mei, obſecrant Fratres mei, ſerui Tui, Domini mei. Anno Partus Virginei M. DC. XXXI. 27. Iunij.

Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ Celſitudinis Tuæ

Humillimus

F. WILIBALDVS MAYR.

Digitized by Google

'AD LECTOREM.

GRauissimo imperio edixit olim Alexander magnus, ne quis alius colore suam effigiem delinearet, quàm Apelles. Præclarè factum; sic enim idem Herois vigor, ingenium, forma posteritati venerunt. Si, quæ de imagine sua Macedo, Hippon de Augustino mandasset, non tam diuersos hodie videres Augustinos, quando alius Eremitam, secundus Canonicum Regularem, tertius nec hunc nec illum, sed Episcopum fuisse contendit. Ab istis ergo sibi prorsus non constantibus picturis venit vt temerè, pro libidine quisque suâ de Augustino pronunciet. Quamuis autem & ego rem sub aliorum meliori iudicio relinquam, quia tamen pictoribus quædam licent, quæ non item historicis, veniæ dabis, si quod ante me pictor colore, sculptor ære finxit, ego calamo sequar. Vides ergo Augustinum habitu Canonicorum, nec inuides.

Alterum quod te moneam, hoc est. Ab aliquot iam annis has æri incisas icones ingenio suo, quod præclarum habuit, peperit, Reuerendus Pater Georgius Berreider, rogæ nostræ & professionis vir insignis, pòst ad S. Zenonem propediuiores Hallas Præpositus; quia verò theoremata eius peruidere non potui, nec ex ingenio eius, vt Minerua ex Iouis prosilui, noli indignari, si tu saniora in his picturis videas, quàm ego scripsi, alios enim de Argilla nobiliori finxit Prometheus.

Deniqué si nævos aduerteris, cogita me prælo longè abfuisse, & nihil in terris vndequaque perfectum: neque moror, illi, cui suus nimis placet calamus, meum displicere.

Digitized by Google

ELENCHVS PERIOCHARVM.

In Periocha prima.

AVGVSTINI infantilis ætas. Litterarius ludus. Morum deprauatio. Intellectus & disciplina.

In Secunda.

Augustinus nauigat Carthaginem. In Manichæorum sectâ naufragatur. Docet Rhetoricam. Magno ingenio & memoriâ pollet.

In Tertia.

Augustinus elusâ matre mari Romam petit. Ita diuina fata fuêre. Deplorat astum Monica, amat tamen Filium, & in absentem vigilat.

In Quarta.

Augustinus Romæ periculosè ægrotat. In errorem Academicorum deflectit. Rhetoricam in vrbe docet. Traijcit inde cum Alipio Mediolanum. Audit Ambrosium pro suggestu, & paulatim Gratiæ diuinæ luce perfunditur. Verbum DEI summâ magnanimitate proponendum.

In Quinta.

Vaticinia Ephebi cælestis, & Antistitis Africani de bona fruge Augustini. Alia quædam sufflamina ne periculosè ad Orcum descenderet. Rixa interior & fluctus animi decumani. Oda sub ficu Angelica. Charitatis & Misericordiæ Hieroglyphica.

In Sexta.

Augustinus abdicat professionem Rhetorices. Concedit in villam Verecundi. Mediolani ab Ambrosio sacro fonte tingitur cum quo & hymnum illum celebrem: Te Deum laudamus, decantat. Fides & Ecclesia.

In Septima.

Augustinus ad Ostia Tiberina cum matre rerum cælestium illiquio absorbetur. Æstimat Monica suo terram, suo cælum precio. Beati hîc spe, ibi pace fruuntur.

In Octaua.

Monica extremè ægrotat. Virtutibus, & Deo plena moritur. Augustinus piè Matris oculos claudit. Deplorat, Effert,

aris

Digitized by Google

aris diuinis commendat. Iustitiæ est mori, sed bene mori prudentiæ.

In Nona.

Augustinus insperatò Sacerdos initiatur: Modestè cum lacrymis recusat, sed frustra. De Obedientia & Castitate eiusdem.

In Decima.

Augustinus monasteria condit. Tranquillè agunt qui se Deo dicant. Quam studiosus fuerit Religionis & paupertatis.

In Vndecima.

Augustinus creatur Episcopus Hipponensis superstite adhuc Valerio. Prius meruit quàm accepit hanc dignitatem. Gratia Dei & oratio.

In Duodecima.

Augustini frugalis mensa. Colloquium. Regularis disciplina & Temperantia. Conuiuiorum mala & pestes.

In decima tertia.

Augustinus linguam & stylum stringit in hæreticos. Quàm constent sibi Catholici, quàm discordes sint hæretici in summis fidei capitibus. Quantus eorundem timor in rebus sacris.

In decima quarta.

Hæretici insidiantur Augustino varijs modis, sed Deus Angelis suis mandauit, vt custodirent insontem in omnibus vijs. Crudelis genius acatholicorum. Veritas illis odiosa.

In decima quinta.

Quærit anxiè Deum Augustinus in creaturis. Contemplatur altissimam Triadem, sed cum summâ modestiâ, & animi quiete.

In decima sexta.

Vestis Augustini nec precioſa, nec abiecta nimis. Incessus & reliqui corporis motus ad modestiam compositi. Nec diuite supellectile instructa domus. Ad hanc exteriorem disciplinam Honestas morum & pudicitia duxit.

In decima septima.

Augustinus magnus verbi diuini præco. Sensit hoc Firmus, eiurato Manichæismo nostra amplectens. Quanta fidei vanitas apud heterodoxos. Quantus zelus apud orthodoxos.

In decima octaua.

Hippon à Barbarorum incursione durè affligitur. Quæ causa

Digitized by Google

causa motuum hostilium. Aduersitates & incommoda fortiter Augustinus perfert. Optat tamen demum his malis eximi, & votis damnatus extremè decumbit.

In decima nona.

Moritur sanctissimè Augustinus. Vt moreretur natus est. Lugent illum summi, infimi, & maximâ pompâ parentant.

In Vigesima.

Corpus B. Augustini in Sardiniam transportatur. Inde operâ Luidprandi Longobardorum Regis Ticinum. Causa cur locum toties mutet. Liberalitas & Pietas pijssimi Antistitis.

In vigesima prima.

Sancti Dei vera edunt miracula, quantumuis reclament hæretici. Videant & inuideant nobis. Qui sagax nasum habet, Victoriam cedit Catholicis, sibilum hæreticis.

In vigesima secunda.

Augustinus fœcundus parens, multas progenuit proles, quæ in eius verba & præscriptum viuendi morem iurârunt. Quantis prærogatiuis Deo sacrati homines viuant. Quàm nihil hostiles vires in Religionem moueant. Quæ gloria & nominis fama Augustino posthumet.

Cum

Digitized by Google

Digitized by Google


Cùm præsens opus, conuersionem, vitam, & mortem eximij Doctoris Ecclesiæ AVGVSTINI, figuris æneis ingeniosissimè adinuentis, velut adumbratam; & à R. P. Wilibaldo Mair, Ordinis Canonicorum Regularium in Rhor Professo, eleganti stylo fusiùs explicatam, ob oculos ponat; nec à saniori doctrina quidquam alienum contineat; quin potiùs, ad mores in melius formandos, vtilia, & accommodata plurima complectatur; non tutò solum, sed & vtiliter, typis mandatum iri opinor.

LEO MENZL S. Theol: D. Prof. & Vicedecanus, Vniuersitatis Procancellarius, &c.

PERIO-

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS PRIMÆ.

I. AVGVSTINI INFANTILIS ÆTAS. II. LITERARIVS LVDVS. III. MORVM DEPRAVATIO. IV. INTELLECTVS, ET DISCIPLINA.

I.

NOLVI ad cunas aut Lectorem, aut calamum fatigare; nec fixo admodùm oculo infantiam Augustini lustrare. Cui enim non pro comperto est, vnumquemque nostrùm à lacrimis omninò vitam auspicari, & in primis hebdomadis nil aliud lactentes nôsse, quàm clamosum vagire? Præsentiscit scilicet homo etiam magistrâ naturâ, se ad labores natum; & proindè vitæ huius anxietates lamentatur, quas in exordio statim suo, licentioso ploratu, & gemitu rudis anima protestatur. Nondum voces in verba eliquamus, & iam, quod mireris, prædicimus in miserijs olim nos futuros, quibus ita destinamur, vt vixdum nati ligemur fasciolis: quod nec brutis quidem adeò animantibus contingit. *Salua, & omnis homo infeliciter natus iacet manibus, pedibusq; deuinctus.* A. Ægyptij cæteràomnia gentiles, atque in superstitionem proniſſimè abiecti; suprà Christianos tamen in hoc sapuerunt, quòd vitæ nostræ exordium lacrimis excepérint, mortem verò gaudijs sint prosecuti: nempe sapienter crediderunt, omnia cum vitâ illata pericula, cum funere efferri.

Primus ergo infantium labor est, *flere*. Fleuit (quid dubitamus?) Augustinulus noster, qui *Filius lacrimarum* dictus est, & vberiùs dedisset lacrimas, si iam tum intelligere potuisset,

quantum vulnus crudelis vipera ſuo partu, matribus Eccleſiæ, & Monicæ eſſet inflicturus. Memorant Herculem infantem ab Alcmena matre in ſcuto aureo, non in cunis poſitum; fortaſſe vt ſexcenta vitæ diſcrimina à Iunone inferenda, hoc veluti ſcuto obarmatus protelaret. Tot olim Hæreſum ſariſſis Filium ſuum Monica impetendum, ſcuto bonæ voluntatis occuluit quidem, ſed neſcius mali imminentis puer, Palladis ægida ſibi obtendit, & inimicam pharetram in ſeipſum, cum in alios debuiſſet, retorſit. Vt Herculi cunæ ſcutum, ſic lectica Ioui dormituro, vt teſtis Callimachus eſt, fuit cribrum; in cribrum vagiens AVGVSTINVS reclinari potuiſſet, qui toto dein' tempore, quo miſerè indormijt peccatis, tam parùm ſolidæ hauſit conſolationis, quam parùm aquæ haurimus cribro. Profectò tot calamitatibus interea Mater eſt confoſſa, quot reperiri queũt in cribro foraminula. Fuerit Iſaac riſus poſt oſtia Saræ, at AVGVSTINVS fletus erat Monicæ, & Argumentum triſtitiæ. Accurrerint certatim gratulabundi vicini ad vocem *Clamantis*. Detraxerit Leonides pater Origeni ſuo dormienti frequenter pectoris operimentum, pectúſque tanquam templum Dei oſculans deueneratus ſit; ſcio tamen Hecubæ triſtem fuiſſe partum Paridis.

Primus ergo labor erat, *flere*; proximus, *pendere ab vbere*: ita altrix natura indit, ita dulces matres adlectant, ita lactea ſitis ſuadet. Vix primam ſpiramus auram, & iam maternam promulſidẽ hanc ſperamus, vſq; dum hebetes adhuc ſenſus ad alia paulatim rapiantur: tũ enim oculi, qui paulò antein ſola matre, & lacte hærebant, expatiantur longiùs. Videas paulatim dulciores pultes, & ludicra amari crepundia. Iuuat dein' vacillante greſſu, & tenẽte anu gerulâ veſtigare terrã, itúmq; primum, reditúmq; tẽtare. Iuuat præeunte de induſtria balbâ, vel lallante matre terſiare, ac frangere verba, ex eaq; tenerũ os figurare: & quantũ cœlum non eſt, ſi ſine rectrice manu figere, & promouere pedẽ ſoli ſciamus! Tum, tum pictos iugales altis ſtabulant præſepijs: tum noui Alexandruli in domeſtico ſudant puluere, dũ flagellis, ſcuticis ſuos Bucephalos (qui & ipſi taurinũ caput armo impreſſum habent) gyrant, rotant, circumagunt, & ſuauiſſimis crebrò poppyſmis hos ſuos veredos demulcent, ne infeſtis calcibus affines

ſpecta-

Digitized by Google

ſpectatores impetant. Iuuat pictos regere currus, pictis dominari regnis inter pictos Satrapas; & poſtquã fatigatos abiungunt, ſudorem curiosè extricant; aures demulcent, frænos, lupatum, capiſtrum detrahunt, anxiè nimiùm ad pabula Troiæ, Xanthúmque ducunt, ſolliciti de flore auenæ, & bomitate marinæ. Scimus talia fieri, & pios etiam ſcimus affectus, atque ad miraculum vſque indulgentiam parentum erga ſuos creſcentes Aſcanios, ita vt de Curia Catones, de ſolio Æneæ, aũíque Anchiſes deſcendant, Reipublicæ, Purpuræ, Maieſtatiſque regiæ oblíti, in circum infantilem aduolent, cúmque ſuis lũlis inter cana conſilia infantiant.

Tradit Plutarchus de Ageſilao Lacedæmoniorum Tyranno; Eum aliquando filijs colludentem, in longâ, vt aiunt, equitâſſe arundine. En, quouſque ſe extendat cæcus prolis amor! Cùm autem introiſſet inopinatò ex principibus quidam, ſtuperétque Regem ad puerilia ſe demiſiſſe, rogauit eum Ageſilaus, vt factum ſileret, donec ipſe ductâ vxore ex illa liberos procreâſſet; latenter indicans, rem aliter iudicaturum, ſi Parentis amorem experiretur. Sed & matrum ſollicitudo in filios nimis luculenter ſe prodit, quibus haud ſatis eſt in ventre ſanguinem, in cunis lac largè dediſſe; niſi etiam inconniuis totas oculis durent noctes, & tamdiu occentent modulamina, quò ſomnum, & quietem ſuis pupulis optatam lucrentur: atque vt amores cumulent, eò vſque fua chara hæc pignora mellitis diſſuauiantur oſculis, vdúmque inter amorem dant labia, dum reciprocos ocellos, & labella, atque in his amorem emendicent: mille filijs delitias, cum totidem oſculis inſuſurrant, ridentibus arrident, gementibus adgemunt, lacrimis eorum ſuas admiſcent; nec aliter, quàm vmbra, quæ corpus ſuum ſequitur, ita matres ſe filijs induunt.

Luſit egregium luſum in hac gymnade AVGVSTINVS, & eò gratiorem matri ſcenam excitauit, quò citiùs ſuauitas ingenij, etiam in infante, ſeſe oſtendit. Sed etſi lac imbiberit maternum, & ſanctos in lacte mores, breui tamen noxiâ crudelitate mutauit, & degenerem animum oſtendit. Quid miraris? etiam roſæ in primo flore magnam ſpem promittunt, quas tamen lenior facilè pruina adurit, & auroram roſeam de-

Digitized by Google

purpurat; ex eodem arboris trunco diuersi protuberant rami, quorum vnus magnis gemmis vernat, alter inuisâ sterilitate perpetuùm hiemat. Etiam humanus Abraham nimis quàm crudelem Ismaëlem; Noë castus Chamum hircum valde impudentem; sapientissimus Salomon Roboam stultissimum pecus progenuit. Sed omitto plura, & bullam puerilem, rudimenta ætatis, & literarum videamus.

A *Plinius lib. 7. hist. naturalis.*

II. Vbi cœpit togam prætextam ephebulus induere, du-
A citur, vt vides, à parentibus in literarium Gymnasium. Taga-
B. C. stæ in patria sua tirocinium habuit; nam licet latinum idioma *inter blandimenta etiam nutricum, & ioca arridentium, & latitiam alludentium*, sine vllâ ferula, & magistro didicerit;
B quia tamen Afri (qualis AVGVSTINVS) valde barbarè ac stridulè loquebantur, polire linguam oportuit, & oderat literas græcas AVGVSTINVS. C Ad quas addiscendas impendiò vrgebatur. Parentes erant Patricius: & Monica; Patricius quidem de numero Curialium, si de generis splendore, & familiæ claritate nomen quærimus, nobilis inter suos, & in magnis apud Imperatorem officijs, cæterùm gentilis vsque ad vltimam ætatem, in qua ad orthodoxam dein' fidem à pientissima Coniuge Monicâ est adductus (de hac inusitatæ sanctitatis Fœmina suo loco vberiùs.) Vterque ergò, quod vides, Parens filium suum literis erudiendum maturè tradunt: memores Thebani illius Cynici, (Cratis:) qui cum in editissimum quendam vrbis locum ascendisset; *Quorsum ruitis*, exclamauit, *ó parentes, qui omne studium solùm in corrogandis pecunijs collocatis, filiorum verò nullam geritis curam?* Sciuit doctissimus hic Philosophus, Iuuentutem teneriorem tabulæ rasæ comparari, in qua aliquid fit pingendum; quam tractat, disponit, vertit, reuertit pictor, prout placet, & futura imago exigit. Aristippus interroganti, quid adeò meliùs euasurus esset Filius, si eũ disciplinis imbuendũ traderet: *vt nihil aliud*, reposuit, *in theatro profectò non sedebit lapis super lapidẽ.* Nec silẽtio Corneliã Tiberij & Caij Gracchorũ, generosissimæ indolis Iuuenum matrẽ præterire possum. Cùm apud hanc Campana quędã, ditissima matrona, hospitaretur, & ornamẽta pro muliebri mollitie

pre-

pretioſiſſima oſtentaret, traxit eam ſermone Cornelia, quouſque è ſchola redirent Gracchuli: *Et hæc*, inquit, *mea hoſpes, ornamenta Cornelia ſunt, bene educati, & eruditi pueri.*

Erat id temporis literarum tiro AVGVSTINVS innocenti animo, dignúſque quem bullâ inſonti ornamus. Emicabat ſingularis quædam prærogatiua gratiæ diuinæ, & proficiebat bonis moribus cum ætate, condiebatúrque ſale Sapientiæ, Fidei veræ retinens, ſanctitatiſque maternæ ſtudioſus aliquò vſque æmulator. D. Muniebatur religioſè ſigno ſaluificæ Crucis, & cum Matre, totáque domo credebat: nec pater euicit in illo ius maternæ pietatis, quò minùs in CHRISTVM crederet, ſicut ipſe non credebat. Verecundiâ, ceu pulchrâ gemmâ facies punicabat, quâ dum etiam genas depinxit, nimirum, quantum dignitatis teneræ ætati aduexerit. Eſt verecundia, (notate frontes iuuenes) vt Quintilianus ait, *vitium, ſed amabile, & quod virtutes generat.* Eſt rubor iſte, vt Diogenes ait, *virtutis color*: &, vt Seneca, *bonum in adoleſcente ſignum.* Accitus paruulus quidam ad Diogenem, dum verecundaretur, atque eius ergò perturbatus erubeſceret, *Macte*, reſpondit Cynicus, *animo fili; color tuus iſte virtutem prodit, pulchriuſq; pingit frontem pudor, quàm ebulliens vena.*

Primas tulit Innocentia in AVGVSTINO, quæ vt Midæ virgula affabrè omnia inauraui: hoc, hoc vnum fuit Matri indolitum, frontem hanc tam citò virginem ſuam exuiſſe, & meretriciam induiſſe Ceruſſam. Cæterùm detecto capite venerabundus coram præceptore ſuo expectat, & reipſa cum Ariſtotele docet, *Deis, Præceptoribus, Parentibus nunquam ſatis fieri poſſe.* Frequenter Alexandri vel in hoc maximi, in memoriam venit, qui plus ſe Ariſtoteli magiſtro, quàm Philippo parenti debere, non ſemel ingenuè eſt profeſſus, quòd ab hoc quidem accepiſſet, vt viueret, ab illo autem, vt benè. Librum in manibus geſtat, & iam puer præſagit, quot olim editurus ſit libros. Certè vt miles abſque ſclopeto, gladio, ſcuto, aliiſque id genus bellicis armis diſcinctus calo, non miles paret: ſic literarum ſtudioſus ſine libro, vel illiteratus, vel nullus eſt. Gaudet ſago miles, togâ Senator; quid ni Grammaticus Aluaro, Rhetor Ciceronе, Philoſophus Stagiritâ, Medicus Galeno, Theologus

Digitized by Google

Aquinate? Viri doctiores semper aliquid libri manu voluunt, & quid profiteantur, ostendunt; enimuerò libri, vt Cicero ait, *adolescentiam alunt, & senectam cohonestant; delectant domi, non impediunt foris; persistunt nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Alexander iam nominatus in summis belli ardoribus Iliades Homeri studiosissimè legit, noctúque ad instar ceruicalis in lecto habuit, vtvel hoc nomine verum sit, *Bonus non nunquam dormitat Homerus*; certè cum Alexandro. Quin & post Darium prælio victum ingressus Cimelium, ex auro gemmísque pretiosum adeptus scrinium, nihil in id, nisi Homerum suum reposuit. Marcus Imperator & ipse quasi elementarius puer cum libris suis Gymnasium frequentabat, & Lucio in platea obuiam factus, rogatúsque quò iret? *Eo*, inquit, *ad Sextum Philosophum, vt discam, quæ ignoro.*

Sed & de magistro bono boni parentes circumspexêre: pædotribæ enim peiores sæpe alumnos fædis imbuunt vitijs, quorum sordes sunt inelubibiles. Facilè claudimus libros, dum abest, qui nos obseruet. Incustodito pastu deuiant oues quantumuis innocentes. Argum Panoptem Inache adhibe, veniet tamen quidam Mercurius, & id, quod centum oculi custodiunt, rapiet. Adest senex Præceptor, virgis metuendus, horis certis fedulus; in themate explicando haud obscurus, & qui difficultates luculenter aperiat: pallio pro maiestate suâ philosophico tectus; præmijs allicions, & lilijs præmians. Atque istas in magistris peristases requirimus. In sene quidem non tam annos, quam ingenij morúmque præcocem maturitatem quærimus. Væ terræ, cuius Rex puer est. Regis imitamur plerique exempla. Romani olim adolescentes Seniores ita suos coluerunt, vt in curiam honorificè deducerent, extrà curiam eosdem præstolati domum comitarentur. Et diuina Pagina: *Honora*, inquit, *personam Senis.* E. Theodosius ipse Imperator iussit filios suos coram sene Arsenio magistro expectare. Atque si senes olim Rempublicam rexerunt (vnde hodiéque à senibus nomen accepit Senatus) quid nî dicemus præter excellentiam ætatis rerum illos esse expertissimos? Et & scite Plautus: *longâ ætate Sapientiæ condimentum*

esse;

esse; vt adolescentum meritò sit, etiam agnoscente Cicerone, H *maiores natu vereri*. Callistratus Iureconsultus: *semper*, inquit, *in ciuitate nostra Senectus venerabilis fuit; namq; maiores nostri penè eundem honorem adulescentibus, quem Magistratibus tribuebant*. Ipsi Spartani (ferrei illi aduersus omne infortunium) vt meminit Plutarchus, in theatro senibus adsurgebant omnes, & eos sessum recipiebant. Hinc cùm olim aliquando in publico Græcorum conuentu Seni cuidam honorato ad Synedrion paulò tardiùs venienti Lacedæmonij adsurgerent, Atheniensibus nihil se loco mouentibus, nata est parœmia; *Athenienses decent, quid honestum, quidue sit agendum; Lacedæmonij faciunt, & seruant.*

Sed quid cum virgis Præceptori AVGVSTINI? Illi, quibus longæ aures, qui bardi, qui ex familia stolidorum, virgas & fustuarium expectent: generosos plus verbis, quàm verberibus excitaueris. Verùm vt recte Vates diuinus, O *Virgam vigilantem* vidit; ita in palæstra hâc ferulam ludimagistri rectè gestant, quasi sceptrum Magistratûs; etiam Consulibus olim fasces virgarum præferebantur: *nam natura prona est in vitia; & magis, vbi non metus, aut pœna retinet*. Ciuem Romanum virgis cædi, olim erat insolens; sed minimè Romanos in Lycéis adolescentulos. Sicut pinguissima etiam terra sterilescit, si cultura desit, si gleba ferrum non sentiat; ita felicissima ingenia putent, si non coluerris, si virgatio, aut alia terricula non sint ad manus. Vt non sine caussa Iudex gladium portat, vt in publicis vijs patibula eriguntur, ita ordinatissimè etiam studiosissimis ciuibus virgæ ostenduntur. Nam *qui parcit virgæ, odit filium suum*, Ait Sapiens. H Et subinde virgæ Ludimagistrorum maioris virtutis sunt, quàm virga Mosis.

Deinde Lilia, & præmia vides, quæ ex virgis, ceu rosæ ex spinis prodeunt. *Laura, & loro Respublica continetur*. Socrates rogatus, quænam ciuitas rectè gubernari posset, ea respondit, *in qua inuitantur boni præmijs, malefactores pœnis*. Et duabus rebus animalia ad obtemperandũ adducuntur, delinimento, si sint generosiora, vt equus; & plagis, si sint cõtumaciora, aut hebetiora, vt asini: ita viles animi pœnis, generosi præmijs ad officium sunt incitandi.

Nihil enim non, inquit Liuius, 1 *aggressuri sunt homines, si magna conantibus præmia proponantur.* Solonis apophthegma est: *sicut ex vipera, crocodilo, ceterisq; nocentissimis bestijs Physici contra toxica remedia conficiunt; ita animaduersio in nocentes, multos vel arcet, vel retinet à facinoribus.* Et sopiti virtutum igniculi, qui perpetuum alias in cineribus delitescerent, & emorerentur, sunt virgis iuxtà ac præmijs, ceu quibusdam follibus reflandi, & animandi. Et cogita, si tempus est, quàm contrarijs eat adolescentia vijs? pars magna cespitante gradu ad vitia depronat, pars (sed minor) ad virtutes ascendit: ergò vtrique stimulis indigent suis, illi virgarum, hi præmiorum. Meministi fortè duorum equorum, à quibus Iuuentutem Plato trahi dixit. 1 Quorum primus altis ceruicibus superbit, frænos mandens, alacer in hinnitus, nec stimulis, nec adeò virgæ nutu, sed solâ cohortatione ab equisone in gyrum rotatur: alter caput demersus, rancidus, & aures hirsutus, vix flagello, & impactis scuticis obtemperat. En plus, quàm doctè effigiatos in equis istis Adolescentiæ genios! Quàm enim quidam altos habent spiritus? Quàm sunt ad excelsa omnia nati? Quibus magnam iniuriam feceris, si alioqui currentes, calcaribus tu moneas. Quod pulchrum, honestúmque esse aduertunt, quod difficultatis plenum & arduum, illud obuijs amplexantur brachijs; quibus idem planè contingit, quod apud Homerum Aiacibus. Agamemnon enim cùm quosdam ibi ad prælium verbis animâsset; ad Aiaces veniens, negauit se id facere posse, neque decere apud sponte nimium quantùm promptos: alij ex aduersus ad infima deijciuntur, rancidè vestigia trahunt, quibus tota dormitur ætas, & si valent ingenio, negligentiâ tamen auocantur, qui nec pedem progrediuntur, nisi ferula Præceptoris iter præscribat, aut tunsio scapulos fugillet.

Inter generosos curules Avgvstinvm numero, calentibus adolescentem spiritibus, vigore mentis, & acie intellectus ad alta quæque supra ætatem destinatum: vix enim à patria suâ Medauros vrbem, & tum Carthaginem eruditionis gratiâ, M profectus, continuò eximius inter æquales indigitabatur, clariúsque eminebat, quàm generosi quoque condiscipuli

animo

animo æquo ferrè possent. Intellectûs acumine, ingenij claritate, disputandi acrimoniâ, monstrum quoddam Genius illum suus effinxerat; adeò humanæ intelligentiæ terminos longissimè transcendit. N Celebret Maxilium senatorem Romanum Plinius, & dicat, nullo doctore maximis nobilem doctrinis euasisse; & ipse AVGVSTINVS libros artium liberalium & legit, & sine Doctore intellexit. O.

B. *lib. 1. Confess. cap. 14.* C. *lib. 1. cap. 12.* D. *citato lib. cap. 11.* E. *Leuit. 19. v. 32.* F. *lib. 1 offic.* G. *Hierem. 1. v. 11.* H. *Prouerb. 13. v. 24.* I. *Liuius Decad 1. lib. 4.* L. *apud Fam. Stradam.* M. *2. Confess. 3.* N. *Thom. de Villanou. ser. 1. de S. August.* O. *lib. 4. cap. 16.*

III. Sed vt plerumque fit; ex magnis ingenijs, nisi *gratiam Dei*, tutelámque *boni Angeli* imploremus, magna nascuntur vitia, & ad instar equulorum prurientium calida ætas lasciuire, exilire solet; quò fit, vt subsit periculo labendi in mille pericula; maximè si accedat prauorum necessitudo: vt enim Chamæleontes de montibus; ita adolescentes de socijs, quibuscum viuunt, colores & mores sumunt: vt illi à virore virent, à purpura rubent; sic omnia vitia sociorum facilè affricantur teneriori ætati, quæ deinde nulla spongia delere potest. Vt ouis scabie infecta, facilè caulam inhalat totam; vt ouum putidum alia rancinat; maximè quæ contingit; sic Simij in moribus adolescentes sunt, & veluti tersum speculum, omnes auidè species recipiunt, & repræsentant.

——— *Grex totus in agris*
Vnius scabie cadit, & porrigine porci. P Et fæminæ Æthiopes enituntur; quæ vel cum Mauris consueuerunt, vel pictos in pariete Æthiopes diutiùs sunt intuitæ. Nescio hîc; an AVGVSTINVS suos coæuulos; an hi illum venenosè infecerint: profectò præquàm maturè omni malitiâ initiatus, in altam voraginem præceps iuit; & morituræ Innocentiæ nimis luculenta statim à principio dedit principia; quod postea ille, quàm cecidit, miserandum in modum deplorat; & ciulanter conqueritur: se nempe priùs scelestè viuere, quàm viuere didicisse. Q *O nimis inimica amicitia, seductio mentis inuestigabilis, ex ludo & ioco nocendi auiditas, & alieni damni appetitus; nullâ lucri mei, nullâ vlciscendi libidine, sed cùm dicitur:*

Eamus

Eamus, faciamus. & pudet, non esse impudentem. Ita Augustinus.

A paruis initijs ad enormia deflectitur, vt diluuium à guttis cœpit, & creuit in tantum! Vt ludas ab osculo, & finijt in infami stipite: ita incepit ab aleâ, pyro, honestis cæteroquin ludis, sed tum ad taxillos, exin stomachabundos ventum animos, periuria, Satyras, scommata; ab his ad mendacia, furta.
F In quo ludo, & otio pauci admodùm cursum absoluunt; sed neque prima elementa ediscunt: plurimi ad græcum ∏ hærent, & toto corpore inutiles pendent ficulni. Fallebat AVGVSTINVS innumeris mendacijs & Pædagogum, & Magistros, & Parentes; amore ludendi, studio spectandi nugatoria, & imitandi
i ludicram inquietudinem. R Amabat iam puer theatra, in quibus, vt Chrysostomus ait, sunt risus, ineptitudo, effusio sensuum, temporis impendium, adulterij meditatio, fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, & inhonestatis exemplar. Sed audi aliud malitiæ theatrum. s *Perreximus nequissimi adolescentuli nocte intempestâ..... & abstulimus inde* (ex arbore pyro) *onera ingentia, non ad nostras epulas, sed vel proijcienda porcis*, &c. Scilicet vt esset gratis malus, malitiæ suæ non aliam habuit caussam, nisi malitiam. Fœda erat illa, & ideò amauit illam. Sublegit multa de penore parentum, & sitarchia; vel gulâ prolectante, vel malitiâ suadente. Anno decimo sexto ætatis accessit vitiorum mater Superbia, & timebat puer magis Grammatices Canones, quàm Dei temerare: ex hac matre egregia prosilijt filia Luxuria, à qua quidem Monica ingenti curâ eum dehortabatur; sed incassum. *Obsorduerat stridore cathenæ mortalitatis meæ pœna Superbiæ animæ meæ, & ibam longius à te, & sinebas, & iactabar, & effundebar, & ebulliebam per fornicationes meas.* T Agnoscis AVGVSTINVM? Maximè autem anno pòst, quo Carthaginem vênit, ibi circumstrepebat vndique sartago vitiosorum amorum, ibi oderat Andabata viam sine muscipulis; ibi proiecerat se foràs vlcerosa miserabiliter anima, scalpi auida contactu sensibilium: ibi colligatus est lætus ærumnosis nexibus, vt cæderetur virgis ferreis, ardentibus zeli, & suspicionum, & timorum, & irarum, atq; rixarum:

rum: ibi rapiebatur à ſpectaculis theatricis, plenis vagis imaginibus, & hominibus ignis ſui: ibi concepit peccatum, & peperit iniquitatem: ibi Adeodatus meretricio partu prodijt. En ſpectate, quàm paulò ante ſimplex ingenium deſciuerit! Poſtquam icto fœdere prauam ſocietatem inijt, poſtquam marſupium vnum fuit inter tot diuerſa ingenia.

Diſcite, parentes, probè filios educare, ne clament ſtirpes, & arbores rami accuſent; ne dicant cum AVGVSTINO: *Tantillus puer, & tantus peccator?* Ne veſtra indulgentiâ aut Catilinæ Reipublicæ naſcantur, aut Lupæ Meſſalinæ proſtibulis deuoueantur; aut ſacrilegi denique filij ſeniori Heli vindictam diuinam prouocent. Nolo tamen hic quiſquam inſimulet optimam matrem Monicam iniuriæ, aut neglecti officij, quaſi illa in filium peperciſſet; ſed cum Cicerone mores, & tempora; ſed ferocientem animum; ſed verò in crimen vocet malam ſocietatem, quæ plus ad profligandam naturæ bonitatem valet, quàm omnia. Hæc omnem parentum ſollicitudinem, hæc peruerſiſſima tempora, hæc pleramque longè vafritiem ſuperat. Eſto enim parentes (vt Lycurgus ille feciſſe traditur) præter ſeruos, pædagogos (quos quinque pueris præficiebat) virum etiam illis præeſſe velint ex eorum numero, qui Magiſtratus ferunt; déntque poteſtatem, vt quoties viſum, ſi quos aut nequiter, aut verſutè quippiam deſignâſſe obſeruârint, acerrimè puniant: quin etiam addant ex puberum numero (nam & hoc fecit) qui flagra ferant, & verberibus pueros, cum opus eſt, afficiant; Videbitis tamen aliquos ita obſeruatos, ita alumnatos, contagio adhuc occulto ſocietatis, haud aliter, quam veneno ſine ſenſu interire. Vt aſſueſcunt, ſic fere viuunt. Quod pro ſuo ingenio pulchrè idem legifer Lacedæmoniorũ oſtendit. v In frequenti populi concione adduxit loro deſtinatos binos vertagos diuerſæ diſciplinæ; alterum venatui addictum, in offam & polentam totum alterum. Quid exſpectatis? hinc lepore, hinc poſito epityro, vterque in ſolidam ferebatur prædam, & oblitus alter naturæ, ſeſe offa totus proluit.

Nempe natura ferreum eſt amicimen, ita artè agglutinatum, vt ſine maximo doloris ſenſu exuere nõ poſſis, quod ſemel induiſti. Quid ergo hac in re ſtatuendum? Doctrinã audiamus

Raco-

Raconis ad Artaxerxem. x Olitores in hortis dum nascentium lactucarum amaros surculos defringunt, tantùm abest, vt dolorem ex eo mater lactuca patiatur, vt etiam magis efflorescat. Ita qui vestros surculos (teneriorem ætatulam) prauis moribus lædunt, quid dubitatis funditùs, & à stipite amputare? Talis erat tum temporis AVGVSTINVS, dum tempora bona non fuêre, & boni socij defuêre: Helluo scilicet omnium scientiarum, sed & vitiorum.

P. *Iuuenalis.* Q. *lib. 2. Confess. cap. 9.* R. *lib. 1. cap 19.* S. *lib. 2. cap. 4.* T. *lib. 2. cap. 2.* V. *Plutarchus in 2. Tomo Moral. in apophthegmat.* X. *Ælianus lib. 1. variarum historiarum.*

IV. Ita ferè fieri amat, vbi intellectus sine disciplina, & regimine erro exspatiatur. G Est Intellectus, vt nemini non clarum est, nobilis & cælestis quædam virtus, non tam radijs luminis sideralis coruisca, quàm ipsum lumen; quod nullæ noctes inuoluere possunt; quin noctu, Lunâ tenente regnum, tam clarùm splendet, quam ipsa meridie. Est ille diuina Virgo, quæ omnia illa, quæcunque illi per aliquem sensuum offeruntur, tam distinctè inspicit, & cognoscit, quam si in libro descripta legeret. Est Intellectus quâdam ratione infinitus; neque enim vlla res creata, nec quidem mundus totus implere potest: adeò omnia minutissima; figuras, colores, situs, modósque omnes tuetur, & in numerato habet; qui licet si suis habenis regatur, immanè quantum hominem nobiliter: quando tamen fractis loris cum impetu præceps currit, non aliter quàm brutum iumentum rapitur.

H Ex hac ergò caussa exaduersus stat rectrix Disciplina, altera frænum cum sua habena, lupato, capistro, epistomio; altera tenens virgam: quibus ponè nouitius equus regendus est, ne caloribet, ne refragetur, ne mordeat, ne sternat. Nobilis quadriga Solis erat, quamdiu fortis loris est vsus, quamdiu iugum solidam grauitatem habuit: at postquam Phaethon nec regere currum suetus, nec flectere equos doctus, imprudens mali ascendit, postquam fræna languidè remisit, nec volantes retraxit alipedes, sed suis votis reliquit; intonuit irato Iupiter cœlo, & fulmen trisulcum vibrauit in aurigam; colla Pyrois cum suis iugo eripuit, abruptáque lora reliquit, axémque aureum,

temo-

Digitized by Google

temonem aureum, radiósque aureos, sparsáque latè laceri vestigia currûs. Est, fateor, Intellectus Sol quidam, qui in hoc vniuerso ceu magnus oculus circumuehitur,& plus quàm Stella in cœlo, gemma in littore Erythræo splendet; sed vt Lucifer, & astra cecidêre, quia Rectore caruêre: ità altè & miserè cadit Intellectus, si non habeat ducem, non rectorem, non disciplinam.

Vt labant, & ad omnes scopulos durè impingunt naues, si Celeustes gubernatorem non moneat, si remum agere, inhibere, si explicare, & contrahere vela nesciat; ita Intellectus extinguitur, & suffocatur tandem, extinctúsque in omne ruit malum, nisi manu ducat disciplina. Non eò hæc dico, quasi astra non maneant astra, aliisque diem, & viam ostendant, etsi errent; quasi docti, & qui alijs facem prælucent, (qualis AVGVSTINVS) in tenebris non errare possint. Etiam faces accensæ, quæ alijs lucent, se ipsas consumunt. Illustrissimi AVGVSTINVS erat intellectûs, quis inficias eat? sed peruersissimi, quia refractarius erat, omnisque disciplinæ osor: intereà tamen temporis nihilominùs proficiebat in vanis & secularibus scientijs, quibus Deus in bonum iam tum est vsus: nam licet omnem disciplinam oderit, illustri tamen erat intellectu, & intentus tempori manum cum Minerua mouebat, nullámque horam sine linea perdebat.

Quisquis est, cui Intellectus integer, & tempora pretiosa; fructus inter, floréque sedebit iucundissimos. Honestus erit amictus, ceteráque omnia pro fortunæ dignitate; pendebunt illi præcoces, Apianæ, & dulcissimæ vuæ; punicabunt aurea, citrea, & quæ non? mala Denique si quid dulcedinis vel Italia, vel Fortunatæ habebunt Insulæ, pronâ largientur manu. Contrà verò, qui non ad clepsydram studet, cui grauis liber, & somnus ludus; erit ille aut rationis, aut opum egenus, & mendicanti fortunâ ostiatim stipem colliget. *Egestas, & ignominia ei, qui deserit Disciplinam.* Y Huic inquam, Egestas & soror, & mater erit, & audiet: *Terra autem erat inanis, & vacua.* Inter spinas, tribulósque sedebit, rapis, fungis, squillis, amurcâ, fracéque implebit ventrem, & cum Ioue se

I
L
M
N


Digitized by Google

meridionâſſe credet, ſi putidum allium oleat, & fætenti cæpâ obuias nares infamet. Nec enim dulcia meruit, ſi non multa ferat, ſi non ſudet, & algeat puer.

Gymnoſophiſtæ ſapientes Indiæ cùm edulia menſis apponebant, priùs ſeſe mutuò examinârunt; quid quiſque à lucis ortu didiciſſet: qui nullum fecerat penſum, impranſus foràs triclinio eſt excluſus. Ad mentem peropportunè Apoſtoli. z *Si quis non vult operari, nec manducet.* Scribit Sabellius, Florentiæ in Hetruria animaduerti in eos, qui inſinuatis manibus otiosè ciuitatem obambulant: Et ſi rogati, vnde victum, & veſtitum quærant, reſpondere nequeunt; vt ſceleris apertè conuictos plecti, aut tanquam ciuitati pernicioſos vrbe eijci: hâc induſtriâ immenſa malorum ſeges, velut in herba, ſuffocatur: immò quidam deſides tanquam non vixiſſent, ſepulturâ beſtiarum ſepeliebant. Si non opportuna hæc pharmaca torporem expellunt, ſi adhuc locus aut inertiæ aut ſopori, ſi adhuc inglorius inutilem quis ætatem conſumit, efficaciſſimum erit tandem id, ſi talium Endymionum terga fricentur eo vnguine,
quo aſinorum liniuntur
ſcapulæ.

Y. *Prouerb. 13. cap.* Z. *2. Theſſal. 3.*

Digitized by Google


LYON

Digitized by Google



MERCVRIVS HAVD FACIET QVOVIS È STIPITE DOCTOR,
CVR SRARO AVDITOR, QVOD SAPIT, ILLE CAPIT;

Iohan. Wanderuyf. fcit.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS SECVNDÆ.

I. AVGVSTINVS NAVIGAT CARTHAGINEM. II. MANICHÆORVM SECTA NAVFRAGATVR. III. DOCET IBIDEM RHETORICAM. IV. MAGNO INGENIO, ET MEMORIA POLLET.

POST igitur quàm ingenium sublime statim in puero eluxit, nobilisque animus desidiæ impatiens erat, vt fere fieri consuerunt; cœpit Adolescens generosè ad altiora adspirare, & Carthaginem Africæ Metropolim, velut ad nundinas illustrioris literaturæ tendere.

I. Erat hæc Ciuitas Africæ id temporis Musarum, & artium Magistra. Contigit hoc sub annum AVGVSTINI decimum septimum. A. Quo ipso orbatus est suo parente Patricio, à quo cùm tenuior fortuna relicta esset, quàm pro dignitate in tanta Academiâ decenter ali posset, prouidit Deus Mæcenatem admodùm diuitem, & eximiè nobilem, (cui immortales gratias Orbis omnis Christianus meminisse debet) qui suprà quàm dici potest, in AVGVSTINVM liberalis, & effusus erat, ita vt non erubuerit in summâ tùm dignitate constitutus Cliens huic suo Parenti summas dicere gratias: *Tu me adolescentem pauperem*, inquit, *ad peregrina studia pergentem, & domo & sumptu, & quod plus est, animo excepisti. Tu patre orbatum amicitiâ consolatus es; hortatione animasti, ope adiuuisti. ... Tu Carthaginem illustrioris professionis gratia remeantem, &c. necessarijs omnibus iter adminiculasti meum.* B. In illa ciuitate non potuit non eminere tantus Adolescens; in omnibus siquidem humaniorum facultatum scientijs excelluit, & in Lycéis non nisi profundissima quæque indagare semper pro ingenio est solitus; atque cum suis Præceptoribus alias ex alijs difficultates necteret, nec illi quæstiones enodare satis

possent, factum est, vt illum omnes suppares admirarentur, & sensim in doctiorum familiaritatem ingressus, non mediocrem famam facundiæ apud eruditos colligeret. Tota profectò Carthaginensium Vniuersitas, veluti Deum Scientiarum suspexit.

Sed antequàm in laudes AVGVSTINI fusiùs descendam, strictim dica scribenda est Hæresi Manichæorum, pro eo quàm meretur, à quâ inescatus est credulus Adolescens anno suo vndevigesimo. c Ibi tàm cœpit amare errores Manichæorum, vt nouem totos annos in ijs miserè deperdiderit. Illicium ad hanc sectam illi erat, quod viderat hoc genus homines non de nihilo (vt tunc quidem ipse putabat) impendiò deprædicari: nam viderat illos & Hortensium doctissimè loqui, & fluuio Tulliano secundè admodùm innatare; neque idolum planè, & rude Sapientiæ simulacrum, sed verò germanam Philosophiam in pectore circumferre. Quod mirè statim hunc sciolum capiebat, vtpotè qui profusam loquacitatem, & verborum prodigalitatem deperierat. Ergò nucleum ex putamine æstimans, plenis adfectibus huic nouæ sectæ mancipatur, scitísque infestis profundè quantùm immergitur.

A. *Baron. Tom. 4. Anno CCCLXXVII.* B. *Augustin. contra Acad. cap. 2.*
C. *Baron. loc. cit.*

II. Porrò quàm immanes, & omnis cerebri expertes Manichæi fuerint, non necessum adeò, credo, est dicere. Nam & AVGVSTINVS cùm ipse, tùm alij sine numero, infames notas iam olim huic Psoræ inusserunt. Exordium tamen Manichæismi paucis accipe. Nempe pro comperto est, vernam quendam, cui nomen Curbicus erat, in hæredem ex asse à nobili vidua adscriptum, huic pestilenti scholæ initium dedisse. Is postquam in politioribus eruditus literis, suâ altrice fato defunctâ, magnam hæreditatem adijt; factiosus cæteroquin homo, vetus nomen vafrè abiecit, & se Manem (Persicâ phrase, Eloquentem) indigitari voluit; vnde nomen hodiéque habent Manichæi. Imitati sunt in hoc Osiander, Oecolampadius, Catharistæ; qui superbè nomina à superba nomenclaturâ ementiri sunt. D Hic tãtus, aç talis iam nouo nomine Manes in lucem

cum

cum ſuis impoſturis prodijt ſub annũ Chriſtianũ CCLXXVII. & quamuis breui ſuæ doctrinæ à Rege Perſarum (qui pelle detractâ, & ad publicas valuas appenſâ, reliquum cadauer feris proiecit) dedecorem acceperit, virus tamen longè latéque poſthuma progenies ſparſit, & vbiuis Mephitim extremam diuendidit. Sed fortean' ſcire pulchra horum dogmata auetis? Habete ingentia, crudelia, enormia; ſed præcipua tantùm (quis enim chartas nobiles tam turpiter illeuerit, aut tempus omnibus his recenſendis triuerit?) Caput huius Maniæ erat; hominem ex duobus principijs æternis, bono malóque ceu glutine coaluiſſe; animam quidem ab optimo, corpus verò à malo Genio oriundum. Atque ex hoc primo Manichæi ingenij abortu, multæ aliæ infelices non abſimiles proles ſunt genitæ.

Primum omnium habuerunt, vt negarent Chriſtum Hominem. Quis enim, aiebant, tam blaſphemè dixerit, vt Hominis naturam cum Dei geminâſſe audeat hiſcere, quando omnis nimirùm caro à malo Plaſte, & Deo eſſet creata? Alterum, quod profitebantur, erat: Neceſſariò pollui corpora, & cæno voluptuoſo inquinari. Tertium, ſed ex primo corriuatum, Carnis anaſtaſin negabant. Matrimonij prærereà ſtatum deierabant; ſacra Lipſana, & feſtos Sanctorum Natales proſcribebant. Dein' binas cuiuis animas attribuerunt à malo, bonóque Creatoribus, quæ perpetuo inter ſe conflictu, & capitali odio diſſiderent. Quod inſulſiſſimum commentum quà verbis, quà ſcriptis refutauit grauiſſimè AVGVSTINVS. Nec hîc quieuerunt, ſed eò dementiæ prolapſi ſunt, vt Chriſto etiam Diuinitatem ſint furati; quin hunc iubatum dixêre Serpentem, qui circum felicem arborem ſuo volumine implexus, protoparentibus noſtris virus inhalâſſet, & philtro quaſi potenti ad eſum pomi redegiſſet. Necdum ſatis blaſphemiarum. Multis, ſed anilibus argumentis plebi perſuaſerunt; *Chriſtum* in radijs ſolaribus; *Patrem* in luce abſtrusâ; *Sapientiam* in lunari circulo; *Diuiniſſimum* denique *Spiritum* in aëre ſedem figere, & inde non vanè Lunam, & Solem adorari. Atque vt Soli pro Pythagoreis adorarentur, non tam vafrè, quàm impiè omnes diuinos Vates, cœlíque Prophetas pro portentoſis agyrtis riſerunt. Patriarcharum ſanctiſſimos mores, vitámque planè inſontem

in iudicium, & crimen vocârunt. Dictatum à Deo ipso Decalogum, plebiscita, Sanctiones omnes, nocentissimam Reipublicæ luem audacter affirmârunt: Diem nullum vllum futurum, quo ad Tribunal supremum animæ citarentur. Et (ineptiam ride) agricultarum, hanc verò abominandam esse; & execrandum inuentum; quòd vomere ibi, & ferreo sulco omnes ex herbis, & frugibus animæ pellerentur. Et quamuis extra omnem controuersiam Manes nunquam legibus Christi fuerit addictus, sæpenumerò tamen ceu simia Christianorum ritus est imitatus. Virgines, si quas esset reperire, laudauit. Totam suam Ecclesiam, vt nos in Clericos, & Laicos; ità ille in Auditores & Electos dispertiuit: Duodecimviratum, quem nos Apostolorum, ille Magistrorum titulo insigniuit, & decimustertius Primas erat. Septuaginta & alios duos suis ritibus in Episcopos Electos deuouebat.

Sed compendium. Satis esto, ex itinere hos vitiosos partus vidisse. Pro coronide Encomiasten S. Leonem huius Hæreseos audiamus. Cùm Cacodæmon, inquit, omnium vitiorum caput sit, sedem supremam, & editum castrum in hac Mania fixit, vbi non vnius generis abominanda, sed confluges, & extrema omnium Hæresum lacuna est: ità vt quod Sancti tanquam profanum fugiunt; quod Iudæi tanquam cæcitatem; quod Scientiæ abstrusæ nomine Magiæ damnant; quod in omnibus impijs conciliabulis sub anathema cadit, in Manichæorum Sectam, tanquam in latrinam putidissimam corriuatum esse videretur. Et his velut centonibus suæ doctrinæ mantellum pessimus Manes consuebat, vt omnes hanc sibi vestem aptare possent. Porrò in dicendo Manes suauis, in persuadendo, contrariásque opiniones refellendo potens erat, ità vt qui eius schblam semel frequentâsset, tam noxiè inficeretur, vt difficillimo negotio ad Christianam Religionem postliminiò accessus esset. Sed omitto plura, & ad AVGVSTINVM redeo.

Vbi aduerterunt ergò nequissimi Manichæi, quòd suâ doctrinâ, ac felicissimo ingenio non parùm AVGVSTINVS incommodare posset, maturè occupârunt cereum Adolescentem; & in suos paulatim hos dictos errores traxerunt. Quod « ipse post AVGVSTINVS deplorat: *Incidi itaque in homines super-*

Digitized by Google

superbè delirantes, & carnales nimis & loquaces; in quorum «
ore laquei Diaboli, & viscum confectum commixtione syllabarum nominis tui, & Domini IESV CHRISTI, & «
Paracleti Consolatoris Spiritûs Sancti. Hec enim omnia « «
non recedebant de ore eorum, sed sono tenùs, & strepitu linguæ, ceterùm cor inane veri. Et dicebant: Veritas, & «
Veritas..... & nusquam erat in eis, sed falsò loquebantur. E «

D. *Georg. Witweiler. cap. 17. de vita Aug.* E. *lib. 3. Confess. 6.*

III. His pedicis implagatus nihil tamen remisit AVGVSTINVS de suo in literis deuorandis ardore; quo breui consecutus est, vt summam in ciuitate cathedram obtinuerit, publicæque Eloquentiæ facultatem docere iussus sit. Quod negotium non tantum Carthagine, sed posteà etiam Mediolani, & denique Romæ tam strenuè, & grauiter obiuit, vt in Musarum sinu adoleuisse non obscurè credi potuerit; tam ambitiosè non inane nomen, sed Eloquentiam ipsam adamauit. Secundinus profectò Manichæus, AVGVSTINI Zoilus non postremus, licet omnia alia scabiosè cauillârit, sola tamen Augustiniana eloquentia caninos morsus effûgit; enimuerò ingenuè fatetur; summum sese vbique oratorem illum admiratum, & Deum pænè totius Eloquentiæ: *Ego namque fateor* (ad AVGVSTINVM loquitur) *non tali diligentia, nec tanta industria Aniciana domûs micare marmora, quàm tua scripta pellucent eloquentia.* F. A

AVGVSTINO opus haberem, si pro dignitate illius & in dicendo copiam, & in persuadendo potentiam, & denique in aucupando hominum mentes suauitatem dicere ordirer, Quæ enim verborum copia? Præceps impetus, & longè latéque exundans mare erat, quod suis tamen cataractis claudere doctissimè nouerat. Et quæ dulcedo? Tanta, vt ceu fidibus Orpheus suis antra, sic lepôre iste suo homines post se traxerit. Quàm ingeniosa troporum Syntaxis? Elegantissima erat fabrica, & in homine Afro tanta eloquij gloria, vt doctissimi quique inuidere quidem potuerint, non autem æmulari. Antonius Orator non postremus, in cuius laudibus ipse Tullius totus est, diserros se, ait, vidisse multos, eloquentem adhuc neminem.

Sed dabit hanc ille mihi veniam, si, quod suo æuo non reperit, annis postmodùm AVGVSTINI felicioribus abundè repertum, dixero. Quidquid in suo *Oratore* tam anxiè desiderauit Cicero; quicquid in suo peripatetico Lycéo argutatus est Aristoteles; quicquid linearum, numerorúmque in arena descripsit Archimedes; quicquid denique omnes magno labore; id AVGVSTINVS admodùm puer exactissimè, nullo præeunte inuênit. Si spinosa Philosophiæ elementa (categorias loquor) si elenchos, si Physica, Meteora, si Metaphysica consideres? Omnem omnium rerum parentis Naturæ thesaurum non tam laboriosè inuestigâsse, quàm virgâ aureâ inuenisse persuadere tibi potes. Si oratoriam facultatem eius perspectam cupis? Dixit, vt Canones principis eloquentiæ sunt, *Incorruptè, accuratè, copiosè, ornatè, solidè*, cum audientium admiratione, & applausu.

Memini me legere S. AVGVSTINVM in summis votis habuisse, si quà Paulum posset pro cathedra tonantem audire. Et me profectò vehemens cupido incessit AVGVSTINI audiendi. Sed quid opto? Audio, & admiror portentum Ciceronianum, quotiescunque AVGVSTINVM lego. Audierunt Donatistæ, & nihil magis dixerunt fugiendum, quàm AVGVSTINVM dicentem; vt solam denique in illo accusandam existimârint eloquentiam. G Non de nihilo ergò vtrinque caput Mercurij
B ponè adpinximus, & ordine Deus Facundiæ pro suo supernè of-
C ficio eloquentiam destillat. Caduceum læuæ manûs gestamen Mercurio est, quod Ægyptij effigiârunt specie draconum, quo voluminis sui nodo obligantur, caudísque perquàm familiariter sese morsicant ad capulum virgulæ, ornantúrque alis ex eadem capuli parte nascentibus. Quod quidem Caduceum pingitur in pacis argumentum; nam complexu tam concordi, & collabellatione tam efferata bruta concordiam non obscurè indicant. Porrò Mercurius tanquam interpres Diuûm in galero, inque talaribus pinnulas gestat: nam sermo, cuius est Deus, volaticus, & alatus est, & velox per aëra fertur. Non hîc explicabo, cur capite crispatus capillus sub pilei vmbraculo rádiet; cur festiuè circa humeros vestis substricta: hæc enim omnia pro officio Magistri fraudis, furúmque habet, ne properantibus mora fit laxitas vestium: hîc satis esto Deum Eloquentiæ descripsisse;

nam

nam talis est, & à Gellio præterea dicitur literas adinuenisse Mercurius, quas ceu infundibulo in AVGVSTINVM agminatim liberalissimè deriuauit, ità vt deinde lingua eius cœperit esse non tantùm in magno apud omnes honore, sed & maximo pretio & quæstu.

Demades Orator stupidè gloriabatur, decem sibi talenta à rege numerata, vt taceret. Magnum profectò Oratorem (ità illum omnes Musæ ament) cui silentium adeò lucrosum est! Ceu si princeps Poëtarum cum aliis minorum gentium nihili poëtastro de stylo, totóque Helicone certâ paciscerétur pecuniâ, & omnia eius metra præstinaret, vt coruus inter olores crocitare desineret; nónne ille apud omnes pro Apolline Musarum adoraretur? Et vendunt se hodiéq; specioso oratoris schemate concionales noñulli Rabulæ pro optimis quibusq; oratoribus; qui tamen, vt Plato ait, furijs agitantur, & in verborum silua maximâ arrogantiâ tument; qui, tantum abest, vt Rempublicã linguæ imperio gubernent, vt etiam abusi eloquentiâ non aliter, quàm fatali gladio omnem eius vitam hauriant. Demosthenem ferunt gestare solitum venenum calamo concluſum, eóq; hausto, vnde sibi scribendo imortalitatem comparare nominis debuisset, præsentissimam mortem deriuâsse. Calamo ergò suo oblitterauit, quidquid anteà æternitati dictauerat: nam vi dicendi cõcitauit aduersùm se Macedonum Reges duos potentissimos, à quibus in eas angustias est redactus, vt venenũ ex calamo hauserit, & mortem, ne viuus veniret in potestatem, conſciuerit. H.

Non abnuo, Eloquentiam magnam gloriæ parariam, & pluris esse, quàm homines æstimare possint. Tanquam mundi Domina rerum potitur, si in sapiẽti domiciliũ figat pectore; at contrà, si sapientia & ratio non accedat, vanum quiddam est, compta meretricis facies, mellitum virus, phrenetici robur. Nullibi Demosthenis pater peccauit grauius, quàm dum filium suum Rhetoricis imbui præceptis, & ad robur Eloquentiæ firmari iussit; quid enim, nisi furioso acuit gladium? Et saniùs longè ad patris sui, fabri ferrarij incudem sudâsset, quàm in pulpito detonuisset orbis Iupiter. Illa Ciceronis manus, quæ Philippicas orationes contrà M. Antoniũ scripsit, infami decisa est securi, & rostris, vbi declamauerat, affixa. *Sicilli Mors & Virtutis manus lingua fuit.*

Inter-

Interrogatus Socrates, quodnam se iudice pulcherrimum esset animal? Respondit, esse Hominem doctrinâ ornatum. Verè ille quidem; & prudenter, vbi Scientia non inflat: at vbi tumor, aliáque vitia irrepunt, non inuenimus animal impetuosius, pestémque Reipublicæ maiorem: præterquàm enim quod Epicurum tales sæpissimè Oratores viuant, etiam Sardanapalum ex publico ambone loquuntur lasciuum. Istis, ô Reges, talentum numerate, vt sileant, maximè apud id ætatis Iuuenes, qui ferulæ non subduntur, & quorum lingua aliàs cum fronte depudescit: vbi recte Socrates orationem quandam minùs pudicam habituus apud Platonem operuerit pallio caput, & verecundiæ exemplar se crediderit, si oculos minimùm, faciémque cum lingua non prostituisset.

Iulianus quidam Rhetor apud Gellium capite condelato versus poëticos Amorem, & Venerem spirantes cantaturus, laciniâ contexit faciem. Et noster Orator si frontem, faciémque non tam aperte explicuisset, non eò prolapsus esset, vt diceret: *Pudet, non esse impudentem.* Sed quia vel tandem contraxit frontem, nolumus hîsce amplius immorari, sed eius memoriam & ingenium admirari.

F. *Epist. ad Augustin. tom. 7.* G. *Augustin. lib. contra Cresconium. cap. 2.*
H. *Famian. Strada lib. 1. prolus. 5.*

IV. Nam præter linguæ cultum, verborúmque rarum delectum diuino ingenio, & admiranda pollebat memoriâ: quibus quasi alis subnixus, supra omnes longissimè Oratores est euectus. Atque vt de memorandi facultate strictim quid dicam, Est illa signatarum rerum in mente vestigium, rerum omnium thesaurus & scrinium. L Est illa penus disciplinarum, Musarum fœcundissima parens, altrix Sapientiæ, & halitus quidam diuinitatis. Est, vt Augustinus ait, lib. 10. *Confess. cap. 8.* « *Memoriæ vis magna nimis, penetrale amplum, & infinitum, & cuius fundum nulla bolide perueniatur. Posco, vt proferatur quicquid volo; & statim prodeant, quædam requirunt diutius, & tanquam de abstrusioribus quibusdam receptaculis eruuntur: quædam catervatim prorumpunt, & dum aliud petitur, & quæritur, prosiliunt in medium quasi dicentia; ne forte nos sumus? Eligo ea manu cordis à facie recordationis meæ, donec enubiletur illud, quod*

volo

volo, atque in conſpectum prodeat ex abdità. Alia facili- «
ter, atque imperturbatâ ſerie ſicut poſcuntur, ſuggeruntur, «
& cedunt præcedentia conſequentibus, & cedendo conduntur «
uerùm, cùm voluero, proceſſura. Et poſt paululum. *In* «
tenebris, atque in ſilentio dum habito, in memoria mea profe- «
ro, ſi volo, colores; & diſcerno inter album & nigrum, & «
inter quos alios volo. Nec incurrunt ſoni, atque perturbant, «
quod per oculos hauſtum conſidero, cùm & ipſi ibi ſint, & quaſi «
ſeorſim repoſiti lateant. Poſco ſonos, ſi placet, atque adſunt il- «
licò, & quieſcente linguâ, ac ſilente gutture canto, quantum «
volo..... & auram liliorum diſcerno à violis, nihil olfaciens; «
& mel defruto, lene aſpero, nihil guſtando, neque contrectan- «
do..... ibi mihi cœlum, & terra, & mare præſtò ſunt..... ibi & ip- «
ſe mihi occurro, meq; recolo, quid, quando, & vbi egerim; quoq; «
modo, cùm agerem, affectus fuerim. «

Hæc præclarè de Memoria AVGVSTINVS, quam ille ad miraculum pænè habuit magnam; namque hoc tam fido ductore compendiariâ ad oratoriam facultatem iuit, dum nihil vnquam actum eſt, nihil in diſputationem, deliberationémque vocatum, cuius ille conſcientiam non perſpectam habuerit. Memoriâ ſuggerente omnes antiquitatum hiſtorias, exempla maiorum, dicta Sapientum, fortium facta &c. quaſi è ſcrinio, cùm opus eſſet, pro arbitrio eruit. Huius adiutabulo tot libros elucubrauit, qui Bibliothecam ſoli conficerent. *Tanta*, inquit « Poſſidius, *ab eo dictata, & edita ſunt..... vt ea omnia vix quiſ-* « *quam ſtudioſorum noſſe & perlegere ſufficiat.* N Et Rupertus di- « cit: Mentitur, qui te (AVGVSTINVM alloquitur) totum legiſſe fatetur. o O altam memoriæ voraginem! Qui indicem librorum volunt, Poſſidium conſulant, alióſque multos. P

Memorant Caium Iuliũ Cæſarẽ admirandâ memoriâ prædituũ: quaternas diuerſarũ rerũ ſimul ſuis librarijs dictare epiſtolas ſolebat; aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas. Magnũ memoriæ bonũ, quis neget? Atqui maiori campo excurrit AVGVSTINI memoria, qui pluribus ſimul Amanuẽſibus, non amicas, & familiares epiſtolas; ſed reconditiſſima myſteria; ſed abyſſum Trinitatis; ſed ea, quibus diuina iñititur Fides, planè ac planè dictauit. Corſicus quidã adoleſcẽs eò fidelitatis in memoria eſt progreſſus, vt

nomi-

Digitized by Google

nomina ſemel audita promptè, infinita pænè recitaret: atque, quod vix credas, iam ea à ſummo ad imum, iam excluſis medijs ima ante ſumma conſtanti tenore reddidit. Sed quot vocabula? Sex, & triginta millia, etſi barbara, aut oppidò noua. Q Mithridates Rex Ponti viginti duabus diuerſæ linguæ gentibus imperabat. Totidem linguis Iura pro tribunali dabat, ſinguláſque nationes ſine interprete eſt affatus. R Vis maius miraculum? Charmides totius Bibliothecæ, eiúſque magna volumina memoritèr legentis modo repræſentauit. Plinius teſtatur, penès quem fides eſto. S Franciſcus Suarius, noſtri ſeculi miraculum, doctrinâ ſuâ immortali, tam fideli memoriâ erat, vt de ſuis voluminibus (quæ & ipſa Bibliothecam conficiunt) ſi quid interrogatus, ſtatim quo loco, quáque paginâ ea ſuper re diſſeruerit, promptè docuerit, ac etiam digito demonſtrauerit, & inter reliquos SS. Patres, AVGVSTINVM noſtrum, quàm vberem Scriptorem? animo promptum habuerit vbique, eiúſque tum ſententias, tum verba pro re nata, prolixè, & cum fide ſubiecerit. T

Atque Memoriæ hieroglyphicum Elephantem aiunt, cui tenax ſanè memoria, & ferè ad humanam. Memorat Plinius, tardioris quendam memoriæ, vt non degenerâſſe videretur, inuentum noctu, & ad lunare lumen præſcriptos motus exercuiſſe; alios tantâ curâ dictata didiciſſe, vt noctu etiam deprehenſi ſint ruminantes, & meditantes ſua dictata. Et alius nonnemo clarè affirmat, quendam literas græcas pingere didiciſſe, eâque linguâ ſcripſiſſe. Certè Lipſius tam magnam in Elephantis Memoriam ſcribit, vt homini nihil cedere, ſed verò excedere teſtetur. Vnicum ex illo teſtimonium audi. Miles quiſpiam in vrbe Cochim, Elephantem per laſciuiam in fronte putamine nucis percuſſerat. Elephantus putamen ſtudiosè tollit; illud atque iram recondit. Poſt dies pluſculos in via quapiam publicâ obambulantem militem conſpicit. Accedit, & elatum ex ore putamen promuſcide ſuâ acriter in illum conijcit. Tum exultabundus abijt, quaſi talione illâ iniuriam probe vltus. V

Clauſum tenet Memoria librum, quia rerum omnium præteritarum ſcrinium liber & verò Bibliotheca quædam eſt, in

qua

Digitized by Google

qua ordine ſuis forulis reponimus omnia. Iani bifrontis facie depinximus, quia non ſolùm præſentia recenti tenemus memoriâ, verùm etiam præterita, quæ ſuo modo ſenuerunt, refricamus. Atque tametſi multi Memoriæ vim cum intelligentiæ acumine, ſeu Ingenio conſtare poſſe negent, ex eo potiſſimùm, quòd ingenioſi plerique omnes obliuioſi maximè ſint: quia tamen ingeniorum fontes ferè omnes rerum multarum comprehenſione feliciſſimos etiam fuiſſe vidimus; in contrarium abimus: neque illum Rhetoris perſonam ſuſtinere arbitror, qui tantùm memoriâ valet, ingenio autem deſtituitur: ſed is demùm Orator mihi eſt, qui præter ingentem rerum, verborúmque copiam, vim etiam animi feracem poſſidet; qui non ſolùm apta rebus, opportuna temporibus, decora perſonis adinuenire; ſed etiam argumentorum ſedes eruere ſuis locis, qui tranſlationes, inuerſionéſque verborum ſcitè locare, qui ſententias cum delectu in ſynopſin aptè cogere, & vſu proculcato nouo cultu inter prima, ac noua reponere, qui cauſas à natura petere: Verbo; qui omnibus omnia eſſe poſſit: quod vtique non vulgarem ſolertiam, ſed incredibilem pænè ingenij felicitatem deſiderat. Oratorem proinde acutâ, & perſpicaci mentis acie præter memoriam excellere vel maximè oportet. Quam facultatem, vt dignum eſt, AVGVSTINO indimus; qui præ omnibus ſummo ingenio, mirabilíque memoriâ præditus erat, de quo idem, quod S. AVGVSTINVS de Hieronymo, dici poteſt: *Quod* AVGVSTINVS *neſcit, nullus ſcuit.* x Non balæna profundiùs deſcendere, non fulmen mirabiliùs penetrare poteſt, quàm *Ingenium:* in cuius cultu Orator noſter primam ferè omnem ætatem poſuit. Et ſcimus fulmen igneæ naturæ Ingenio non abſimile: ſicca enim, & ignea ſunt nobiliſſima; & qui cerebro ſicciores, ij Ariſtotelis ſententiâ ingenioſiores, Nóſque propterea melancholicos eſſe experimur. Addo, quod Ingenij triplex officium: primum, docere in omnibus materijs, quæ vſurpantur hominum ſermonibus, aut cadere aliquando in diſputationem ſolent. Secundum delectare. Tertium: mouere. Fortè ideò, quòd ex Iouis cerebro (qui iactor triſulci teli) Minerua Dea Scientiarum, quæ ingenio opus habent, ſit nata.

Denique librum habet apertum, quem mentis acie multò certiùs perueſtigat, quàm odori caniculi relicta ferarum veſtigia. Tali & ingenio, & memoriâ, ceteríſque dotibus inſtructus, atque omnibus numeris abſolutus AVGVSTINVS Orator ad tantum faſtigium aſcendit, & in cathedrâ publicâ tam diuerſa ingenia Carthagine, Mediolani, Romæ ſortitus eſt.

Sed non omnibus adire Corinthum datur; pars magna Anticyras, vel ad fortunatas Inſulas vehitur; neque ex omni ligno
F fit Mercurius: ſiculnus enim inutile lignum eſt, & dedolari in nullum vſum poteſt. Lanceam equiti nemo aptet ex quercu, ſed tiliâ, lignóque quolibet leuiori. Et abſque quod apud plurimos ſocordia, tanquam gangræna ſerpat, ac proinde tanquam peſtilentia latè graſſetur, ex varijs alijs cauſis ignorantia promanat. Nam primò ſicut Belidum dolijs, aut vannis aquas fruſtrà
G haurimus, ſic tam perforatâ ſunt nonnulli memoriâ, vt quicquid manè infuderis, ante meridiem adhuc elabatur: vt ità pretioſus literarum liquor per rimas, & commiſſuras vndique effluat, maximè autem ſubtiles theoriæ per cribrum percolantur; & ſicut ruſtici, quod leuiſſimum eſt, extrà aream euannant foràs, ita iſti, quod ſubtiliſſimum. Credas ex poëtico Lethes fonte bibiſſe, adeò omnia paulò ante audita moriuntur, & ſepeliuntur; aut ex illa ſcaturigine, cuius aqua ius ſibi in ipſam mentis ſedem capeſſit; y ità vt hauſta memoriam obtundat, inductâque rerum obliuione vis omnis obſoleſcat. Aiunt Meſſalam comicum oratorem eò ſtupiditatis deueniſſe, vt nominis ſui obliuiſceretur. Præclaram, & dignam Oratore memoriam! Et fit hodie, vt ſuis quæque ſonis delectentur aures; Equi tubis bellicis, Delphini lyris, multorum ſacco coriaceo ruſticantis more fiſtulante: ali-
H qui Apollinis aures, plurimi Midæ habent. Moluchani Pygmæi auribus tam erant longis, vt totum corpus ijſdem obtexerint, z vel vni illarum indormierint, & alterâ ſe obuoluerint. Sic credebant ſe non argui poſſe, quaſi in *vtramque aurem dormiant*. Quorundam aures magis noua, quàm magna auent; & hi auctore Iulio Firmico, ſunt ſidere capræ oriente nati: nam, ait, ex huius aſtri influxu

curio-

Digitized by Google

curiosos nos omnium rerum fieri. aa Sed dabo multos præstare memoriâ, ingenio planè carent, quod multis tam stupidum est, vt in pecua degenerâsse, vel ad lictus Circes appulisse, aut in stabulo Augiæ abiunxisse videantur; quis stolis non magis sufficiunt, quàm asinus increpandæ lyræ; & inde agasones nil potiùs habent, quàm exitum, & valedictionem literarum. Hi sibi verùs, quàm ingeniosus Seneca occinunt: *si quando fatuo delectare vacabit, non est mihi longè quærendum, me vocabo.* Refert Laertius in vita Diogenis, Cynicum illum (vt erat iucundi ingenij) in foro Athenienſium *Sapientiam* in auctionem duxisse. Hodie quoties sub hastam venit? Quoties in lapidem exurgunt præcones? Nullus tamen præstinat; Euciones suos loculos; Endymiones suum stratum præ omni sapientia amant. I

Sed & tertia remora est, quæ plena studiosorum nauigia à cursu suo versùs Athenas retardat: Euagatio nimirùm pro cuiusque genio, & affectu multiplaris: hûc omnes phantasi cum flabellis, & muscas exigite: huc adesdum Domitiane; sepone orbis, vt sueuisti, negotia, & muscas capta. Quotidie apud tales studiosos non sufficient tibi duæ horæ, vt dici possit à Satellitibus: *Ne musca quidem.* bb Et quis omnia phantasmata enumeret, quæ pro numero fœcundissimè protuberant? Vltimum denique profectûs impedimentum facilè omnium primum est, Lasciuiæ fomes, & propudium, dum plerique sectantur Aleam, Bacchum, Venerem; quibus ità omnes sensus obbrutescunt, vt meliores Musas longissimè exulare cogant; quas tanto in pretio habuêre summi olim Reges. Roberti Neapolitani Regis vox ista erat, *Curiares sibi literas, & libros Regno.* Quem egregiè secutus in eodem regno doctissimus Alphonsus; qui malle se omnium septem suorum Regnorum, quibus dominabatur, aiebat, iacturam facere, quàm minimæ doctrinæ: quin præter multa erecta Athenæa; præter instructissimas Bibliothecas pro insigni suo Librum apertum vsurpabat. cc. Significans viris principibus Scientiam apprimè conuenire ex libris hauſtam. L

Audite hæc, qui aleam præ libris amatis, qui Musas vestras infamatis, & in lupanaribus castas Nymphas quæritis; qui M N

non ad fontem Pegasi, non ad Heliconis; sed ad temulenti Bacchi dolia egregij (si Dijs placet) Athenienses græcamini. Nil poterat Alphonso Regi gratius offerri, quàm electior liber. Et Homeri Alexander carminibus indormijt. Quotusquisque vestrûm non criminibus? Et quos ille libros vigilanti suppositit capiti, vos protensis ignominiosè teritis pedibus, tanquam peripsema quoddam. Vbi gentium Literio (parcite nomini) Theodosius iunior? qui tam pertinaci in libros studio erat, vt diem quidem militaribus exercitijs dederit, noctem verò literis. Hic tantus Rex candelabrum sibi strui affabrè curauit, eo opificio, vt oleum sponte ad lychnum perueniret, ac vberi stillicidio suppeteret; ne vel interpellaretur lectio, vel ministri cum vigilante vigiles essent. Scilicet ad lucernam roduntur vngues, acuuntur ingenia, & aurora studiorum amica expectatur: scilicet inter libros meliùs impallescimus, quàm hirquiens inter scortum. Non haberet Demosthenes immortale nomen, nisi ità studio eloquentiæ deditus fuisset, vt se totos tres menses incluserit, rasâ deformem in modum cæsarie, vt ne, si vellet quidem, egredi præ verecundia posset, donec sibi pili renascerentur. D d. Neque Homeri Iliades legeremus, si non plus olei, quàm vini consumpsisset auctor, si in multo somno ferias sensibus fecisset. Neque Anaxagoram ex mortuis DD. loquentem audiremus; qui capillamentum suum clauis domi ideò affixit, ne inter legendum fortè nutaret. Hem, quàm literarum amantes! quàm venerabilis antiquitas! Viuerent hodie tam sobria ingenia, haud ità bonæ Musæ stipem colligerent, aut ingratæ errarent: nec ità pauper Aristoteles pedes incederet, literatique maiori honore viuerent. Vilissimum, ait, Satyra Menippæa, hac tempestate habentur, *casse nuces*, & *Philosophi præstantes*. Alexander inter spolia Darij, gemmea, aurea, & quæ non? solos Homeri libros æstimauit. Idem cùm Thebas caperet, Pindari vatis familiæ, penatibúsque iussit parci. Aristotelis Philosophi patriam condidit. Platoni Sapientiæ sacerdoti Dionysius Tyrannus, aliâs sæuitiæ, superbiæque natus, vittatam nauem misit obuiam, ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit. Cneus Pompeius confecto

Mithri-

Digitized by Google

Mithridatico bello, intraturus Possidonij, Sapientiæ professione clari domum, fores percuti de more à lictore vetuit, & fasces publicas ianuæ submisit is, cui se Oriens, Occidénsque submiserat. Ee

Innumera alia supereſſent, quæ ad Sapientiam nos adhortarentur, & ingenio claros honore afficiendos esse loquerentur, nisi ad AVGVSTINVM properarem; quem certum est, ità adamâsse Musas, vt præ scorto suo, illam summis delicijs habuerit; qui ità dignitatem literarum æstimauit, vt ardentiùs tamen amauerit studiosorum Mæcenates. Iaceat socors, & malè feriatur, cui Voluptas lectus, libri fastidium, popinæ scholæ, exercitium alea, professores Mimi; iacebit miser, & nunquam ad alta surget; carduos inter tribulósque pascetur, & erunt asini labris spinæ dignæ lactucæ. Interim reperire quosdam adhuc est, qui laborioſe literis inuigilant, & ceu rusticus ad stiuam, sic illi, dum perpetuant laborem, & indesinenter libros voluunt (ceu currus rotam) sudant. Sunt etiamnum Syracusani, qui astra fingunt, suo se nutu rotantia: qui Archytæ ligneam columbam libratis ponderibùs in aëre suspendunt: qui tantâ animi contentione, & profundâ intentione rapiuntur, vt cum Archimede exoculi, imò verò exsensi videantur. Aiunt Marcellum in expugnatione Syracusarum de huius Geometræ stupendo ingenio inaudijsse, & hoc nomine interdixisse, ne ille vnus violaretur; sed cùm Archimedes oculis, ac animâ in puluere defixus formas Geometricas describeret, à milite ignaro, quis esset, interfectus est: at gloriosè vixit, qui ità viuere desijt.

Vt indefessa Vertigo cœlum rotat, ità studiosi continuatis literis, & in se quodam orbe redeuntibus negotijs exercitari debent. Et sic demùm Hieroglyphicum suum illi imitantur, Turturem: hæc enim auis in sublimibus nidum ædificat, cúmque animis doctis alta petit; hæc soliuaga est, & vt literæ quietem amant, sic illa strepitum fugit forensem. Hæc (vt multa taceam) amisso compare, casta manet. Et Musæ *Virgines* pinguntur, doctissimósque Natos mater Castitas procreat. *Ego Musas Virgines habeo*, inquit Lipsius, *non prostituo*. At oculos vertite. Etiam noctuambulones Endymiones suum symbolum habent, Noctuam. Quid Noctuas ferimus Athenas?

Digitized by Google

Et quid commercij intercedit Noctuæ cum Minerua? Quamuis hanc parœmiam alij paulò aliter exponant, ad rem tamen noſtram Heſychius explicat de illis, qui aut nihil ſtudent, aut fruſtrà. Vt enim apud Græcos dicitur: Quid aſinus inter Simias? Sic: Noctua quid inter Cornices? Et ſtupidior inter naſutos? Itaque non ſentimus cum Suida, qui Noctuam volantem ſignificare vult res feliciter geſtas. Neque cum Athenienſibus, qui Noctuam volantem omen victoriæ fecerunt. Vnde γλαὺξ ἵπταται. Niſi fortaſsè ad illos accommodes, qui in quibuſdam Academijs pecuniâ emunt Doctoratûs Inſignia: non illepidè enim apud tales Noctua volare dicetur; illa ſcilicet Noctua Athenienſium, quorum aurea, & argentea numiſmata Noctuæ ſimulachrum habebant inſculptum: ſicut Cicero meminit quorundam rabularum Oratorum, qui pretio dato, in foro quoduis effecerunt. Hi, vt ille ait, *Bouem habebant in ore*.

I. *1. Tuſculan.* L. *2. de Orat.* M. *lib. 10. cap. 8.* N. *Poſſid. in vita Auguſtin. cap. 28.* O. *1. de Spiritu. cap. 19.* P. *Vincent. in ſpeculo hiſtorial. Poſſeuin in apparatu ſacro. Ludou. de Angelis.* Q. *M. Anton Muret. lib 3. variar. cap. 1.* R. *Solin. lib. 7. cap. 24.* S. *Plin. ibid.* T. *Famian. Strada. lib. 1. proluſion. Academ. proluſ. 1.* V. *Lipſius cent. 1 epiſtolarum, epiſt. 50.* X. *S. Auguſtin. ad S. Hilar.* Y. *Maiolus.* Z. *Bzouius tom. 2. Dominical. Concion. conc. 3. Ex Ramuſio tom. 1.* Aa. *Iulius Firmicus in 2. Matheſeos.* Bb. *Suetonius.* Cc. *Lipſij Polit. cap. 7. num. 15.* Dd. *Plut. tom. 3. in Demoſth. Boſquier. in Carcere Laureato.* Ee. *Plin. hiſtor. natural. lib. 7. cap. 30.*

PERIO-

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS TERTIÆ.

I. AVGVSTINVS ELVSA MATRE ROMAM MARI PETIT. ITA DIVINA FATA FVERE. II. DEPLORTA ASTVM MATER. III. AMAT TAMEN, ET IN ABSENTEM FILIVM VIGILAT.

I.

ANNO Gratiæ CCCLXXXIII. vbi aliquandiu Carthagine liberales alijs disciplinas tradidit, Romam ætatis suæ XXIX. proficitur. A Multa non sinebant hominem in eâ ciuitate diutiùs agere: omnium primum, quod in fugam abstraxit, turbatissima fuit Carthaginensium Academia. Pigitum erat, illum ibi moras trahere, vbi morum licentia, & immatura libertas impunè grassaretur, & quisque pro libidine dies viueret: vbi nihil asperum indictum, nil turpe interdictum: vbi nullæ sanctiones, & excessuum cautiones; nullæ tabulæ improbis affixæ. Confusa erant omnia, totiúsque rei literariæ mira perturbatio. Ruebant dissolutissimis moribus Adolescentes in omnem audaciam, malúmque passim ità altè inoleuit, vt extirpando iam non esset. Quando ergò Musæ quietem amant, Romam cogitabat, ibi fruiturus, quod hîc exosum fuit. Nec ideò ad vrbem properabat, quòd maiores quæstus, aut altior dignitas AVGVSTINVM expectarent (quanquam & ista nonnihil titillabant) sed ea tum palmaris discedendi causa erat, quòd famâ accepisset, quietiùs Romæ habere omnia, & arctiori ferocem Iuuentutem disciplinâ coërceri: nec Romanos impetu iuuenili proteruè in schoam irruere eius, quo Magistro non vterentur; quin nec admitti omninò, nisi præmisso examine Professoribus visum fuisset. Contra apud Carthaginem fæda nimis, & intempestiua licentia Scholasticorum erat. Irrumpebant impudenter, & propè furiosâ fronte perturbabant Classes, quas quisque

A

ad maiorem profectum diuiserat. Multa iniuriosè designabant, & mirâ hebetudine, quod cuique libitum, perpetrabant. B Proximum alterum, quod euincebat, fuit; quia intrà nouem pænè totos annos, quos in Manichæorum scholis fædè perdidit, adhuc tamen interfaxum, & sacrum timidus stetit, nec certi aliquid, quod secum de cetero statueret, innotuit. Igitur iter maturat, Sapientiam & Veritatem toto orbe fugientem indagaturus. Sic Plato, sic Pythagoras, aliíque naturæ genij, & nominatissimi quique ingenuas disciplinas, extra Solis Lunæque vias, quasi exulantes magnis itineribus, & indefesso studio quæsiê-
« runt: sic enim Hieronymus epistolâ ad Paulinum: *Pythago-*
« *ras*, ait, *Memphiticos Vates, Plato Ægyptum, & Archytam*
« *Tarentinum, eamq; omnem oram Italiæ (quæ quondam mag-*
« *na Græcia dicebatur) laboriosissimè peragrauit; vt qui Athenis*
« *Magister erat, & potens, cuiusq; doctrinam Academia, Gymna-*
« *sia superbè personabant; fieret peregrinus, atq; discipulus, malens*
« *aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere.*

Hæc etiam cura rodebat AVGVSTINVM, qui discendi, quàm docendi multò auidior erat. Et accessit, vt dixi, quòd omnis eius conatus, & inexhaustus labor, quo proficere apud Manichæos auebat, in nihilum prorsùs cecidisset. Audierat quidem Faustum (ad hunc enim tanquam Deum Manem, & vnicum Pythagoram in quæstionibus grauioribus silentiarij discipuli miserant) hominem gratum, & iucundum verbis, sed verbis. Nam quid ad sitim pretiosorum poculorum decentissimus pocillator extinguendam? Rhetoricis floseulis, & tropis satiatæ iam erant ante AVGVSTINI aures: nec illi theoremata meliora videbantur, quia meliùs dicebantur; nec ideò vera, quia diserta; nec ideò sapiens Fausti animus, quia vultus congruus, & decorum eloquium. C

Tertia itineris suadela erat, altius quoddam fatum, quod nescium, & incogitantem ad Ecclesiam sensim orthodoxam
« traxit: *Manus tua, Deus meus, in abdito Prouidentiæ tuæ non*
« *deserebant animam meam; & de sanguine cordis Matris meæ*
« *per lacrimas eius diebus, ac noctibus sacrificabatur tibi, & egisti*
« *mecum miris, & occultis modis. Tu illud egisti, Deus meus.*
« *Nam à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* D

Agno-

Agnoſcitis AVGVSTINVM mirè Deo gratum, & ſuaui naufragio in abyſſum Prouidentiæ Dei ſeſe immergentem? Abiuit AVGVSTINVS ſuâ quidem opinione, poſt concupiſcentias, ſed abiuit vt Paulus Damaſcum: quanquã enim cæleſte iubar poſt aliquot primùm annos deſcenderit, quanquam nondum intellexerit, *durum eſſe contra ſtimulum calcitrare*; quanquam nondum illi dictum ſit: *Vade ad Ananiam* (Ambroſium:) iam tamen ad viam ſeſe accinxit, quâ cœlo adproperamus. Tria iſta (vt viſum) ad iter AVGVSTINVM impulêre; indiſciplinati Auditores, indagatio Veritatis, & Scientiarum; & Deus. Contra verò multa diſſuadebant abitum, maximè autem mater Monica; quæ quantis potuit rerum momentis contraibat, & prolixè abituri-
enti timebat. Iam infeſta maria, iam mille nauigandi difficultates, iam valetudinis certiſſimam memorabat profligationem.

Et quæ tanta venit Romam tibi cauſa videndi? (liceat querulam Matrem introducere) Euripides extra patriam nemini vlli eſſe fortunam proſperam; illúmque ſolum beatum pronunciat Sophocles, qui præter natalem, nullum alium hauſit aërem. *In exteris locis*, vt ipſe Deus tuus author eſt Cicero; *minor eſt ad facinora Verecundia.* In oculis meis, mi gnate, perdi, & perdere aſſuêſti; quid ſi nullos tu timeas oculos? Parùm prodeſt, vt Seneca etiam agnouit, homini multas curiosè luſtrare Regiones, videre peregrinas gentes, quomodo Nilus exunder. Et illis, quibus domi nihil boni vſui eſt, dulcis eſt peregrinatio. Optimus quiſq; planetarũ malignus corporibus efficitur, ſi cum altero concurrat noxio. Sabinis apud Liuiũ peſſimè ceſſit, quod Romã viderint. Nõ ſolũ, ſed animus mutãdus eſt, ſi frugis bonæ eſſe cupis. Hæc, & multa hoc genus alia ingeſſerat auidè, conquiſitis vndique argumentis Mater; vt omnis ſollicitudo fœcunda rationum parens eſt. Atqui dudum omnem auerſatus exhortationem AVGVSTINVS, alios meditabatur elenchos, & defixis humi oculis altiores curas ſub corde premebat. *Nempè nullum pondus, & momentum habent inuenta humana, vbi Deus alò trahit.* ceu guttæ roris matutini ad ſolem difflantur. Simili in negotio laborabat Dido, vt Carthagine ſuum retineret Æneam; & illa Italiam diſſuadebat. *Per ego has lacrimas, quando aliud mihi miſera nil ipſa reliqui: ſi bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam dulce meum, miſerere.* At Æneas nec Reginæ mo-

momenta, nec calidas lacrimas, nec lapsantem animam pensi habuit; sed enim verò iussit armari classem, cursúmque parari. Sic AVGVSTINVS maternam pietatem posthabuit, nec Religionis, aut sanguinis interesse credidit, fatum, quocumque traheret, sequi. Eluſit ergo ingenioso dolo suadelam Matris, & secum simulatâ pietate, quando aliud nil præstare potuit, ad iter vnâ inuitauit. O magna sanguinis potentia! Hôc frangit hircus adamantem; hôc filius amantem. Inuitatæ Matri ad iter potiùs est per mare, per terram sequi Filium, quàm relinquere. Simul statuit quocunque ierit, individua comes, ceu appendix suam regulam sequi.

C Erat in proximo non procul à littore sacra quædam sancto Cypriano ædicula. Illuc AVGVSTINVS matrem, quam nollet habere secum, multa causatus pellexit. Iret, dum venti, & fluctus ponerent, & interibi Sanctum illum viseret; expecturum se malaciam, neque abiturum, dum rediret. Paret credula mulier, & inter preces, quas ardentissimas fundebat, itérque Deo commendabat, ad D. Cypriani pernoctat Cùm transtra, summíque ceruchi laborant, & strophijs anchoralibus nauis absoluitur; deseritur littus, & Fides, & Mater. Verruntur cærula, sequuntúrque suum AVGVSTINVM impedimenta; *error, titillatio*, & si quid sarcinarum reliquum est. Sic venti nauem, sic Fidem, sic AVGVSTINVM rapuêre! qui quidem Fidem id temporis frangere parùm habebat; pòst tamen inter alia mendacia huius vel maximè meminit, Deúmque veniam ehi-
« xissimè rogauit. F *Fefelli eam* (matrem) *violenter me tenen-*
« *tem, vt aut reuocaret, aut mecum pergeret; & finxi me amicum*
« *nolle deserere, donec vento facto nauigaret. Et mentitus sum*
« *Matri, & illi Matri, & euasi.* Hìc ipsos vos existimare volo, quàm impatienter abitum sui filij Mater tulerit: hìc, hìc aurora, quæ curas, & ægritudines ab animis abstergere alioqui solet, incepit inassueto officio miserias parere: nec Monica suum Luciferum cum aurora inuênit. Vt primùm albere dies cœpit, nihil magis habuit sancta Fæmina, quàm vt ad littus tenderet.

A *Scio hìc alios aliter sentire, sed sequor Baron. tom. 4. anno 383.* B. *August. lib. 5. Confess. cap. 8.* C. *lib. 5. c. 6.* D *lib. 5. cap. 7.* E *lib. 8. familiar. ad Mar.* F *lib. 5. Confess. cap. 8.*

Digitized by Google

II. At vbi portus ſine remige uacuos vidit, vbi ſuum AVGVSTINVM abijſſe; tum homines, Deúmque teſtata, dolori & lacrimis prę quàm aliâs indulſit: heu me deploratiſſimam! Sic ille ſacris operanti! Sic matri ſalutem anxiè filij quærenti Filius illuſerit! Sic Deus meas lacrimas, & calidiſſima vota, & minimè carnalis matris vota non curat! Sic omnis in hoc vniuerſo *pietas* exulat? Te durus genuit Caucaſus, te ſæuæ tigrides alumnârunt. Quin molleſcunt præ te ipſi lapides, & ferales manſueſcunt tigrides. Cui bono, recordor enim, Didonem tam ſæpe fleuiſti, infortunióque reginæ collacrimâſti, quod perfidus, vt aiebas, illam tam bonam tam vafrè ſit fruſtratus? En ego non plus, quàm Dido tibi? Et *tu* non plus, quàm hoſpes mihi? Et *tu* ſacramentum, quod datâ dexterâ nuncupâſti, perfidè fregiſti. Et *tu* non promiſſa connubia, ſed naturalem matrem, ſed fidem, ſed in his omnia deſeruiſti. Plura voluit, ſed abrupit verba dolor, & acerbùm flere tantùm permiſit. Fleuit ergo, & gemiru cœlum omne repleuit, tantúmque præ mærore non inſanijt. Deperibat ſiquidem præſentiam filij, vt omnes aliæ matres, & multò ampliùs, neſcia quid interim gaudiorum ex raptu filij DEVS inſtrueret. *Neſciebat, ideò flebat, & eiulabat; atque illis cruciatibus arguebatur rea reliquiarum Euæ, cum gemitu quærens, quod cum gemitu peperérat.* G Interim diuinus Oculus profundiùs intuetur, iuſtóque à Deo vapulauit flagello Mater, quia filium à cupiditatibus abſtinere, quem illa inſcia tenere, volebat. Et quis audeat conſilia Dei excutere; quis ad trutinam ſuæ rationis examinare; quis *Altitudinem Diuitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei?* Ceu ſi ſtolones, & ſtipites ſapientiſſimos Lycurgos ob leges, quas nec intelligunt, criminentur: ſic qui ſeipſos non agnoſcunt, qui oculis ſuis vix obuia cernunt; dum Cœlum metiuntur, & terram non vident; nónne periculoſo errore labuntur? Cum quantâ ergò temeritate in profundiſſimam ſubindè abyſſum conſiliorum Dei ruimus?

Ceſſa lacrimas, Monica, vehitur Filius tuus *Naui.* Præclarè factum! Nauem Prouidentiæ ſymbolum Antiquitas finxit, cuius clauum regeret, & remos impelleret Deus. Periculoſum quidem, mari iter facere, & præaudax facinus deſi-

designauit is, qui primus pelago sese credidit. Scio Aëoliam Nimborum patriam infestam maribus esse, Euróque, Notóque, crebrísq; procellis Africo sæpenumerò ereptum esse diem: scio Iunonis precibus ipso in littore pænè sub aspectum patriæ Troës perijsse. Scio confisos Malaciæ, Cœlóque sereno non paucos naufragâsse. Iacent ignotâ Palinuri arenâ. Non de ni-
D hilo Draconibus, Sirenibus, Scyllis, aliísque monstris canunt Poëtæ plena esse maria: vbi tuta omnia arbitramur, latent scopuli, & ad stabula deuecti Circes dementamur, nisi sapientiores socijs Vlyssis simus. Scio integra nauigia fluctibus absorpta, &
E iacere alto pelago immensos thesauros. Sed vides huius tui Filij Nauis Argonautam? Numen diuinum expandit Carbasa, ventos tranquillos accersit, Castorem cum Polluce inuitat. Vehitur in aquis marinis ad Lustrales aquas. *Seruâsti me ab aquis maris, plenum execrandis sordibus, vsque ad aquam gratiæ tuæ; quâ me abluto siccarentur flumina maternorum oculorum.* Ità AVGVSTINVS. H.

Et sæpe iuuit aliò iuisse. Homerus ipse non obscurè docet; ab itionibus prudentiam venire. Inertes, & stolidi in domesticis cineribus desident, nunquam gremio excedunt materno, nunquam patrij foci fumum mittunt. Truncus arboris ab in-
F natis tineis, & inquilinis crabronibus corroditur. Cossi, Tabani, Teredines vitioso, & noxio partu domi nascuntur. Nónne ex veste non gestatâ proueniunt tineæ? quæ sæpe vnius Vrbis lytrum depascunt, & depurpurant, purpurâ indigni murices. In aquis stagnantibus inerti situ bufones; in ferro non trito rubigo; in terra inaratâ sunt spinæ; in lyra intactâ chordarum discordia. Iuuat plantas transferre ex vno viridario in aliud, si cultum hortensem speres: & festinantiùs quasdam, vt maturiùs germinent. Omnes arbores in terram meliorem transferuntur, & ità, prout genius, & natura illarum postulat. Sordidè Plutarchi οἰκτροὶ otiosis sessitant manibus, & parentum bona degeneres sub pallâ Achilles abliguriunt. A Xerxe, vt Æmilius Probus in vita Themistoclis author est, totâ olim Europâ, terrâ, maríque obsessa, Athenienses Delphos consultum misêre, quâ demùm ratione postremis rebus subueniendum esset; rogantibus Pythia respondit: *Si ligneis mœnibus, se munirent, excidium*

pulsum

Digitized by Google

pulsum iri. Omnibus quid Oraculum portenderet dubitantibus: Themistocles consilium, respondit, Apollini esse, vt naues se, suásque fortunas conferrent; cum enim significari murum ligneum. Erant hactenus plena desperationis omnia AVGVSTINO; afflictæ res iacebant: visus est itaque hîc Deus mandare ex occultâ tripode: Muro ligneo se vallaret, restituendum; fugeret remis, velísque, omnem moram in periculo esse, in Africa non amplius manendum. Quasi à cælesti Genio dictum: *Ne steteris in omni regione circa Sodomam; recedite à tabernaculis impiorum hominum.*

Itaque secundis ventis inter marinum obsequium iter Romam versus prosequitur, quam tranquillitatem, haud dubiè Mater suis precibus impetrauit; quæ licet hanc traiectionem pro materno sensu grauiter tulerit, *Fide* tamen diuinâ & *Charitate* abundè consolata est, Deóque omnia, & eius suauissimæ ordinationi permisit, hoc vnicum precata, ne quâ tam imprudens, vt sibi quidem persuadebat, abeundi libido sequiorem sortiretur effectum. G. H.

G. *lib. eod. Confess. cap. 8.* H. *loco citato.* I. *Genes. 19. v. 16.*

III. Tametsi verò inuita deseruerit, in salutem tamen Filij absens plenis operabatur affectibus, & quiritationes, fatigatos anhelitus, crebra suspiria, planctus pectoris, illàc vnus effudit, vt iam antea ferè desperatum; nouis autem nunc velis in exitium suum currentem à præsentissima morte abstineret, vt fastiditis tandem seculi vanitatibus ad meliorem post-liminiò frugem animum aduerteret. Prudenter sanè: nam si vt Bernardus ait, *Cui phiala pretioso IESV Christi sanguine plena daretur custodienda, quantâ eam curâ asseruaret?* Ac filij sunt illa phiala, & matribus tradita in custodiam. Ite in exemplum Matres, & præsentiam filiorum ambite; sed eò solùm, vt melioribus præsentes moribus instituatis. Hic, & à teneris stirpes vestras flectite: quod egregiè Monica præstitit, quæ quantumuis seros ex hac plantatione fructus sibi asseruerit, attigit tamen: nam primæ institutionis, lactis salísque Christiani, quod ori eius Mater indiderat, apprimè filius memor, cui bidens teneriori salitum panem, cui assuuerat; sic ille DEVM, etiam in perditissimis moribus,

quem infanti Mater insusurrauit; & ad cuius nuncupationem balbum adhuc instituit, quærebat. Retinet nimirùm quidpiam odoris, quo est imbuta recens testa: & Adolescens iuxta viam suam etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. L.

Vigilauit Monica, & studiosè in vitam filij inquisiuit; sed iuxta tenerrimè amauit, suauisque mixturâ *Amor, & Vigilantia* coaluerunt. Si lachrimæ, si sexcenta alia suum robur non habent; certè itinera ob filium susceptа testabuntur industriam. Reliquit illa Tagastum, & vigili oculo secuta est filium Carthaginem; nunc etiam hanc desertura, & Romam itura, nisi dolus Filij prohibuisset: imitata in omnibus gallum excubantem, cuius cantu Veteres, Gnomonibus horarijs nondum repertis, noctis deliquium, & diei accessum metiti sunt: quod etiamnum vigiles Matres familias obseruant, quæ post gallicinium strata deserere, ad pensa sua properare consuêrunt: ità vt subinde negligentiores famulæ ad sedulas Heras canant, quod Poëta nonnemo:

Nondum cristati rupère silentia Galli.

Et præstolabatur Monica cum accensa lampade, Filio in tenebris constituto germanæ Fidei lumen datura. Et quod de Lepore hieroglyphico vigilantiæ dicitur, quòd apertis dormiat oculis; hoc idem maiori nomine in hanc vigilantissimam Parentem cadit: nam etiam dormiens somniabat meliorem diem Filio. Apagite procul Matres, quæ plus de calceo (vt in prouerbio est) Sicyonio, quàm de filijs sunt solicitæ; & abeste Quasillariæ ancillæ, quæ minimè ad colum intentæ stamina negligitis, & altùm obdormiscitis.

Mater dein' ista præter immensam, quam in Filium habuit, curam, suum amorem largiter dedit, quæ cor suum flammeum, & ignita desideria non tantùm frequenter Filio ostendit, sed etiam vitam ipsam ponere parata pro Filio erat. Quorsum enim tam multa, periculosáque susceptа itinera? Quam ille Pietatem licet serius, recompensauit tamen, postquam sacro Baptismate tinctus est, postquam in Clerum adoptatus, postquam ad Ostia Tyberina cum Matre locutus est: tunc enim

enim ad instar piæ Columbæ, quæ ad Arcam iteratò redijt, educationis gratiam recompensauit, & cælestium fructuum viridem ramum læto ore Matri tulit, dum ficcum pedem in sæculo poni posse negauit, Matrémque multò vberius, quàm sperare poterat, votis damnauit. Et quo modo se ad meliorem Vitam conuersus pateretur vinci Avis animantibus, in genere Pietatis? Mira gratitudinis lege natum Ciconiæ esse in parentes, imò in omnes fospitatores. Ex his prognatæ terrâ matúque volant, & anhelantibus adsequuntur, vt hac ratione seniores, pro eo quod digni sint earum ætate quiete fruantur. Et teste Ambrosio, dum æstate declinante hyberna sua quærunt, & vt solent mare tranant, miro instinctu præsenio lassos parentes humeris recipiunt, & ceu naues impedimenta transportant, gratiámque educationis præstant.

Ergò age, chare pater, cervici imponere nostræ, «
Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit; «
Quo-res-cunq; cadet, vnum & commune periclum, «
Vna salus ambobus erit. «

Ira olim pia quædam Ciconia (Æneas) ad seniorem parentem (Anchisem.) Sed & pietatem in fospitatricem ex Æliano audiamus. Heraclea Ciconiæ ad se diuertentis vulnus fracto crure obligârat; illa autem anno pòst, cùm ad vernum Solem apricantem suam hanc Medicam vidisset, humili volatu descendit, rarámque gemmam euomuit, & quasi officio suo functa, plaudentibus alis auolauit.

Quod brutis naturæ lumen dictat, hoc hominibus salutares leges, si non omnem naturã exuerunt: non te ducã ad Decalogi Christianas Tabulas, sed ad Ethnicos. Hierocles in libro, quomodo erga parentes agendum: *Sunt*, inquit, *parentes nobis* «
Deorum imagines, & per Iouem Dij Lares, addítque: *Filij existimemus se in domo patriâ velut in fano quodam aditimos, & Sacerdotes ab ipsa naturâ creatos, & consecratos esse, vt parentum* «
cultui operam darent. Et apud Delphos oraculum est: *Deus ser-* «
uiendum, Parentes reuerenda. Neque profectò sepulta est apud filios pietatisque beneficentiæ memoria. Multa possem de pietate filiorum reciproca adferre testimonia, sed vnicum satis esto. Olympiade octogesimâ primâ, cuomõta Æthnâ igneos globos,

Catanæ ciues gemini arreptum parentem quisq; flammis extulit, vt non ingratijs fecerint: nam flammæ hinc inde diuisæ, viam progredientibus strauerunt. N Et AVGVSTINVS noster non spongiâ deleuit labores parentis suæ, sed conuersus ad Deum, sæpenumerò calidissimè eam commendabat:

Te super omnia dona
Vnum oro: Genitrix de gente vetusta
Est mihi; ——————

cuius ego nequeo lacrimas perferre. At tu solare inopem, & succurre; hanc sine me spem ferre.

Vos ergò Parentes, seu quicumque estis, quibus de lubrica ætate demandatum est, omni nixu currentẽ sufflaminate, ne præceps per abrupta eat, omni studio hanc custodiam seruate. Manebit digna labori merces; & si filij non recompensant, faciet id, qui curam hanc vobis iniunxit, Deus. Ecce Pentapolim exusturus, *num*, inquit, *celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Cur, ô Deus, non potes? *Scio enim, quia præcepturus sit filijs, vt custodiant viam Domini.* P Idcircò *filij tibi sunt, erudi eos, & curua à pueritia.* Q Sed quod egregiè præstitit Monica, omittunt hodie plurimæ, quę nimiâ facilitate, & licentiâ liberos suos noxiè corrumpunt, parcendo perdunt, conniuendo occidunt. Vides prototypon huius æui depictum? Matrem quæ cum lacte, si Dijs placet, bonos instillat mores; quæ, inquam, non tantùm ad omne malum suo exemplo præit, sed & de industria ad omnem nequitiam studiosè instruit. Petri à Figueiro nostri instituti, & togæ, viri cætera clarissimi verba sunt: *Pudet, imò verò horror est dicere nostri seculi morũ corruptionem. Ipsimet parentes filiolis etiamdum infantibus, vitia non guttatim infundunt, sed maxima vi imprimunt, teneramq; ætatem pessimis corruptelis, ceu bustuarias strigęs inficiunt, vsq; ad vltimum spiritum duraturis. Vix dum sciunt, quid sit aqua, & iam vinum potant, idq; cum risu, & plausu parentum: vix fari norunt, & iam discunt conuitia dicere parentibus: itaque educati, tales & ipsi posteà filios sortiuntur. Atque eo modo infelici quodam orbe & successione vitia per manus traduntur, & ex lutulentis fontibus polluti riuuli egrediũtur. Hac nimirùm ratione paruulos suos ad petras allidũt, in diuinis nostris olim infanticidij accusandi.* Rectè Aristo-

teles,

Digitized by Google

teles. R *quia matres teneriori*, inquit, *affectu prosequuntur sua pignora, perdere ea magis solent: non aliter quàm simiæ, quæ prostituto in fœtus suos amore tam arctis constringunt amplexibus, vt enecent interdum, maximè dum gloriosè, iuxta ac superbè aut mundo ostentare, aut ad honores promouere gestiunt, vbi vitam propriam, aut filiorum æternum dispendium flocci habent.*

Agrippina Neronis (postis illius Romanæ) mater, & scortum, ita laborabat filio suo clauum totius orbis tradi, ità ambiebat filium videre Cæsarem, vt cùm ab Artispice intellexisset, à filio Imperatore se mactandam, respondérit: *Occidat, modò imperet.* Contigitque vt Nero carnifex matris fieret. Hanc insaniam huiusmodi parentum Ægyptij pro ingenio suo, scito hieroglyphico exprimebant. Pater funem ducebat, quem filius in laqueum torsit, ex quo dein pater penderet. Sic Ariadna ex viscéribus suis fila producit, voluit, retoluit, quibus tandem ipsa se suspendit. Vbi primi anni non instituuntur ad pietatem, sed cum filijs ridetur, ac luditur; in senio etiam meritò ridentur indigniùs parentes, & pro eo quod meriti sunt, ab albæ gallinæ filijs tractantur. Sic pulcher Absalon in delicijs à parente habitus, eundem vrbe pepulit: sic Tullia Seruij Tullij Regis Romanorum filia, ad patris cædem maritum animauit, stimulúmque & cædis arma dedit. Grande malum, (quis neget?) cùm filius à natura abit; sed eò plerumque veniri solet ab indulgentia, & conniuentia. Scilicet has grates meminerunt parentibus ad scelera manuducti filij. Notus est apologus de suspendiario illo. Hic puerili licentiâ in ludo litterario affinis socieni librum sublegerat, & re velut præclarè actâ matri domum tulerat. Illa pro eo, quòd seuerè corripuit, amplexata illum omnibus fouit amoris argumentis. Prouectus ergò ætate cœpit maiora filius audere, & iam Autolycus fur digna patibulo facere. In ipso autem furto tandem deprehensus ducebatur rectà ad mortem. Sequitur mater, & tristè pro vltimo officio luget: quam vbi reus eiulantem procul maudijt, carnificem rogauit, vt breuia quædam matri liceret in aurem. Impetrat facilè, & admotam ori in coronâ omnium dentibus aurem abscindit. Hìc mirari

omnes, & verò palàm indignati accusare præter furtum, etiam impietatis reum. Sed ille: *Minimè*, inquit, *hæc enim malorum omnium fuit causa: nam si, cùm puerulus libram clepsi, me castigâsset, non huc vsque processissem, neque ad tam infame funus me ipsum comitarer.*

O parentes, mittite cum Gilimere rege Wandalorum ad Phocam, petitum spongiam siccandis oculis. Nam dum cum pueris luditis, non ludunt illi, sed infelici propagatione, ab vno in aliud deflectunt vitium, & in vos ipsos denique, vestrámque pernitiem armatis liberos. Huius non apologum, sed veram vobis dabo historiam, vel si mauultis, tragœdiam. Amârat tenerè parens filium suum. Et quid interest? ais. Sed audi. Amârat, & renitente oculo omnia indulserat, ità vt insano ad vitia filium amore enutriri facilè omnes intelligerent. Sed quò vsque? Eò, dum omnium facinorum reus, manus etiam in ipsum patrem impiè obarmaret. Certè capillis senectionem apprehensum, denique & solo afflictum ad postes vsque domûs traxit. Sed vide leges talionis. Idem in parentem crudelis filius, postquam ductâ vxore similis farinæ spurium educârat, & hunc æquo indulgentiùs habitum, ad eadem animauit. Trahitur ergò & iste à suo filio parens, & ad posticas raptatus: *nunc denique, fili, cessa*, exclamat; *nam & ego tuum auum, meum patrem ad ista limina reliqui, nec longiùs iui.* Ità contingit, vbi Matres domi in delicijs tales filios alunt, quales vpupæ. « Coruus coruum, vpupa alit vpupam. De qua Hieronymus « aduersùs Iouinianum ità effatur: *Opulentus es paterfamilias? « In auiarijs tuis non turtures, sed vpupa nutriuntur, quæ to- « ta fœtida voluptatis lustra circumuolant, quæ nutriuntur in « croceis, & amplexantur stercora.* T. Nouimus vpupam fimeto delectari, & dicimus illos olere vpupas, qui in sordibus nidulantur. Spurcissima namque auis est, rostri proboscide veruactum, & (sit venia verbo) contenta stercus humanum moliri, vbi pastum suum quærit, & saginatur. Spurcissimæ proles talium parentum, quæ libidinosè in cæno volutantur; nam vpupa maximè libidinosos significat,

vnde

vnde vrbanè, lepidéque Tyndarus apud Plautum in Captiuis, vpupam pro meretrice accipit: *Huc mihi aduenienti*, inquit, *vpupa quæ me delectet, data est.* Hoc genus vpupæ etiam AVGVSTINO aduènit, ex qua Adeodatum suscepit. Quæ tamen meliori paulò post metamórphosi in castam turturem est mutata: nam deserta Italiâ, in Africam migrauit, vbi sponso Continentiæ voto vitam religiosiùs instituit, & sanctè finijt. Sed hæc satis sunto de bona, malàue Parentum informatione, quam crisin minimè meretur Monica. Nunc ad AVGVSTINVM, vnde digressi sumus, redeamus.

L. Proverb. 22. vers. 6. M. Virgil. 2. Æneid. N. Ælian. variar. histor. O. Virgil. 9. Æneid. P. Genes. 28. vers. 17. Q. Ecclesiastici 7. vers. 25. R. Aristot. 8. Ethicor. S. Exempla politica Lipsij cap. 14. num. 11. T Hieron. lib. 2. V. lib. 6. Confess. cap. 15.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS QVARTÆ.

I. AVGVSTINVS ROMÆ PERICVLOSE ÆGROTAT. II. IN ERROREM ACADEMICORVM DEFLECTIT. III. RHETORICAM ET HIC DOCET IV. TRAIICIT CVM ALIPIO MEDIOLANVM. V. Audit Ambrosium pro suggestu, & paulatim Gratiæ diuinæ luce perfunditur. VI. Verbum Dei summâ magnanimitate proponendum.

I.


VT primum secundis ventis portum AVGVSTINVS Romanum tenuit, nauem [illegible] conuectoribus suis exscendit; adiunctaque [illegible] per quàm officiosè salutatum [illegible], vt pro veteri necessitudine, quin iure, quòd in [illegible], hospitium apud se cum omni humanitate [illegible] AVGVSTINVS sibi scindi passus facile [illegible] pigneratus apud quosdam ex Auditorum numero [illegible].

Sed, ô fata! Grauis ibi insaluberrimus noxiè adflat; viribus defectus omnibus, pæne vixisset AVGVSTINVS: certè proximè peculium Proserpinæ [illegible] nanciscitur. Nam [illegible] febres, & paraxismorum insolentia hominem adorirebantur, diuexatúmque lecto affigebant tàm grauiter, vt a funere non procul admodùm abfuerit. A funere autem? audentior aio: ab Orco. Quorsum enim aliò abijsset, nisi concitatis quadrigis ad Acherontem; &, vt ipse fatetur, adignes æternos, stipendium noxarum accepturus? Et quid aliud expectare reus poterat, tot nouis præter Adami ferreos compedes funibus implagatus Samson? tanto ære apud creditorem iudicem obstrictus, cui soluendo minimam ille curam non admisit? Erat illi tunc temporis mors Soteris Christi merissimum phantasma, somniúmque anile; lytrum ille nullum reluitionis agnouit; & quàm falsa illi

mors



Digitized by Google


BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

mors Carnis CHRISTI, tam vera erat animæ mors; quàm vera erat mors Carnis CHRISTI, tam falsa vita animæ ipsius. B. Neque etiam desiderabat in illo tam lethali conflictu salutari fonte ablui, longéque innocentior erat quondam puerulus, quando Baptisma de materna pietate flagitauit. Itaque iam pænè perijt funditùs; cùm mater inter hæc absens (vtpote quæ pignori suo longè prouisum cupiebat) pro filio anxie excubat, sententiámque mortis vltimam iamiam in reum filium dicendam etiam ignorans extorquet. Absens, inquam, erat Mater, & nesciebat extremè decumbere Filium; innato tamen affectu, nunquam non pro salute illius ingemuit; non aliter, quàm meditans turtur de periculo amissæ comparis anxia. Ibat ille Romæ iam ad mortem, & mortem animæ; ibant Carthagine per seniles genas lacrimæ, & currentem fortiori nisu Filium anteuertebant. Consilia ille medicinæ cælestis demens reijciebat; illa precibus etiam distans suadebat: ille bis moriebatur; illa maiori curâ denatum parturiebat spiritu, quem carne iam pepererat. Et quomodo tam vberes lacrimas non aspiceret Deus? *An vero tu, Deus misericordiarum, sperneres cor contritum, & humiliatum viduæ castæ, at sobriæ, frequentantis eleëmosynas, obsequentis, atq; feruentis Sanctis tuis, nullam diem prætermittentis oblationem ad Altare tuum? Huiusne tu lacrimas, quibus non à te aurum, aut argentum petebat, nec aliquod mutabile, aut volubile bonum; sed salutem animæ filij sui; tu cuius munere talis erat, contemneres, & repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam, Domine; imò verò aderas, & exaudiebat. Recreasti ergò me ab illa ægritudine, & saluum fecisti filium ancillæ tuæ tunc interim corpore, vt esset, cui salutem meliorem, atque certiorem dares.* &c.

Hæc AVGVSTINVS plena pietatis & ardoris diuini, explanans quâ ratione laboranti sibi suppetiàs iuerit Mater. Ità illum febris, & hic lectum deseruit; sed non vitia: nam in antiquum veternum ad suos iteratò Manichæos abiuit; non quidē Auditores, sed Electos, quos per ludibrium falsos, atque fallentes Sanctos appellat. In reliquo, nondum brutum ingenium intellexerat nobis imputari reatum commissæ noxæ, sed in vitium nescio quod vitium naturæ traxerat. Erat enim ex eorum

nume-

numero, qui ſubdolè adinueniunt excuſationes in peccatis, & cum hominibus operantibus iniquitatem cæcutientes temerè errant. Quamuis ſenſim à Manichæis iam deſciſceret, maximè cùm deſperaret ſe fructum etiam de cætero aliquem ex hac Synagogâ laturum.

Atque ſi penitiùs AVGVSTINVM introſpicimus, tria potiſſimùm fuêre, quæ euicerunt, vt remiſſiùs, & negligentiùs dogmata Manichæa defenderet. Primum fuit acrior inuectio Elpidij cuiuſdam, qui tàm luculenta in medium protulit ex ſacra pagina, quibus reſiſti facilè non poſſet, & imbecilla ipſi AVGVSTINO reſponſio Manichæorum videbatur. D Alterum fuit, exemplum cuiuſdam Africani Antiſtitis, qui ſe quoque paruulum narrat à ſeducta matre ſuâ datum fuiſſe Manichæis; & omnes pæne non legiſſe tantùm, verum etiam ſcriptitâſſe libros eorum; ſibique apparuiſſe nullo contradiſputante, & conuincente, Sectam illam eſſe fugiendam. E Tertium: quia crediderat non euanidis argumentis perſuaſus, Deum eſſe minimè corruptioni obnoxium; à quo negato pendebant omnia Manichæorum ſcita: *Deus eſt*, inquit AVGVSTINVS *quo nihil melius: ergò incorruptibilis: melius enim, quod corrumpi non poteſt, quàm quod poteſt. Si Manichæi id negant, nonne falſi? Si affirmant, nonne ſua deſtruunt omnia?* F

A. *Ex lib. 5. Confeſſ. D. Auguſtini, c. 10.* B. *Ibidem cap. 9.* C. *Ibid. ex lib. 5. cap 9. & 10.* D. *2. Confeſſ. cap. 2.* E. *3. Confeſſ. c. 11.* F. *lib. 7. Confeſſ. c. 2.*

II. Abdicatâ Manis Hæreſi, animum paulatim ad aliam Sectam adiecit: Academicorum ea fuit, qui in omnibus dubitandum eſſe, nec aliquid veri ab humano intellectu indagari poſſe præſidentèr docuerunt. Sic, in tenebris ſi quis errare ſemel incipit, ab vno pariete in alium arietat: & ſi cæcus cæci ductor eſt, nónne ambo malefido præcipitio in foueam cadunt? Tranſijt hic Erro noſter à Manichæis ad Academicos; & ſatiùs eſſe ſtatuit de omnibus dubitare, quàm affingere ſibi ſcientiam erroneam: iámque audentior hoſpitij dominum apertè cœpit monere erroris, & Manis opinionem, vti reuerà erat, Maniam vocitare, omnes illorum libros ex meris fabulis confarcinari. Verùm enimuerò quia orthodoxam Eccleſiam eſſe perſuadere ſibi non potuit, familiaritatem quidem Manichæorum nondum omni-

omninò teneretur, sed in partes vacillabat animus, nec Manichæis assensus, nec Academicos intelligens, nec Christianas Leges trutinans.

III. Inter istos Fidei turbines, adolescentes quosdam coëgit, quibus Rhetoricam disciplinam est professus. Primo quidem domi inter priuata tecta, tum verò, vbi ingenij nomen innotuit, in publicis cathedris. Atque tametsi Romæ tanta farrago impudentiæ inter discipulos non vigeret, conqueritur tamen de quorundam malâ fide; qui fide fractâ, vbi per aliquod tempus fuerant eruditi, ad alios transierunt Magistros, nec mercedem persoluerunt. Et hoc quidem anno ità se habuit AVGVSTINVS; qui sequenti à Præside Vrbis Symmacho ex mandatis Theodosij Imperatoris Mediolanum mittitur, etiam ibidem Rhetorica præcepta explanaturus, quod magnâ cum laude præstitit. G.

G. *Baronius Tom. 4. Anno 384.*

IV. Cæterùm vitia, & fluctus animi indiuiduo comitatu vbique itineris sequuntur, si solum tantùm, non animum mutamus. Quod & nostro Peregrino accidit, cum quo semper errores peregrinati sunt, quamdiu animus à Deo alienus erat. Venit cum Alipio (quem Romæ offenderat) conciue suo Mediolanum, quibus sese ibidem adiunxit Nebridius tertium, qui Africam ideò deseruit, vt AVGVSTINO, quocum pænè congerminauit, adhærere posset. Mediolani Oratoris munere egregiè functus, vbi sese post exorta multa errorum dissidia Platonicis dogmatibus totus addixit, Manichæis vel tandem Laudabiliter valedixit. Porrò florebant eâ tempestate in omni ferè Romano orbe gentiles Philosophi, & inter hos eximiè Academici eminebant; hi, ceu soli vnici essent, qui vniuersum mundum Veritatis iubare clarè perfunderent, ità inani iactantiâ gloriabantur. Quidquid vbiuis terrarum reperiretur Veritati conforme, id à sua Philosophiâ ortum habere; & eò vsque temeritatis denique progressi sunt, vt blasphemo palàm ore effutirent, à Platone Philosopho Christianas Leges oriri; & omnia, quæ Aquila diuina, Ioannes, suæ narrationis exordio præ foribus exposuisset, pro miraculo contemplanda, ab hoc fonte hausta. H.

H. *Baronius Tom. 4. loc. citat.*

V. Præ-

V. Præfuit tùm Cathedrali Ecclesiæ Mediolanensi summâ cum potestate Ambrosius, notum illud Orbis miraculum, doctrinæ, & sanctitatis luculentum Promptuarium: qui strenuè de suggestu, zelo Dei accensus, in omnes hæreses, maximè Platonicorum, fulminabat. *Fidelis Dispensator adipem frumenti sui*, inquit AVGVSTINVS, *& lætitiam olei, & sobrium ebrietatem populo tuo ministrabat.* I. Ad hunc præsulem adductus AVGVSTINVS, benevolè, & paterno planè affectu suscipitur, humanissiméque habetur. Quod benevolentiæ studium illud in AVGVSTINO effecit, vt & ille Ambrosium reciprocâ humanitate demereret. Primò quidem suspiciebat illum non tanquam Veri Doctorem, (omnem Veritatem ab Ecclesia exulare certò ratus) sed veluti benignum in se Dominum: pòst verò vbi literarum non vulgarem cognitionem in eo esse, clâre aduertit; adijt Conciones eius frequenter, non eo quidem animo, quo Christiani piè solent; verùm vt Eloquentiam expiscaretur; vtrum inclyto illo nomine, quod apud vulgus habebat, verè gauderet, nécne. Studiosè, & attentè adsistebat, sed argumentum Concionum parùm æstimabat; quin etiam contemptim despiciebat: nam eloquentia delectabat, & fluuij Tulliani placebant. L.

Doctrina erat alta in Ambrosio, & profunda, atque in salutem animi directa, cùm exaduersus Faustus furiosis erroribus in Manichæorum labyrintho erraret; & quamuis *longè à peccatoribus Salus*, nescius tamen AVGVSTINVS Deum adibat: ad quod non exiguam præstitit in dicendo operam Ambrosius: nam licet aliâs pro captu Auditorum familiariùs egerit, rudíque plebi altos suos conceptus in omnibus accommodârit, secutus Isaiam, M qui iussus à Deo *sumere librum, & scribere in eo stylo hominis*; vbi tamen inter prouectiores Auditores etiam AVGVSTINVM multâ rerum cognitione pollentem, suis perorationibus adesse edoctus est, sublimia etiam interseruit, & verba floribus quibusdam, & tropicis coloribus venustè vestijt; his enim iam nunc AVGVSTINVM inescari, & veluti magico susurramine incantari non vanè aduertit. Sic Iudith dum se gemmoso monili; dum se margaritis venustauit; dum crinem calamistro discriminauit, Holoferno gratior apparuit. Vidit Isaias homi-

homines ad instar nubium volare. N. Monstrum ingens & captu difficile mysterium! Quinam isti, qui vt nubes volant, & egregij Boôtes in aëre aurigantur?

Vidit AVGVSTINVS Ambrosium velut Aquilam volantem, qui in cœlo suspensus alta, & mira dicebat; sed nictabat lippis oculis ad hunc Solem, & ceu rusticus in Cimelium ingressus, splendorem tantum admiratur, nihil admodùm ad thesauri reconditi pretiosum censum aduertens; ità ferè externa illa tantùm eloquentiæ decora spectabat, de sensu & medullâ nihil sollicitus. Stat surdaster strepitu vinculorum æneorum, quibus alligatus est, præpeditus, quominùs Ambrosij dicta ad pectus vsque penetrent, quæ in aurium septis, dum adhuc tinniunt, inani bombo euanescunt. Stat constrictus vinculis Carnis, Academicorum, noxiarum, consuetudinis, cum Alipio socieno suo. Seminat Ambrosius tritici florem, sed spinas ferè metit: contingit nempe illi, quod hodie plerisque Concionatoribus, vt Verbum Dei ventus differt, vt iactum semen in via proteratur, vt in petra sterili arescat, vt inter spinas suffocetur. Et citò in digitos, & numeros miseris, qui Diuina cupidè anhelant, desiderántque redire emendatiores: sunt quidam, qui adeunt Conciones, vt tempus fallant; præclari hominum qui sanctas Cathedras pro fabulosis circulis habent. Sunt alij, vt consuetudini satisfaciant; degeneres animi, qui actiones suas nullâ amussi regunt: nec infrequentiores, vt doctiores euadant; litteriones supini. Hi, vt charos oculos in templis videant; scilicet pro spectaculis sacras Ædes habent Circensibus: illi, vt cauillis petant, si non consuat puluinos Orator; Cynicos homines! Alij vt negotia tractent; instituores flagello Christi eijciẽdi. Sunt denique, qui auidè præcepta salutis hauriunt, sed memoriâ non retinent, nec quod diuinæ Leges iubent, exequuntur: qui tantundem præstant, ac si abdomen suum edulijs regijs, & benè olidis tucetis infarciant, mox nauseante stomacho regesturi: sed hoc est in aquam scribere litteris euanescentibus.

AVGVSTINVM traxit eloquentia Ambrosiana, & cupido quædam noui audiendi; quamuis & inter illos fuerit, quibus cornea fibra adnata est, & quorum Iahel malleos tempora prius

transuerberet, quàm se peti intelligant: & quamuis in omnibus alijs & ineptijs, & argutijs auritissimus fuerit, ad Verbum tamen DEI diu stetit surdus, libentiúsque de vmbra asini Demosthenes, quàm de capite salutis orantes Ambrosios audiuit.

Ferunt Demosthenem grauiter de rebus quondam magni momenti pro rostris disseruisse, cùm autem bonus Orator aduerteret causas grauiores curiosis auribus non vsque adeò gratas accidere, sed pleramque coronam aliò mentem intendere, aut etiam obdormiscere; abrupto Orationis filio, Milesiam fabellam de Atheniensi asino narrare occœpit. Hic populus auidè attendere, & auritus pendere à loquente. Verum ille studio apologum abrupit, & è Iudicum se conspectu subtraxit: populus verò finem euentûs audire gestiens, orauit, vt scenam vmbratilem absolueret. Tum Demosthenes: *De vmbra asini*, inquit, *audire auetis, & de salute Graciæ disserentem spernitis.* Ad hunc ferè modum dum de animæ salute pro suggestu coram populo dicitur; omnes fastidiosis auribus languent; at quando cum Demosthene fabellas ordimur (quemadmodum olim iuuenis quidã mercede asinum conduxerit, qui cùm per æstum meridianum sub vmbra asini quiescere vellet, deturbatus esset ab asinario, asserente se illi tantùm asinum locâsse, non vmbram; ventum est in iudicium,) &c. Omnes lepiditate apologi expergefiunt, & aperto ore magnum inter silentium singulos dicentis apices vorant. Atque tametsi huius farraginis multos habuerit Auditores Ambrosius, nihil tamen seciùs in suo dicendo studio strenuè perrexit, & ex ipsa suadendi difficultate maiores sumpsit animos. Intellexit optimus Pastor de cœlo sibi dictum: *Constitui te custodem, si quis te non obseruauerit, animam eius repetam.*

D O. Et se in Ecclesia, tanquam in prælta turri constitutum, vndemille clypei pendent, mille panopliæ: se vicem Nathan Prophetæ esse, qui exaltare vocem suam, quasi tubam castrensem iussus est; quæ omnium aures perstringat, quæque pestilentiam famem, bellum, & flammas denunciet: P Adeóque locutus est & grauiter, & mansuetè; irascebatur peccatis, & suauissimo amplexu fouebat peccatores; pulchrâ temperaturâ omnia

misce-

miſcens, & mirâ elegantiâ venuſtè conſarcinans. Sciuit indefeſsâ, & vigili curâ adeſſe ſemper ſatorem loliorum; ſed & ſciuit *adulterinas plantationes non dare radices ſuas.* Q & terram cæleſtî pluuiâ nutritam Athenatis eſſe glebam; de qua Solinus: quòd nullo ſerpatur angue; quin verò aſportata quoquò gentium, venenatas omnes beſtias necet, ſolúmque anguibus infeſtum depuret. E

Stetit AVGVSTINVS hactenùs quidem manus otioſas retrò iactans, tanquam nondum accinctas operi, paulatim tamen luce *gratiæ diuinæ* perfunditur, & incipiunt ſenſim indignanti fremitu fugere Hæreſes, carnis pruritus, vrigines, libidines. Et quid mirum? Vox Dei per agros ſparſa apud Ezechielem corpora demortua, & oſſa redanimat arida. R. Non vox Dei AVGVSTINVM? Franciſcus audito Matthæo: *Nolite poßidere aurum, &c.* ad ſe rapuit, & tanquàm cælitùs denunciaretur, ità omnes quamprimùm opes, & ampliſſimum patrimonium contemnendum duxit. Sic magnus Antonius poſtquam deſerendos parentes, & agnatam familiam, cum omnibus perituris; & vni Domino adhærendum eſſe inaudijt; ſi quis perfectiſſimum vitæ inſtitutum vellet amplecti; è veſtigio doctrinam hanc altiùs demiſit, & opere impleuit Non diſſimili multùm modo placuit æternæ Prouidentiæ lucidiſſimam Gemmam AVGVSTINVM ex Hæreſeon tenebris, cænoſóque tandem vitiorum lacu eripere, & Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, micanti coronæ, pulchro nexu inſerere. F

Nullus ſpem felicis æternitatis abijciat, quando deſperatiſſimi AVGVSTINI ad frugem redeunt; nec curioſiùs indaget, quare malos tam diu ferat DEVS. Diuinæ naturæ eſt, *non citò perdere, quod diu plaſmauit.* O Miſericordiam, exclamat Chryſoſtomus! Sex diebus Mundum, quantam machinam! & omnia, quæ in Mundo, quàm innumera! condidit; & ſex conſuluit, num Hiericho (vrbeculam vnam) euerteret. Vis aliam cauſam? Spe pœnitudinis non adſolet Numen ſupremum necare, etiam in flagranti delicto adulteros, rubente ferro ſiccatos, caſuctâ oſſibus medullâ liuidos &c. Tranſeunt enim Dij lanea, & tarda veſtigia. Et ſacra nos Pagina docet datos centum viginti annos ante diluuium, & lacrimis

eluerentur peccata. Missum Prophetam quadraginta diebus antè, qui interitum Niniuitis fecialis denunciaret. Deinde finit Deus vtraque crescere, ne simul triticum eradicetur. Et aulas inspice, inuenies mixtos Satrapis, & Nobilibus lixas, calones, & alia peripsemata. Et in Arca Noë animalia immunda; in area etiam paleas. S Et vocauit ad Nuptias Sponsus Virgines fatuas, & prudentes. T Denique, *Viuitne malus frustra? Non,* inquit AVGVSTINVS, *sed ideò viuit vt per eum aut bonus exerceatur, aut tandem corrigatur.*

Sine ergò, Ambrosi, vt te audiat AVGVSTINVS; intelliget sagax ingenium, & diuinâ aurâ adflatũ, quid Ecclesia Hæresi interfit, quid vera vanis distent. Si plantæ heliotropia, & selinotropia ad motum Solis, & Lunæ flectuntur; quid non AVGVSTINVS ad tam vehementem Ambrosij Enthusiasmum? Aperiet oculos suos, & Hæresin suis coloribus agnoscet AVGVSTINVS; G quæ non aliter, quàm serpens antris obscuris delectatur; quæ tenebras, & frigida loca amat, & quo frigidioribus fouetur, eò pestilentiùs nocet veneno; quæ soli vbi se aliquantisper exposuit, citò iterum apricatur; quæ, vt possit prodire, & emergere in lucem, nihil pensi habet erodere materna viscera. Intelliget paulatim Fausti fucatam, & mendacem eloquentiam, & Academicorum deprehendet doctrinam lucere, sed lucere tantùm, non ardere. Lucent & noctiluca insecta; lucent putredine consumpta ligna; lucet Luna instabilis in fidâ periodo. Prodibit sub H aspectum AVGVSTINI Catholica Veritas, quæ & lucet, & ardet, imò cum lampade, ne errare possis, iter præit, cui columbæ specie effigiatus spiritus diuinus omnia dictat.

Aliud est mendacium Hæreticorum, quod quantumuis longas aures habet, asininæ tamen sunt, & ad Veritatem percipiendam rudes; I *aures*, sed *& non audiunt*; ora, sed exanimata; crines, sed in tergum supinè deiecti, & pabulum æterni rogi: quod tametsi turpi sæpenumerò schemate, larvaque sese colorat; si quando tamen suâ facie in publicum prodit; si cerussa & stibium deest; si mundo alieno non superbit, turpissimum paret monstrum, & in colubrum, qui in fine mordebit, desinit. Inuertit Scripturam tanquam deceptionis parens; ignorantiæ caput, & peccati origo. Et quot dolos consuit, quæ mantella non

obten-

obtendit, vt videatur veritatem docere? Sed euanido labore: quomodocunque enim se vestiat vitium, pallium quidem virtutis, sed naturam non induet. Virtutem aiunt, olim è cœlo ad terram inuisisse, quæ ob inaccessæ formositatis miraculum, omnibus non tam admirationi, quàm stupori fuit. (quid enim venustius Virtute?) Iámque totum mundum peruaserat fama, aduenisse cœlo Deam, simulacrum fabrè rimè politum. Concurrunt ciuitates, & vniuersus orbis in populum effunditur: proximus quiuis Virtuti vult esse, & laudare, & spectare. Cùm autem conferta mirâ densitate turba, studio spectandi Deam pænè ipsam enecâsset, maturiori illa consilio, ne propter cœtûs multitudinem periclitaretur, ad cœlum redijt: sed in via, nescio quâ incuriâ, fortè auolandi celeritate, amittit pallium, quod Vitium (Elisæum imitari voluit) inuênit, & hoc se obnupsit. Ab illo tempore omnia vitia sese virtutum pallio tegunt, vt difficile nunc sit discernere inter virtutem & vitia: vt adeò non mirum sit, si & hæretica mendacia sese regio splendore Catholicæ veritatis ornent.

Verùm vt sol suo splendore, & stricturis contentus est; vt genetosum vinum non opus habet hederâ, nec gemmæ aduentitiâ pulchritudine; ità Veritas aliunde non opus est, vt vestiatur. Atque hæc Veritas in verbo diuino est, quæ etsi odium pariat, non occultat tamen sese. Audaci edicto prohibet adulteria (procul sint leges Lycurgi infames.) proscribit incestus promiscuos (abite Persarum tabulæ) damnat communitatem vxorum (impiæ sunto Platonis sanctiones) in exilium relegat vitæ licentiam voluptuosam (quid speras Epicure?) Non tolerat iniuriæ talionem; (occidit veteris, & imperfectæ legis litera occidens.) Increpat veritatis assertor Ambrosius somnolentos glires, venturúmque Dominum denunciat horâ, quâ minimè expectemus: excitat Petros languentes, nihil latratus canis Cynici moratur; oblatrare enim illos tantùm nouit, qui petiti sunt lapide, suâ sponte obgannire desituri. Nihil ille sannas, gerrásque æstimat, sciens Aten calumniandi Deam non tangere terram, non viles & humiles, sed summates, doctos, sanctos, alta capita perstringere.

Porrò sicut in verbo diuino veritas, ità in hæreticis declama-

tionibus mendacium est: sunt ibi vel meri Laudiceni, qui pla-
M centia loquuntur, vt molles Lutherani, qui inflant Phrygias Marsiæ tubas, & ad tripudia, saltationésque admonent; vel qui adsuunt cornua ferrea, & veluti Martiæ Bellonæ mera arma, & exterminia loquuntur, dántque ad ipsa bella signa
N infesta. Hinc Veritati Catholicæ insigne Aquila est; Hæreticis mendacijs, Anser. Altum petit Aquila, inter ipsos suspensa
O cœlos inconniuis hæret oculis, nec ad solares hallucinatur radios. Per alas Aquilæ, v intelligunt Doctores vtriusque Testamenti doctrinas: Ecclesia siquidem duobus hísce instrumentis, veluti binis alis vtitur, quarum remigio omnium inimicorum insidias superat. Vt Aquila in sublimi nidum construit petrâ, ignémque Solis fixè intuetur; ità Ecclesia supra Petram solido fundamine Solem Diuinitatis oculis Fidei irreflexè intuetur, à terra nimiùm quantùm sublata, vt nihil terrei spiret, nihil sapiat.

Contrà inexplebilis Anserum edacitas est, adeò, vt non facilè quidpiam edacius reperiri dicat AVGVSTINVS: X qui præ nimia voracitate, vt ait Scaliger, sabulum ipsum deuorant. Quam intemperantiam indicant etiam, dum cibum deferentibus præ lætitia gestientes omnibus modis adblandiuntur. Inexplebilis Hæresum fames est, & vt anseres tenella arborum germina absumunt, viridariorum herbas penitùs depascuntur, vitium pampinos rodunt, si absque custodibus passim liberè vagari permittuntur: ità Hæretici pullulantes plantulas in Viridario Christiano, & congermanescentes flosculos, Christi sanguine, ceu rore matutino conspersos miserè deuastant; si impunè intrà pomeria admittantur. Clamat Sponsus, vt claudatur Hortus, & eijciantur vulpes, quarum nomine etiam veniunt Anseres Hæretici. Queritur Fridericus quidam Aretinus, Francisci Petrarchæ optimus socius, se ruri à solis Anseribus molestari. Egressa est in diuinis Canticis Sponsa Christi in agros, & commorata in villis quietè aliquam multis annis habuit; vbi autem Pelagius, Manes, aliíque Hæresiarchæ suos nefrendes aluerunt, pasti illi non aliter, quàm linguaculi Anseres interstrepuerunt argutos olores. Conquestus est AVGVSTINVS sæpenumerò, se in

sua

Digitized by Google

ſua vrbe, Cœnobio, Epiſcopio, ruri interturbari à Stentoribus, & vocalibus Hæreticis, qui nobiliſſimum ſibi tempus furarentur, dum ſubciſiuas horas refellendis eorum falſis dogmatibus dare oportuit. & quid aio, horas? Totos dies, menſes, & annos illis impendit. Sed quid? Aquilino volatu ſurſum identidem ſe librauit, relictis in terra obeſis hæreticis, mole corporis ad inſtar altilium anſerum præpeditis.

I. *S. Auguſt. lib. 5. Confeſſ. cap. 13.* L. *loc. citato.* M. *Iſaias cap. 8. v. 1.* N. *Iſa. c. 60. v. 8.* O. *Hierem. c. 1. v. 10.* P. *2. Reg. 12.* Q. *Sap. 4. v. 3.* R. *Ezech. 37. v. 4.* S. *Matth. 3 v. 11.* T. *Matth. 25.* V. *Rabanus, & alij.* X. *Contra Epiph. Manich.*

VI. Cæterùm Verbum Dei, quod diuini Præcones, aliique Symmyſtæ proſeminant, meritiſſimo iure Virgini, & huic perpetuùm incorruptæ comparatur; omnia etenim quæ oriuntur, orta, & oritura ſunt, certò ſuum interitum habebunt, ſolum Verbum Domini manet æternum; cuius nec apicem interiturum, non Pythagoras aliquis, ſed Veritas edixit. Atque ne imbecillem aliquis animum in hac virgine exiſtimet, *Magnanimitatem* ipſam aſſociauimus, & robur quoddam ſingulare, quà obuiet Pſeudoprophetis: qui vaticinia lymphatico furore loquuntur, gloriæ cupiditate ambones conſcendunt, gaudent cum Demoſthene à mulierculis ob eloquentiam laudari; omnium digitis volũt notari plerique, qui vel à Chriſtianis legibus deſciuerunt, vel ab hæretico lacte ſummo odio illas maiori vafritie perſecuti ſunt. Quos oportet redargui, & audaci pede ſupplantari, vt intelligatur clarè, Verba Dei non omnium ori indita, nec illos miſiſſe Deum omnes, qui currunt.

Porrò vt Verbum Dei *Magnanimitatem*, ſic iſta Leonem ſuum habet: enimuerò vt Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauet occurſum; ita imperterritè Tuba euangelica inflatur, neceſſe eſt, omnibúſque qui malè agunt, ſyntereſin inijciat. Non curet Eccleſiaſtes Balac munera, ſed cum Baalaam dicat: *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti, & auri, non potero præterire ſermonem Domini mei, vt vel boni quid vel mali proferam ex corde meo: ſed quicquid Dominus dixerit, hoc loquar.* Z. Nec incongruè Leonem vides: dum venatores inſequuntur, non latet ille poſt virgulta; ſed

apertis expectat campis, vt omnium oculis videatur. quin imò cùm lucus obscurior necessariò est subeundus, acerrimo fertur cursu, ne sese abscondere, & occulere velle videatur. Ita Præcones germani non timent eos, qui occidunt corpus; sed quod audierunt in tenebris, euulgant super tecta. Leo non irascitur, nisi grauissimè læsus, & allatrantes canes contemptim præterit: nec qui suaue Iugum Christi populo pro concione proponunt, facili ex causa irascuntur, nisi maiori zelo accensi, nisi honor Dei violetur. Leo cùm dormit, vigilat oculis, ne à scorpione, aliáue venenatâ bestiâ intereat. Vigilandum Præconibus, & cogitandum sæpe: *Custos quid de nocte?* Denique Leo catulos suos pro mortuis iacentes solo suscitat rugitu. Philosophorum verò opinio est, leunculos recèns natos tribus diebus, totidémque noctibus dormire grauiori lethargo, ità vt vocali admodùm rugitu parentis excitari opus habeant. *Dormiunt*, inquit Doctor gentium, *in Ecclesia multi*, mandragorâ consopiti, & vltra veternum nonnunquam dormiunt; qui per Tubam Dei excitandi sunt. Inflent Ambrosij, vt dormientes AVGVSTINI surgant.

Y. *Prouerbiorum 30. cap.* Z. *Numeri 24. cap.*

PERIO.

Digitized by Google



Digitized by Google



ILLE SERIT, RIGAT HÆC: DEVS INCREMENTA MINISTRAT:
NON DATVR OFFICIIS HISSTERILE ESSE SOLVM.

Johannes Wandereis. Sc.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS QVINTÆ.

I. VATICINIA EPHEBI CÆLESTIS, ET ANTISTITIS AFRICANI DE BONA FRVGE AVGVSTINI. II. ALIA QVÆDAM SVFFLAMINA PERICVLOSI AD AVERNVM DESCENSVS. III. RIXA INTERIOR, & fluctus animi decumani. IV. Oda sub ficu Angelica. V. Charitatis & Misericordiæ hieroglyphica.

DIES tandem illucescit, quo Adolescens noster (nisi virum vocare malis, qui trigesimum iam annum ingreditur, & masculo robore ardua negotia aggreditur) animæ suæ prodigus, à pecuaria custodia, à nihili siliquis reuertitur, quo columba spacioſis errans agris immitis milui rapaces vngues euitat; quo imbellis, & inermis ouis famelici lupi dentibus eripitur. Satis Vlysses, & plùs quàm decem annis alto iactatus inter frendentia maria, quassásque tabulas errauit. Iaciat tandem felicem anchoram, & videat patrios focos. Satis minarum Gamalielis strenuus discipulus blaspheme euomuit, intelligat tandem quid sit cœlo contraire. Satis, aio; ab AVGVSTINO peccatum est, redeat ad saniora.

Sed magni stetit ad frugem reuocâsse AVGVSTINVM. Tardè nempe eruuntur, quæ altè iacent defossa; & inueteratos morbos haud facili spongiâ abstergimus: citò equidem crescunt ruri lolia, sed duro vomere, & lasso sarculo eradicantur. Et accipe suo quæque ordine, quantum hoc in negotio à diuersis sit desudatum. Primum post Cælites locum teneat optima Mater Monica, quę iam pridem recordata sanguinis, quę genuit, nullu non lapidem mouit, vt in tenella ætate non degeneraret Filius: at vbi Superis contrariam tenere vidit; tum enimuerò non secùs, quàm tigris amisso catulo, susq; deque quocunque gentiu

Filius

Filius excurreret, magis itineribus est secuta. Patriam AVGVSTINVS Tagastum reliquit, Medauros deseruit, Carthaginem eruditionis ergò petijt. Natalis illa immemor soli patriam, & Medauros reliquit, Carthaginémque est profecta, curam domesticam emolumento alieno postponens. Soluitur ille in luxum, & non aliter, quàm grauida nubes resoluta in cisternam cadit. Soluitur illa in lacrimas, & beatas matres, nubes, clamat, quæ meteoris absque sterilescunt, & non parturiunt. Indormit *ille* oscitanter saluti, & somniat vanitatum inania: inuigilat *illa*, & somniat meliorem Filium. Atquelicet curæ, quas vigiles seriò tractamus defixiores, noctu per somnia plerumque recursare soleant, & ex principijs rerum interdiu tractatarum subnasci; Deus tamen sæpissimè nocturnorum simulacrorum Morpheus ipse est, qui futura clarè in tenebris ostendit, & anxias consolatur mentes, quod in Monica eximiè ostensum est.

I. Nocte concubiâ, cùm altiùs indormijsset curis etiam defessa, derepentè in quadam lignea regula stantem, & ad se venientem miri splendoris Iuuenem vidit, omnia hilarem, & suauiter arridentem; cùm Monica sibi interim visa est altùm ingemere, & lacrimis confici. Hîc Genius cælestis causas inquirere abea mæstitiæ, & perpetuarum lacrimarum, docendi (vt assolet) non dicendi gratiâ. Illa respondere; perditionem Filij se plangere. AVGVSTINI, inquit? Secura esto; & vt fidem habeas, aduerte, mea Mater, Filium tuum ibi stare, eúmque tramitem tenere, quem tu. Quod illa vbi curiosiùs attendit, Filium vidit propter se eidem regulæ institem. Experrecta cælesti hoc ostento, nihil magis habuit, quàm vti ad Filium properè curreret, & ordine visum cum fide aperiret. Verùm cùm narrantem Matrem deluderet Filius, & ad se potiùs trahere spectaculum vellet, vt Mater se potiùs futuram esse speraret, quod ipse erat: extemplò sine vlteriori deliberatione: *Non*, inquit, *Fili, non enim mihi dictum est; vbi ille, ibi & tu; sed vbi tu, ibi & ille.* Hoc erat somnium, quò primò de Filio melius sperare Mater incepit; & Filius de salute sua, licet oscitanter, cogitare. Nam vbi responsum AVGVSTINI tam citò Mater retorsit, non potuit non cogitare aliquid subesse. *Confiteor*, inquit, *amplius me isto per Matrem vigilantem responso tuo, quod tam*

vici-

vicinâ interpretationis falsitate turbata non est, & tam citò vidit, quod videndum fuit; quod ego certè, antequam dixisset, non videram, etiam tum commotum fuisse. A.

Accidit hoc somnium nouem circiter annis priùs, quàm Filius ad Ecclesiam redijt, vt ità piæ Fœminæ gaudium tantò post futurum ad consolationem tunc præsentis sollicitudinis, tantò ante prædictum fuerit. Cæterùm non inania semper somnia, & meras deluſiones esse, meridianâ luce clarius est. Sæpe in veteri Testamento promisit Deus, se Prophetas in somnis docturum. B. Profectò apud Parentem vatidicus Iosephus, multis annis antè imperium, quàm tenuit, somniauit. C. Sic Pharao in bobus, & aristis fertilitatis, & famis; D. Nabuchodonosor diuinæ vltionis; E Ioseph Sponsus Virginis secundùm quietem fugæ fuit admonitus, vt pergeret cum diuino Pusione in Ægyptum. F. Sic denique tres Sapientes, vt aliâ in patriam reuerterentur. G. Cicero aliquis nocturna monita pro vanis somnijs repudiet; Christiani hominis non est nocturnas scenas, vt Scipionis somnia putare.

Hâc oraculi spe erecta Monica, quamuis nunquam non satageret Filio studere; quantò tamen magis in vitia ille delapsus est, tantò feruentiùs hæc DEO rem Filij commendabat. Nec satis Parenti erat votis, precibus, geniculationibus, humicubationibus, alijsque supplicijs vltrò irrogatis pulsare Cœlum, nisi etiam hominum opem imploraret, si quos boni nominis offendisset. Accipe enim alterum præsagium. Post aliquem temporis decursum conuenit Mater Antistitem quendam magno nomine, & opinione sanctitatis, & opportunè, importunè precibus institit, vti dignaretur sermonem cum Filio suo instituere, refellere illius errores, & dedocere mala. Verùm Episcopus prudenter sanè tum noluit; nam, respondit, AVGVSTINVM prorsus adhuc tam altæ doctrinæ (qualis Christianorum) incapacem, & indocilem esse, eò quòd inflatus incederet nouitate Hæresum, & nonnullis quæstiunculis iam multos imperitos alto supercilio exagitâsset; sed sine tu, ait, sciolum superbum; vltrò legendo reperiet ipse, in quantis viuat erroribus: in reliquo se non omissurum Filium Deo commendare; faceret & mater suũ officium. Addidit Episcopus alia multa, quæ in rem videbantur:

A

B

tur: sed illa minimè contenta hoc responso, instabat vbertim flendo, vt Filium accerseret, & cum eo maturè dissereret, hócque tam diu, quousque ille iam stomachabundus ablegaret Feminam: *Vade*, inquiens, *à me; ità viuas: fieri enim non potest, vt Filius istarum lacrimarum pereat.* H Quod responsum Monica ità accepit, vt si de cœlo veniisset. Solent pij parentes pro pignoribus suis excubare. Princeps Iairus quid non amoris defunctæ dedit filiæ, quot precibus Deum fatigauit? Filia enim in extremis decumbebat & moriebatur. I Et Regulus quantâ demissione libellos supplices obtulit, vt descenderet Seruator ad filium, qui incipiebat mori? L Quàm Martha, & Magdalena prò germano cucurrerunt? M Quid ergò mirum, Matrem hîc Filio non defuisse, quem præ vita sua amabat? Multa silentio libens inuoluo, seu quæ Mediolani, seu quæ Carthagine, seu quæ quocunque locorum in Filium contulit studia.

A. *S. August. lib. 3. Confess. cap. 11.* B. *Num. 12. v. 6.* C. *Genes. 37. v. 9.* D. *Genes. 41.* E. *Daniel 2. v 31. & seqq.* F. *Matth. cap. 2. v. 13.* G. *Matth. 2. v. 12.* H. *lib. 3. Confess. cap. 12.* I. *Marc. 5. Luc. 8.* L. *Ioan. 4.* M. *Ioan. 18.*

II. Alterum, quod, ne in præceps rueret, sufflaminauit, fuit, quia Manichæos aperti erroris iam dudum ex vero conuicerat, Faustúmque Catamitum suum, omnémque eius dulcedinem, veluti recoctam crambem respuerat; nam præterquam quod infausto omine mortis laqueus multis erat, non poterat Faustus impedicatum AVGVSTINVM laqueis absoluere. De Elpidio hîc nihil ampliùs mentionis inijciam, qui coram AVGVSTINO omnes Hæreticos ità elingues fecit, vt nec mutire illi quidem ausi fuerint. Discussis & repudiatis Manichæis, soli aliquantisper retinebant Academici, quibus & ipsis tamen non diu etiam studuit, sed quantumuis nasutis nasturtium porrexit. Quomodo enim salutem suam tutò illis quis crederet, qui suismet sensibus non crediderunt, & quorum res à Medicis deponitur? Enimuerò multis diludijs Galenus fatigat incomprehensibilitatem Academicorum, asseuerans credi quàm maximè oportere oculis, ac palato: &, vt ipse ait; an hoc pomum, hunc ficum esse non credis? O magni Viri Academici, exclamat per antilogiam AVGVSTINVS, nihil ad agendam vitam certi comprehendi potest. N. Deinde ab his disciplinis non parùm absterruit;

quòd

quòd tantò tempore Penelopes operam semper texeret, & in eodem luto hæsitaret; quippe ab vndeuigesimo anno ætatis suæ, quo feruere cœperat studio Sapientiæ, ad tricenariam ætatem vsque non aliter fluctuabat, quàm si quis è portu soluens, vndique ventorum turbinibus quoquouersum iactetur: quidiu oberrans vbi omnem spem nauigationis prosperæ amittit, nihil consultius putat, quàm si ad portum, vnde soluerat, reuertatur. Ità nempe qui à decimo nono anno Veritatis indagandæ cupidus, Ingenij vela panderat, Manichæorum impetu raptus, cæcáque offusus diu caligine, & in incerto errans, vbi aduertit se identidem longè longiùs à portu, quem quæsierat, Veritatis abesse, nec apud Academicos portum aliquem Veritatis, sed reuerà stationem tantùm esse malefidam, magno desiderio illum iterùm portum benè quærere cœpit, vnde malè soluisset; ac (licet serò) nouit tandem veræ illam Veritatis tutissimam mansionem, in qua primo adultæ ætatis tempore versatus esset, dum à parentibus est Ecclesiæ traditus, & in Sacramentis, ceu Tiro institutus. Reliquit ergò tandem omnes omnium Hæresum errores, & ad orthodoxam Ecclesiam rediuit; quod vbi Matri aperuit; verbis explicari non potest, quantum exilierit, quòd elatum iam Filium suæ cogitationis feretro Viduæ sibi Deus ad vitam reuocare incipiat: iam enim sibi videbatur audire: *Adolescens, tibi dico, surge.* Iam putabat è sarcophago Filium loqui, & sibi Matri reddi, portitoribus (Manichæis & Academicis) stare iussis.

Tertiò, meliorem vitam persuasit, mirum sacri Baptismi effectum; manebat altiori mente, sodalium olim suorum optimum aliquem febri correptum, & in sudore lethali defixum, subitò præter omnem expectationem post salutarem Fontem restitutis viribus reuixisse. Ex hoc argumẽto vana esse Manichæorum & Academicorum dogmata; vera autem Catholicorum, vtpotè apud quos multa suprà naturam contingerent, prudenter collegit. Cæterùm is erat sodalis iste, quem postea mortuum ità planxit, vt nullum locum longo tempore consolationi dederit: & ob quem illi Patria supplicium, paterna domus infelicitas videbatur, in cuius recordatione solus illi fletus dulcis erat, ô. Nam vna in studijs coaluerant, & confloruerant, puérq; cum puero, cùm litterarũ, tùm ludicrorũ gymnasia frequentauerat.

Quartò; acres stimulos addidit pauperis quidam rogator Mediolani visus. Panegyricam Kalendis Ianuarijs habiturus orationem AVGVSTINVS coram Bautone Consule recèns electo, exopinatò offendit in publico festiuè lepidéque iocans mendicabulum, iam credo reliquijs mensarum saturum. Offensus his gesticulationibus ostiarij, vellicat comites amicos; viderent effusas extremi hominis delitias, se interea omnibus suis ærumnosis laboribus, sub stimulis cupiditatum trahere infelicitatis sarcinam, nec id assequi posse, quod pauper iste pauculis, & emendicatis nummulis adeptus esset. Proinde inhiare honoribus, lucris, coniugio, hoc demùm omnis miseriæ pegma videri.

Quintò; ad saniorem mentem reduxit diuturna necessitas, quam cum Simpliciano quodam iniuit. Iam longè alias cogitationes, quàm paulò ante, de futura beatitudine animo coquebat, certóque secum statuebat illam præmium indubitatum fore omnibus, qui ad Christiana scita animum & mores conformarent. Et quamuis supera Beatitudo, ceteráque æterna omnia obscuriori modo quodam, & quasi per speculum adhuc obuersarentur, omnem tamen procul dubitationem de incorruptibili substantia ablegârat, vnde omnia ceu ex perpetua scaturigine promanare intellexit. Vnicum ferè torsit, quâ demum ratione cor suum à veteri fermento, & dehonestamento purgaret: placebat quidem Via ad cœlum, ire tamen per calles angustiores pigebat. In isto cogitationum salo, incertus animi, certus fingendæ in melius vitæ, ad nominatum Simplicianum perrexit. Erat hic famigerabilis, vitæ morúmque integer senex, à puero in omni Virtutum genere eximiè institutus, ínque orthodoxis rebus edocendis cum annis admodùm grauis. Huic suos æstus, rodentéque curas AVGVSTINVS aperire cogitauit, & de tenore in posterum seruando sedulò inquirere; quis nempe aptus esset modus sic affecto, vt ipse erat, ambulandi in via Dei, & vbi locorum degere, consultissimũ iudicaret. Videbat diuersis itineribus ad vnũ tendere plerosq; scopũ, & *alium sic, alium sic ire.* Placebat reliquã ætatem à mundanis procul habere, nec seruitutẽ tam tyrannicam inter inflammantes cupiditates, inter spes honoris, & fortunæ seruire, æstúmq; diei sine spe lato denario ferre. Quamuis autem omnia facilè sperni

posse

posse viderentur, *præ dulcedine, & decore domus Dei*; quo corpus tamen aduersùs lasciuos insultus de reliquo tueretur, & doenc viueret, Castimoniam seruaret, hoc vnum laborabat: videbat enim nec Apostolum Coniugem dissuadere, quamuis ad cœlibatum exhortaretur. Et ex ore *Veritatis* habebat; esse spadones, qui se ipsos emascularent spe æternitatis; subiunxisse tamen *non omnes hoc capere*. Itaque ab omnibus vitijs facilè eximi poterat, si pedicæ carnis progressum non impedirent. Diu deliberato, quid agere vellet, & non inuento; Simpliciano, quàm periculosè hactenùs in Manichæos incidisset, quàm nũc denique libros Platonicos volueret, multis ambagibus significauit. Ille autem vbi accepit AVGVSTINVM libros Platonicorum, quos Victorinus quondam Rhetor Vrbis latinitati donauit, legisse, gratulatus est illi, quod non in aliorum potiùs scripta incidisset plena nequitiæ, & fallaciarum.

Secundùm hæc ab ipso Victorino auspicatò sermonem exorsus, cœpit AVGVSTINVM admonere, aduerteret etiam atque etiam, cuius authoris libros legisset, & extemplò; Victorinum, inquit, hunc tuum familiarissimum Romę olim habui, doctissimum planè Senem, & Liberalium vndequaq; Scientiarũ peritissimum, qui Philosophorum tam multos legit, examinauit, elucubrauit, vt Doctor tam nobilium Senatorũ ob insigne præclari Magisterij statuam in Romano foro meruerit. Hic tantus, ac talis Victorinus, licet idolorum cultor eximius vsque ad vltimos ferè annos omnigenũm Deũm monstra, Anubem latratorem, Mineruam, Neptunum, aliáque profana, ac vana nomina, ore terricrepo defensârit, non erubuit tamen nostræ Disciplinæ tiro esse, & infans Fontis baptismalis, subiecto collo ad demissionis Christianę iugum, & edomitâ fronte, ad Crucis opprobrium. Et videsis, quàm Deus inclinauerit cœlos, descenderit, & hunc montem superbiæ tetigerit? In pretio semper habebat bonus hic Senex, & attentè tractabat sacras Litteras, omnésque nostras Leges perquam studiosè inuestigabat: cùm autem Christianis mysterijs semper magis ac magis caperetur, dicebat mihi non quidem palàm, sed secretiùs, & familiariùs, Noueris, mi Simpliciane, me iam esse Christianum. Cui ego: Non credam, nec te prius inter Christianos numerabo, quàm in Ecclesia Christi te

videro Ille autem suauiter renidens; Quasiuerò, respondit, parietes faciant Christianum. Et hoc sæpe repetebat, se nempe esse Christianum. Ego autem solenne meum tenebam; me tum demùm verbis eius fidem habiturum, si in Ecclesia nostra viderem. Verebatur bonus homo amicos suos, superbos dæmunculos, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quasi ex cedris Libani, quas nondum contriuerat Dominus, grauiter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. Verùm posteaquam ex studiosa lectione Pietas robur sumpsit, timuítque ne à Christo non agnosceretur in decretorio illo die coram Angelis, si Christum timeret coram hominibus fateri; depuduit vanitati, & maioribus animis me inuadens: Eamus in Ecclesiam Christianorum, Religione initiari volo. Quid mihi tunc accidere poterat iucundius? Ibam lætus, & comitabar. Atque vbi imbutus est primis mysteriorum rudimentis, haud multò post etiam nomen dedit, & in album inscriptus est, vt per Baptismum regeneraretur, mirante totâ vrbe, effusâ in lætitiam Ecclesiâ. Ringebantur superbi, & quando aliud nil potuerunt, dentibus stridebant, & tortuosis supercilijs tabescebant: Candidatus verò iam Dei Victorinus maiores semper spes concipiebat. Denique vt ventum est ad horam profitendæ Fidei, quæ verbis certis conceptis, memoriáque retentis, de loco eminente, aspectante totâ concione Romæ reddi solet à Catechumenis, oblatúmque esset Victorino, vt secretiùs diceret Fidei formulam; verecundiæ suæ concedentibus, maluit publicè profiteri, & salutis negotium in Rhetorica non stetisse affirmabat, quam tamen ex
» publica cathedra profitebatur. *Vbi ascendit, omnes collatis*
» *capitibus conferebant, & mutuò sibi quisque ex animo gratu-*
» *labatur; & sonuit presso sonitu per ora cunctorum colletanti-*
» *um; Victorinus, Victorinus. Citò fonuerunt exultatione,*
» *quia videbant eum: & citò siluerunt intentione, vt audirent*
» *eum. Porrò pronunciauit ille, & cuncti rapiebant cum in*
» *cor suum, & rapiebant amando, & gaudendo. He rapientium*
» *manus erant.*

Hucvsque Simplicianus. Quæ mirè rapiebant AVGVSTINVM, qui quasi extrà positus, cum admiratione quærit, vnde profi-

ciscatur,

ciſcatur, & quare relinquat Chriſtus incuſtodito paſtu nonagintanouem oues, vt vnam quærat, & humeris impoſitam ad caulam veram deportet? Sed maiorem baliſtam adhuc Deus admouit, quâ penitùs fregit AVGVSTINI animum, quò temporiùs ſeſe omnibus rebus abdicaret, quæ impedimento eſſe poſſent ad ſalutis ſtudium.

Agebat AVGVSTINVS, ſolito creſcente mærore, & quot diebus ſuſpirabat. Frequentabat Eccleſiam, quantùm quidem à negotijs, ſub quorum pondere degebat, licuit vacare. Vnà erat Alipius, otioſus tum à forenſi ſtrepitu, præſtolatus, ſi qui venirent, quibus conſilia venderet, quemadmodum AVGVSTINVS dicendi facultatem, ſiqua dicendo præſtari poteſt, vænum propoſuit. Cùm quodam die, neſcio quam ob cauſam, ad illos inuiſit Potitianus (nam & hic Africâ oriundus, conſodalis, & conciuis AVGVSTINI erat) præclarè apud Imperatorem in palatio meritus; ſalutatione acceptâ, & redditâ, conſedêre, vt colloquerentur; cùm inopinatò ſupra menſam luſoriam aduertit Potitianus codicem, tulit, aperuit, & Apoſtolum Paulum eſſe vidit. Tum arridens, & ſuauem obtutum in AVGVSTINVM defigens, gaudio percelli cœpit quòd hunc, & ſolum præ oculis potiſſimùm haberet librum; Zeloſus enim erat, & pijs operibus admodùm deditus Potitianus: cui cùm AVGVSTINVS aperuiſſet, quòd in ſacra Lectione curam nunc maximè, & tempus impenderet; cœpit Potitianus ex compoſito ſermonem inijcere de Antonio, Ægyptio Monacho, cuius nomen in Eccleſia clarebat, ſed AVGVSTINVM in illam vſque horam latebat. Quam ille ignorantiam cùm AVGVSTINI, tum Alipij vbi comperit, defixus aliquantùm in cœpta oratione, mirabatur tam inclytæ famæ virum ab aliquibus ignorari poſſe; nec minùs AVGVSTINVS teſtatiſſima ſuſpiciebat miracula propè ſuis adhuc temporibus facta, quia magna erant, & inaudita, quæ in medium hoſpes protulerat.

Inde ſermo deuolutus eſt ad Monaſteria, Cœtus, & mores ſuauolentiæ cæleſtis, & vbera deſerta Eremi, quorum illi penitùs nihil ſciebant. Atque quod fidem ferè excedit, erat Monaſterium Mediolani extra vrbis pomeria, Præſide Ambroſio, refertum optimi nominis hominibus, nec hoc adeò AVGVSTINVS

Digitized by Google

cum socio agnouerat. Sed pertendit ille filum, & sermonem continuat, AVGVSTINVS verò, & Alipius tacebant, & ab ore loquentis taciti pendebant. Itaque Potitianus recenset; se quondam cum alijs tribus contubernalibus apud Treuiros, cùm Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, animi gratiâ exisse deambulatum in hortos muris contiguos, atque illic, vt fortè combinati spatiabantur, vnum secum aliorsum à duobus reliquis digressum; illos alteros autem, prout vagi errabant, deuenisse ad quandam casam, vbi agebant serui DEI spiritu pauperes; & inuenisse ibi Codicem, in quo descripta erat vita Antonij, quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari, quâ ratione & ipse relictâ militiâ seculi, cœlo stipendia faceret. Simul inflammatus amore sancto, & sobrio pudore irascebatur sibi, & oculis reuerberans amicum: Cedo, sodes, quæso te, ait, omnibus istis laboribus nostris quid ambimus? quid quærimus? quid militiam sequimur? Altiúsne spes excrescere nostra poterit, quàm vt in amicitiam Imperatoris intromittamur? Et hoc quàm vanum, plenumque periculis? per quot pericula ruimus ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbulentissimis affectibus parturiebat nouam vitam; mutabatur intus, & exuebatur mundo mens eius; nam post hæc statim, reddidit iterum paginis oculos, & post multos animi fluctus infremuit aliquantùm, iámque quietus ait: Abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui, & ex hac hora, in hoc loco aggredior: te si piget, noli aduersari. Nec diu cogitationes alter in senatum vocauit, sed adhæsiturum se socio respondit, tantæ mercedis, tantæque militiæ.

Post aliquot horarum spatium ego, & qui mecum per alias viridarij partes deambulauimus, relegentes sociorum vestigia, in eundem deuenimus locum, & monuimus vt rediret, diem in vesperum pronum abire. At illi per compendium narrato placito suo, petiêrunt ne incommodaremus, si adiungi recusaremus. Nos nihilo mutati à priſtinis; defleuimus illos, atque in vltimos amplexus omnes, commendauimus nos

oratio-

orationibus eorum, & postliminiò ad palatium diuertimus. Illi autem affixerunt cor cœlo, & in casa manserunt. Sed & hoc aduertendum; Deicolæ noui isti vterque desponsas habebant, quæ vbi de meliori amasiorum statu sunt edoctæ, consecrârunt & ipsæ Deo se Virgines.

Inter hanc narrationis seriem retorquebat frequenter se, AVGVSTINVS ad seipsum, & velut in speculo clarùm cernebat, quàm turpis, quàm distortus, & vlceroſus esset. Iam Thersites se visum fugiebat, horrebat, sed à se abire non poterat, & obuersum speculum germanam AVGVSTINI reddidit imaginem; nec aliud erat speculum, quàm historia, quâ de Potitianus; qui ignorans etiam ostendit nævos. Viderat se AVGVSTINVS, sed dissimulabat, conniuebat, obliuiscebatur; & quantò ardentiùs amabat illos, de quibus audiebat salubres affectus, tantò sese eis comparatum execrabiliùs oderat. Q. Ad hunc modum rodebat fibras vultur Potitianus, & confundebat pudore horribili vehementer, finitóque sermone abijt, quâ venerat; sed AVGVSTINVS ad se redijt.

N. *Augustin. lib. 8. Confess. cap. 11.* O. *lib. 4. cap. 4. Confess.* P. *lib. 8. cap. 31* Q. *lib. 8. cap. 7.*

III. Iam autem quis fando prægnantes eloquatur cogitationes AVGVSTINI? Quibus sententiarum verberibus non flagellauit animam suam, vt sequeretur se conantem ad DEVM ire? Sed præfractè renitebatur, & recusabat omnibus modis, quamuis non se excusabat. Vndique premebant argumenta, & nutabat AVGVSTINVS in omnes partes, & quomodo ad tumultuariam disputationem hanc solus, & vnicus sufficeret? Ceu nauis vndique ingentibus fluctibus in medio cingitur ponto; ità mens eius in diuersa abiens errabat, nihilque satis consulebat. In hac grandi rixa interioris domûs, quam fortiter excitauerat cum anima sua; quà vultu, quà mente turbatus inuadit Alipium, & exclamat: *Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce, vbi volutamur in carne, & sanguine?* R.

Dixit huius generis non pauca, & hærebat fixè Antonius, binique illi aulici, de quibus Potitianus. Sed AVGVSTINVM C

Alipius attonitis obseruabat tantùm oculis, nec verbũ addidit; viderat enim sui iã minimè similẽ, nec solita loqui. Plus animus, plus frons, genę, oculi, color, dicebẽt, quã verba, quæ promebat; ita nihil in AVGVSTINO sibi constabat: & cũ dicto se surripuit ab Alipio. Ità natura dictat, vt solitudinẽ & angulos mens fluctuans amet. Nec inscitè profectò iudicauit AVGVSTINVS, rudes rerúmque inexpertes animos rectiori plerumque ad cœlum viâ petere, & nec alphabetarios quidem Antonios à doctissimis hîc non superari Hortensibus. Ferè semper alta ingenia altè cadunt, & suis scientijs immersi cetera omnia cum salute etiam tumore quodam diffiant. Philosopheturin Athenęis Socrates in mirabilibus super se, æternam tamen non euadet mortem, quam cicutâ hausta accelerauit. Superbiat Protagoras, & nihil
D de *Dys*, neque *vt sint*, neque *vt non sint*, habeat dicere; s. damnabitur tamen, & ab ignoto Deo comburetur, quemadmodum factum est publico decreto cum libris eiusdem. T Tonent in pulpitis suis Marcus Crassus, & Tullius Cicero, ibunt tamen ad Tonantem Stygem, & æternùm timebunt. Antiquos deuenerentur noui Philosophi, & glorientur ab illis inuentos cœlos; non inuenient tamen cœlũ illi empyreũ, quando fortassè vel ipse princeps Aristoteles toto cœlo à cælo aberrauit. Etiã, quem Christianum tamen dicimus, Seneca turpiter à scopo, qui omnibus scopum præfixit, cecidit. Taceo Origenes, taceo mille alios, qui insonoro vestigio facili descensu abiuerunt ad Plures, & iam cum Hannibale, qui Romam expugnaturus bis imbre densissimo coactus recedere, cùm statim post pugnam potuisset, clamant; *Cùm potui, non volui; cùm volui, non potui.* Scilicet serò sapiunt Phryges; & cùm iam ceciderunt, primùm agnoscunt periculum. Sic vt quisque ferè ingeniosior est, ita infantior in salutis negotio; & dum cum Thalete Milesio cœli, astrorúmque cursus perpendimus, puteum æternæ damnationis, in quem incidimus, non videmus, *vbi Mors depascet eos.*

Sed ad AVGVSTINVM redeo, qui & ipse inter doctos doctissimus ferè cecidisset, nisi vox diuina currentem sufflaminâsset. Post multam animi, cogitationúmque rixam, & intestina bella descendit AVGVSTINVS in hortulum suum; quo

illum

illum abstulit æstus pectoris, & quo ad curarum solitariam libertatem solemus secedere. v. Non de nihilo Hortum inde aliqui nominant, quòd oriatur ibi aliquid: orietur hîc nouus AVGVSTINVS, felix partus. Ingressus est hortum, vt nemo impediret ardentem litem quam secum aggressus erat. Iuit in hortum sui iam non compos, & insanijt furore salubri, *& moriebatur vitaliter gnarus, quid mali esset, & ignarus quid boni post paululùm futurus esset.* x. O felix Viridarium! Pendulo Semiramidis, Hesperidum aureis pomis illustri, Adonidis & Alcinoi, & ipso deniq; paradiso gratiorem! In illo enim sese cum humano genere amisit AVGVSTINVS, in hoc se inuênit. Iuit in hortũ; sed vestigia AVGVSTINI tacitè legit Alipius; & sedêre vterq;, quãtùm potuêre remoti, ab ædibus. Cùm nõ diu moratus AVGVSTINVS, cœpit infrendere spiritu, & indignari, quòd non iret post Deum, quò eundũ esse omnia tamen ossa ipsius clamarent, quòd non iret, quò nõ imus nauibus, aut quadrigis; sed votis. Et quid putamus AVGVSTINVM ab incepto itinere abstinuisse? Si placet vellere crines, frontem plangere, consertis digitis amplexari genu; statim vellimus, plangimus, amplexamur; quia volumus. At si animus est Deum sequi, & ire per anfractus, ire per angusta; mille obstant impedimenta, quominùs possimus. Vnde hoc monstrum, & quare istud? Imperat animus, vt moueatur manus, & tanta est facilitas, vt vix à seruitio discernatur imperium. Imperat animus, vt boni quippiam velit animus; nulla exequutio, languent omnia. Imperat, vt velit, qui non imperaret, nisi vellet; & non fit, quod imperat. Vnde hoc monstrum? Subrepit nempe mater Acedia, ægritudo animi, tabifica illa lues, vt homo ferreâ vitiorum consuetudine impeditus, ad vniuersa bona se non solùm tardum, sed quasi impotentẽ inueniat. Quale monstrum? Testudineo pede tardũ vestigium, & rancidis, languidisque auribus, & quidquid aggreditur, ceu cancri gressus retrocedunt. *Vult, & non vult piger.* y Et effeminato ardua quæq; corde aggreditur: pigrũ siquidẽ deijcit timor qualiscunque. Voluit quidẽ Deo se dicare AVGVSTINVS; sed omnibus, rei maximè vxoriæ renuntiare, hic labor, & hoc opus erat. Blandiebatur voluptas, fallebat securitas, reuocabat cõsuetudo. Ad hunc modum ægrotauit, & seipsum accusans solitò acerbiùs, ac volutans, & versans se in vinculis, donec abrumperetur totum,

totum, quo iam exiguo admodùm tenebatur; sed tenebatur tamen, & instabat Deus seuerâ misericordiâ, flagella ingeminans timoris, & pudoris, ne rursùs cessaret, & non abrumperetur idipsum exiguum, & tenue, quod remanserat, & reualesceret iterùm, & robustiùs abiturientem alligaret. Heu, quanta negotia inolita consuetudo facessit?

Obgannijt sibi AVGVSTINVS identidem: Ecce modò tandem fiat. Iámque pænè faciebat, & supinâ procrastinatione non faciebat; & conabatur ad Deum ire, & paulominùs ibi erat, & paulominùs iam iámque attingebat, nec tenebat; plúsque in illo valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum. Retinebant illum nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ eius, & succutiebant vestem carneam, & submurmurabant: Dimittísne nos, AVGVSTINE? Et à momento isto non erimus tecum vltra in æternum? & à momento isto non licebit tibi hoc, & illud in æternum? Deum bonum! quas sordes suggerebant, quæ dedecora? Et audiebat eas iam longè minùs quàm dimidius, non tanquam liberè contradicentes eundo in obuiàm, sed velut à dorso mussitantes, & discedentem quasi furtim vellicantes, vt respiceret. Retardabant illum cunctantem, & dicebant: Putásne poteris? Sed iam tepidissimè hoc dicebant: nam casta dignitas Continentiæ, serena, non dissolutè hilaris, honestè blandiens, ex altera parte vocabat, vt non dubitaret; multos memorabat pueros, & puellas, omnis ætatis & sexûs, graues viduas, teneras Virgines, effætas anus, in his omnibus Continentiam nequaquam sterilem, sed fœcundam matrem filiorum gaudiorum de marito Deo. Irridebat Castitas AVGVSTINVM morsicantibus verecundè oculis, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti, & istæ? An verò isti, & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Quid in te stas, & non stas? Proijce te in eum, noli metuere; non se subtrahet, vt cadas. Proijce te securus, excipiet te, & sanabit te. Z.

R. *lib. 8. Confess. cap. 8.* S. *Cicero lib. 1. de Natura Deorum.* T. *Lactant. lib. de Ira Dei.* V. *ex lib. 8. cap. 8. Confess.* X. *loco citato.* Y. *Proverb. 23. vers. 4.* Z. *Omnia fere ex lib. 8. Confess. cap. 11.*

IV. Non erant hæc seu monita, seu audita, aut visa arundineæ sagittæ, sed catapultæ, & arcubalistæ, quibus AVGVSTINI

ani-

animus verberabatur, nec diutiùs internas animi passiones dissimulare poterat, facie occultum hospitem prodente, maximè vbi attentior consideratio totam miseriam, quasi sub aspectum congessit: tum enimuerò oborta est procella ingens, præcipitem fetens imbrem lacrimarum, quem vt absque cataractis impedientibus totum effunderet liceret, surrexit ab Alipio, & secessit remotius, quàm vt posset illi pnerosa eius esse præsentia. Surrexit enclipsatâ nimis mente, fletu grauidus; nec ausus est Alipius sequi. Vbi remotior sub quandam fici arborem strauit se, & dimisit habenas lacrimis, & tota dederunt oculi fluuiorum. Simul duellantem Serpentem cum AVGVSTINO vidisses: ille ipse infernalis, qui in cœlis cum *Fortitudine Dei Michaele*, &c. in paradiso cum protoparente Eua, &c. in Chaldæa cum Patientiæ exemplo Iobo, &c. etiam hic sub arbore pugnauit cum AVGVSTINO; Et si mentem Sauli inferus iste veterator turbauit; si sensus Nabuchodonosoris fascinauit; quales vires exeruisse credemus in AVGVSTINVM? quocunque mentem oculósque intendit meros nodos, laqueos, labyrinthos inextricabiles infelix Dædalus vidit; accessit coruinus clamor, qui sexcenta obstacula posuit. Sed *qui portas æreas fregerit, qui vectes ferreos confringit*, perplexum animum serenauit, rodentes vultures effugauit, omniáque offensacula remouit.

Princeps olim Apostolorum dormierat in carcere, & vinctus duabus catenis erat, excitatus tamen ab Angelo, & abire iussus est: sed catenæ obstabant? statim & illæ de manibus ceciderunt. Sed adetant quaterniones militum? at Dominus soporem eis immisit. Sed porta ferrea aditum interclusit? at vltra aperta est. &c. Et AVGVSTINVS noster in vinculis hic est, & dormit peccatorum lethargo: venit tutelaris Angelus, & excitat per conscientiæ remorsum percusso latere: sed vigilant excubitores strenuè in perniciem, Caro, Consuetudo, Societas; at Dominus soporat eos. Obstat ferrea difficultatum porta, quæ exitum omnem negat; sed aperit Dominus, & fiunt prauа in directa, & aspera in vias planas. &c. Vnde ista? *Sed tu Domine vsquequò? Vsquequò irascêris in finem? Ne memor fueris iniquitatũ nostrarum antiquarũ. Quamdiu cras, & cras? quare*

„ *quare non modò? quare non hac hora finis turpitudinis meæ?*
„ HH. *Quousque coruinum cras canam? quousq; procraſtinator*
„ *differam?* Cras, cras, vox corui eſt: ipſa res eſt, quæ multos oc-
H cidit. Cùm dicitur, cras, cras, & ſubitò oſtium clauditur. Remanſit foris cum voce coruinâ, quia non habuit gemitum columbinum. II.

Ruminabat iſta ſecum, & diffluebat in plangores amariſſimè. Sed adeſt quamprimùm clementiſſimum Numen; & qui flentem Petrum audito galli cantu reſpexit, dolentem etiam AVGVSTINVM non deſpexit; nam ſubitò in vicinia ſuauiſſimum audit concentum, crebrò illud repetentem: *Tolle, lege; tolle, lege*: ſtatimque mutato in diuerſa vultu, intentiſſimâ curâ
I cogitare cœpit; vtrumnam ſoleret puellaris chorus in aliquo fortaſſis ludendi genere tale aliquid cantillare? nec occurrit ſe totâ vitâ ſuâ ſimile quid audijſſe. Proinde vocem diuinam eſſe, quæ de ſalute moneat, perſpectum habuit. Ad Ciceronem olim obſeſſum, ac pænè deſperatum Iulius Cæſar in vrbem eiaculabatur ſagittam, cum tali epigraphe: *Cæſar Ciceroni fiduciam optat; expecta conſilium.* LL. Supremus Cæſar miſit vocem iſtam, vt fiduciam conciperet, legeret, & tolleret tantùm. Meminit etiam AVGVSTINVS vocem de cœlo lapſam ad Paulum; de cathedra ſacra ad Antonium, & ad alios; repreſſóque lacrimarum impete, ſerenatâ & enubilatâ fronte non aliter monitum hoc eſt interpretatus, quàm quòd ſibi denuntiaretur, aperiret Pauli Codicem, & auſpicatò illum legeret locum, quem incideret. Itáque præpropèrè redijt ad Topiarium illum, vbi inter flores adhuc ſedebat Alipius, inibi enim reliquerat librum Apoſtoli, quem auidâ manu arripuit, & quam oculus primùm offendit paginam, legit ſub ſilentio. Occurrit autem primò illud ad Romanos 13. *Non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione; ſed induite Dominum IESVM Chriſtum; & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentijs.* Quas Dei per Apoſtolum minas vbi altiùs animo concepit, non vltra placuit pergere, neque opus erat: ſtatim quippe luce ſecuritatis infuſâ, omnes penitùs tenebræ diffugerunt; ſimul interiecto ſigno clauſit librum, & explicatiſſimo vultu totam ſcenam ſibi cælitùs ſub

ficu

ſicu oſtenſam Alipio recenſuit: nec hìc non tactus, contentè L
petijt videre, quid legiſſet in Paulo: oſtendit AVGVSTINVS, &
ignorabat, quid ſequeretur; ſequebatur vero: *Infirmum in fide*
aſſumite. Quod bonus Alipius ad ſe retulit, & lectori ſe quoq;
iam longè alia meditari aperuit, magnũ in ſe *inſtar* AVGVSTINI
eſſe, omniaque ea velle, quæ aut vox angelica, aut Pauli pagina
demandaſſet. Momento temporis vtrique ad Matrem ingre-
diuntur; indicant ſine diludijs totum negotium, & quemad-
modùm ex integro geſtum ſit, dilucidè narrant.

Gaudet his auditis Mater, & recreata animi exultat, & tri-
umphat, Deoque pro eo, quod dignus eſt, grates decantat.
Nunc denique *Spem*, & *Patientiam* fructus protuliſſe vberes, & M
munificentiùs cælum depluiſſe, quàm humana mens vel pete-
re auſa fuiſſet, vel potuiſſet. Nam ad pleniorem lætitiam ad- N
diderat AVGVSTINVS, ſe de cætero nec vxorem ambire, nec
quicquam, quod Mundus in pretio habet, æſtimare: iam in il-
la chorobata, de qua indicatum eſſet Matri per ſomnium, ſtare;
conuerſuſque eſt omnium luctus in gaudium multò vberius,
quàm ſtylus comprehendere poteſt. Tali dictamno Ceruus
anhelus ad Fontem viuum reuixit. Ità certatum eſt, ità trium-
phatum, ità finis turpitudinis AVGVSTINIANÆ; ità ſub arbo-
re, vbi corrupta eſt mater totius poſteritatis, dum de pomo ve-
tito libaret, conuerſus eſt AVGVSTINVS, ſub annum, vt verior
habet ſententia, Chriſti CCCLXXXV. ſuæ ætatis XXXI. NN.
Huius verò meliori vitæ primas debemus, vt diximus, Moni-
cæ, quæ non in Filium ceu crudelis ſtruthio facta eſt; quam di-
cunt nullam vel ouorum ſuorum incubandorum, vel pullo-
rum iam excluſorum curam habere; ſed oua humi deſtituere
ſolari calore fouenda; nec curare, ſi aut pedes hominum, aut
ferarum prætereuntium conterant. Non ita induruit *hæc*, vt
materni affectûs oblita, Filium relinqueret, ac ſi eum non pe-
periſſet: nam ſciebat & Lamias nudare mammas, & lactare ca-
tulos ſuos. OO

Non meruit Monica nomen ſtruthionis. Si genium inde- O
re placet auis; Perdicem nominemus. Hæc de pullis adeò ſoli-
cita eſt, vt, cùm prædæ expoſitos videt, ſeſe aucupi hoſtiam
præſentiſſimo periculo offerat, & ita geſtus diſpenſet, vt mani-

Digitized by Google

bus penitùs insidiantis sese vltrò præbeat, quò insidianti spem pariat. Hoc æstu Venatorem inter vtrumque versando, occupando, spatium dat pullis otiosè aufugiendi, quos illa ad extremum tandem sequitur. Aristoteles paulò aliter de hoc sagaci alite loquitur: Cùm nidum, inquit, quis accesserit, prouoluit sese propter pedes venantis; atque ità allicit eruditâ impostura eousque, dum pulli effugiunt. Quàm tenerè, & cum discrimine vitæ Filium Monica suum non protexit? quàm se stygijs Venatoribus non opposuit, vsque dum structas insidias effugeret Filius? quàm callidè, & dissimulanter egit, & cum dispendio vitæ vitam Filij est tutata?

Aa. *lib. Confes. 8. c. 12.* Bb. *ibidem.* Cc. *Apoc. 12. vers. 7.* Dd. *Gen. 3.* Ee. *Iob. 2. v. 7.* Ff. *Actor. 12. vers. 6. & 7.* Gg. *Isa. 40. vers. 4.* Hh. *lib. Confess. & c. 12.* Ii. *S. Aug. in Euang. Matth. cap. 7.* Ll. *Cæsar in lib. 8. Comment.* Mm. *Rom. 14.* Nn. *Baron. tom. 4. Anno Christi 385.* Oo. *Thren. 4. vers. 3*

V. Si rem verè peruideas, fuit Monica Misericordiæ symbolum: Nam præterquàm quòd anchoram salutis nunquã dimiserit, innitebatur firmè arbori Crucis, super quam Pelicanus Misericordiæ notissima auis. De hac Hieronymus ait, illum, cùm liberos à serpente occisos inuenit, lugere, & se, lateraque sua in tantũ lancinare, vt excusso sanguine mortui reuiuiscant. Quamuis hoc sit Christi Patientis hieroglyphicũ in summa Cruce stantis, qui nos sospitaturus atrocissimo mortis genere torqueri voluit; tamen & patienti multa, & atrocia Matri ob Filium lubens affingo; neq; erit, qui vitio vertat, si considerârit maternæ pietatis opera: profectò enim quantumuis multis & præclaris vndequaq; Parens ista luxerit Virtutibus, omnes tamen alias *Misericordia* obliterat. Sicuti olim Tullius de Cæsaris laude peroraus dixit: Nulla de virtutibus tuis, ô Cæsar, nec admirabilior, nec gratior est Misericordia: ità ego, & vnà mecùm omnes ex vero affirmare eodem stylo possum, nullam virtutem, quam multam Monica exercuit, *Misericordiæ* antistare, in qua dilargienda dies noctesque consumpsit, & tot distenta cogitationibus est, vt & cerebrum in fronte ne efflueret, tænia muniri oportuerit: indidem etiam illa lancinata corda, amoris luculenta testimonia omnibus posthumis nepotibus præclare ostentat. Ad rem illud de Antipatre, infanticidæ Herodis

fratre

fratre eſt; hic ſub Cæſare Auguſto meruit, & aduerſa plurima in prælio accepit vulnera. Demum proditionis iniuriâ accuſatus, noluit propulſandæ ignominiæ Oratorem; ſed dictâ ſibi die adeſt, Cæſari pectus ſuum nudat, &: Non hæc, maxime Cæſar, inquit, non ſunt profectò proditionis indicia. Ità Monica non potuit animum ſuum oſtendere melius, quàm dum ſciſſa corda poſteritati videnda præbet. Potuit Romæ, potuit Carthagine cogitare AVGVSTINVS crudelem ſibi nimis eſſe Matrem, quòd vbique moleſtè ſequeretur: ſed non hæc ſunt, non ſunt crudelitatis ſigna, ſed amoris. Ioanni (quem effuſa in egentes liberalitas Eleemoſynarium cognominem fecit,) noctu in ſomnis apparuit *Miſericordia*, ſpecie puellæ elegantiſſimæ, & Sole ipſo ſplendidioris (inde radij ex pectore promicant) quæ coronam tamen de ramis oliuarum in capite geſtabat; eſt enim oleum ſymbolum Miſericordiæ.

Nec *Charitatis* minora indicia in Monica arbitrari habes. Igne ceu pyrauſta nutritur *Charitas*, & in Cypro ærarijs quaſi fornacibus gignitur; non illa flammas, non tela, non vndas tanti habet, quin flammas, tela, & vndas non lubentiſſimè peruadat. Deficiet calamus, ſi ignes Monicæ deſcribere velim. Canat Helicon ſuam Alceſten, & Pegaſo vehat per orbem fama, quòd ſubiuerit fata mariti. Traxerit ad infernales amor Eurydices ſuæ Orpheum; moriantur Codri pro Athenis, & Româ Curtij; mille parasangis præcurrit amor Monicæ; non fabula, ſed hiſtoria eſt, quòd verè ab inferis ſuũ traxerit Filium, & æternam inſpirauerit vitam. Vnicum adhuc accipe. Iphicrates Meneſthea filium reliquit ex Cotti regis filia: is cùm interrogaretur, vtrum pluris matrem, patremue faceret? Matrẽ, reſpondit: cauſam quærentibus; Meritò hoc, inquit: nam pater, quantùm in ſe fuit, Thracem me genuit, contrà mater Atheniensem. Si ex AVGVSTINO quæreres, vtrum ex parentibus magis diligeret? Matrem, reſponderet: nam pater hominem illum genuit, Mater bonum, & Christianum.

PERIOCHE ICONIS SEXTÆ.

I. AVGVSTINVS ABDICAT PROFESSIONEM RHETORICES. II. CONCEDIT IN VILLAM VERECVNDI. III. MEDIOLANI VNA CVM ALIPIO, ET ADEODATO SACRO FONTE tingitur ab Ambrosio. IV. TE DEVM LAVDAMVS: hymnum illum celebrem cum Ambrosio decantat. V. Fides, & Ecclesia.

POst vocem cælo delapsam, post intestina, eaq; diuturna bella, post deploratū peioris vitæ statum; vbi certum fixumq; habuit, spretis omnibus soli Deo sese de cætero auctorare, totum biennium certis ex causis Baptismum distulit; vt liquidè varijs ex locis colligitur. A. Est hoc vegetis in more positum ingenijs; vt quò plus recessus sumunt, hoc vehementiores deinde impetus edant: quemadmodum si saltu fossa traijcienda est, longiùs retrocedimus; vt incitatis in cursu viribus facilius metam superemus. Arduum salutis est negotium, & inconsulti displicent Numini impetus; ne ergò temerè à pactis ineundis resciscèret AVGVSTINVS, consulto erat opus.

Præclaram intrà hoc biennium temporis benè collocandi rationem instituit. Primæ curæ fuerunt, soli Deo studere, omnesque curas ad cœli arbitrium, iudiciumque destinare; pòst in vitia, & immodicas cupiditates assidua pugnâ decernere. Quibus studijs ad eam mentis felicitatem peruenit, vt non tantum domito *ea* corpori imperaret, sed summa absequendi religione totam sese ad Dei nutum, & obnutū fingeret. Atque exinde ignes isti: *Domine, ego seruus tuus, ego seruus tuus, &*

filius



MITTE PARENS LACHRIMAS, ALIIS IAM FILIVS VNDIS
SPARGITVR, ET MATRI NASCITVR, ATQVE DEO.

Johan Wanderijf. Sch:

Digitized by Google



Digitized by Google

filius Ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo Hostiam laudis. Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi? Dicant, & respondeo mihi, & dic animæ meæ, Salus tua ego sum. Quis ego, & qualis ego, aut quantus ego? Quid non mali ego? .. .. .. Tu autem Domine, bonus, & misericors, & dextera tua respiciens profunditatem mortis meæ, &c. B.

I. Placuit non longè pòst deserere Rhetoricam, nundinas, vt ille loquitur, loquacitatis; nec amplius Iuuentuti bella forensia, & mendaces insanias vendere. Sed quid, ais? Non statim nugas AVGVSTINVS deseruit? Quid illi iam Conuerso cum garrula loquacitate, & tradendâ Rhetoricâ; quæ magno impedimento erat, quò minùs vacare diuinis potuerit? Hunc sibi ipse tacitè nodum obiecit, & facilè expediuit: nam opportunè paucissimi dies reliqui erant ad Vindemiales ferias (has Mediolanenses, non caniculares habuêre, quibus à studijs literarum Iuuentus vacat, & vires lassatas restaurat) & statuit tolerare illos, vt solenniter abscederet. Tum deinde iactantiæ simile videbatur, non operiri tam propinquum feriarum tempus (viginti dies præter propter) sed de publica professione, atque ante oculos omnium sicâ antè discedere, & vicina Vindemialium otia præuenire. *Arguat me*, ait AVGVSTINVS, *peccati, quòd vel vnâ horâ amplius in cathedra mendacij sederim, at ego non contendo. Sed tu, Domine, nonne & hoc peccatum cum cæteris horrendis, & funereis in aquâ sanctâ ignouisti, & remisisti mihi?* C.

A. *ex Confess. lib. 8. cap. 7. Soliloqu. lib. 1. cap. 7. hoc eque deduxit Baronius Tom. 4.*
B. *ex lib. 9. Confess. cap. 1.* C. *ex lib. 9. Confess. cap. 2.*

II. Desertis profanis Studijs, cum amico inter primos charissimo Alipio in villam Verecundi secessit. Fuit hic Verecundus magnarum vir opum, & humanissimo summoperè in AVGVSTINVM studio; ità vt prædium Cassiciacum non admodùm Mediolano dissitum vltrò pro arbitrio incolendum obtulerit; & pœnè hoc vnum doluerit, quòd quietissimæ illorum vitæ non potuerit associari, eò quòd nondum in album Christianorum esset adscriptus. Quam horti gratiam Neophyto nostro factam munificentissimum Numen liberalitèr aliquammultò pòstea tempore recompensauit, dum in exce-

mis decumbentem V. secundum sacro Baptismo lustrari, & Fide vera inaugurari permisit. In dicto autē AVGVSTINVS Pra-dio, tametsi in summo otio, minimè tamen feriatus dies perdidit, sed quos diuino cultui non impendit, studijs & scriptioni dedit. Inter alia ingenij monimenta tres libros contra Academicos (Romaniano Mæcenati suo Tagasti liberalissimo hos dedicauit; qua in re non solum gratum animu ostendit, sed & ad veri cognitionem adducere cogitauit) D. Alium de Vita beata Commentarium; E. tertium de Ordine: F. & pulchra illa Soliloquia coscripsit. G. Vna in villa degit suauissima Parens Monica, super fidem, & captum de Filij victoria libi gratulata; & lætitia effuse gestiens. Neq; otiose indages, quid femina inter viros egerit. Erat ibi muliebri quidem habitu, sed virili fide, sed anili securitate, sed materna charitate, sed christiana pietate.

Legebat AVGVSTINVS id temporis suauissimo gustu Regij Vatis carmina; maxime autem percelebatur mirabili raptu, & prentissimo affectu in illa verba ex quarta Psalmi rapsodia: *Filij hominum, vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote, quoniam Dominus mirificauit Sanctum suum.* H. Quæ vtinam audiant, qui adhuc diligunt vanitatem, & quærunt mendacium. Inter hæc athletica spiritus, dolore dentium acutissimo laborare cœpit; qui adeò inualuit, vt & loquendi pæne vsum sustulerit: ergò iam ad cælestem medelam fuetus confugere, quia loqui non poterat, in cera voluntatem suam scripsit, suosque est adhortatus, Deo secum supplicarent. Et audite indulgentem, promptumq; in Beneficia Deum. Vix Domestici in genua procubuerunt, cùm omnis continuò fugit dolor, & omnis tumor ceu spongiâ abstersus detumuit. Expauit ipse AVGVSTINVS, eamq; clementē Medicum, qui etiam corpori mederetur, est demiratus. Iamq; haud dubius occultos vidit Dei nutus, quibus ad se illū magis, magisq; vocaret; iamq; vehementius de internis morbis, peccatisq; suis, quæ per Baptismū abstergenda erant, anxiabatur. Ergo postquā se ad capessendā satis Eontem priuato instruxit studio; ex villa literas dedit Sancto Antistiti Ambrosio, cui suos antiquos Libyrinthos recensuit, quos ex conscientia esset detestatus, & vota de Baptismo accipiendo aperuit; proinde paterna monoret, quos

re, quos potissimũ libros volueret, vt perciperet tam ingratiam aliquam quique dignè posset. At Ambrosius iussit, vt Isaiam Prophetam legeret: credo, vt ipse apertior AVGVSTINVS, quia facer vates iste præceteris, Euangelij vocationisq; Gentium esset pronunciator apertior. Quem Prophetam postquam AVGVSTINVS minimo minus intellexit, distulit, & seposuit suo tempore repetendum, vbi doctior cuaderet in dominico eloquio.

Cæterum iam tempus adest, quo nomen dare oportet militiæ Christianæ, & vnda baptismali ablui. Deserto itaque AVGVSTINVS prædio Mediolanum rediit. Verum antequam ad Baptismum veniam, non possum hic cum Baronio, 1. aliisque non paucis aliquorum decipiendi consuetudinem iam dudum quidem ad Cretenses relegatam, sed occultis itineribus postliminio reuersam, iterato proscribere, & aurâ, igne, aquâ interdicere. Anti Ambrosius quidam inter alias impostoras habet: AVGVSTINVM sæpe cum Ambrosio prolixè de pluribus disseruisse: quod adeò crassa inscitia est, vt AVGVSTINVS de se ipso testetur; nunquam toto illo tempore, quo egisset Mediolani; inuenisse se Ambrosium negotijs vacuum, aut frequentiâ hospitum solitarium, quocum de animi angoribus in medium licuisset conferre; adeò vt non dicam disputandi, sed nec daretur facultas quidpiam ex eo sciscitandi. L. Sunt omninò hæc illius verba: *Certe mihi nullus dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebam de tam sancto Oraculo tuo, pectore illius; nisi cum aliquod breue esse audiendum: Æstus autem illi meo ingenio valde, cui effunderentur, requirebant, nec cum quemquam inuenichant, &c.* Et post paululum: *sed vbi quæreretur? Quando quæreretur? Non parcat Ambrosio.* Laruam ergo quidam assumpsit, & sub alieno schemate doctus Ambrosius videri voluit. Nunc ad rem.

D. *Contra Academ. lib. 2. c. 2.* E. *Retractationi lib. 1. cap. 2.* F. *Ibidem cap. 5.* G. *Ibid. cap. 5.* H. *ex lib. 9. Confess. c. 4.* I. *Baron. Annal. Ecclesiastici tom. 4. Anno Christi 388.* L. *Augustinus lib. Confess. 6. cap. 3.*

III. Anno Virgineo CCCLXXXVII. AVGVSTINVS ætatis suæ, secundùm quorundam computationem, trigesimo tertio; secundùm Baronium verò, trigesimo quarto, M. Aprilis die vigesimo quarto (nam in hunc secundùm Dionysij parui cyclum, Sabbatum paschale, quo Baptismum dispen- A B

fari solitum erat, incidit; N) Mediolani à sanctissimo Antistite Ambrosio est baptizatus, atque cum illo præter sæ-
C.D. quentes alios charissimus eius amicus Alipius, & puer Adeo-
E. datus. De Alipio ita AVGVSTINVS: *Plurimi & Alipium rem-*
« *sci in te mecum, iam indutum humilitate sacramenti tui, compua-*
« *fortissimo domitore corporis, usque ad Italicum solum glaciale nudo pede*
« *obterendum insolito ausu.* O. Adeodatus verò, licet ex Concubina susceptus sit, fuit tamen adolescentulus non solùm suprà fidem ingeniosus, sed mirè in cælestia affectus. Annorum tum erat fermè quindecim, sed in illa tamen ætatulâ, ingenio, & doctrinâ grauissimos, & doctissimos viros longè antecelluit; ita quidem, vt AVGVSTINO ipsi, (& quanto Ingenio?) genius huius pueruli horrori fuerit: hicipse sedecennis inter familiares sermones patri suo totum illum librum de Magistro inscriptum dictauit: certè omnia sensa, quæ interseruntur ibi ex persona Collocutoris, ab Adeodato promanârunt. Multa alia, & magis miranda expertus est AVGVSTINVS. Qui tamen Adeodatus, breui post Baptismi gratiam, ne ingenium altum fortè altè præcipitaretur, ad
« cœlum raptus est. *Citò de terra*, inquit AVGVSTINVS, *abstulisti*
« *vitam eius; & securior eum recordor, non timens quidquam pueritiæ, nec ado-*
« *lescentiæ, nec omnino homini illi.* P.

Lubet autem, & operæ pretium est, sacros ritus inter lustrationem id temporis adhibere consuetos nonnihil aduertere. Primò; ex veteri more tingendi contra occidentalem mundi plagam spectabant; qui tamen mox ad Orientem retiersi, latentis mysterij admonebantur. Hac ex
« causa Ambrosius: *Ad Orientem conuerteris, qui enim renunciat Dia-*
« *bolo, & ad Christum conuertitur, illum directo cernit obtutu.* Q. Tum trinâ vice Candidatos ab aqua surgere oportuit, velut à terra in qua hactenus sepulti erant; ad exemplum Soteris nostri; & figuræ Ionæ; quorum ille triduo in sepulchreto, iste in ventre ceti delituit. Quoties sese mersit AVGVSTINVS, toties Fidei formulam recitabat: primâ quidem versione dicebat, *Credo in DEVM*: secundâ; *In CHRISTVM Filium*: tertiâ; *In SPIRITVM Sanctum*. Vt multiplicem lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio. R. Apagite iterum com-

Digitized by Google

commentitia concinnatoris pseudoAmbrosiani; qui putidè finxit AVGVSTINVM recèns baptizatum pullâ, seu nigrâ togâ inductum esse; contra omnem antiquitatis receptum morem. Quid enim inuiolabilius & nunc, & olim in Ecclesia, quàm candidis indui vestibus nouos CHRISTI tirones? Vnde & Candidatos Baptismi dicimus; præterquam enim quòd candor luci vicinus sit, est ille lætitiæ, & victoriæ, quam de infero hoste depoptamus in sacra hac aspersione non obscura nota. Talaribus præcincti candidis in ortu DEI-hominis cælestes Ephebuli Euangelia cecinêre, simul & in longis candidisque vestibus propter Christi sepulchrum anastasin docuêre Marias: denique puritatis hoc amictu clari ad æternas Nuptias introducendi sumus. Itaq; indutus vestimento salutis, & indumento lætitiæ, s. Veterem, tritam, laceram, obsoletam, decurtatam, ac decotem lacernam abiecit, & Ephod superiniecit; non quo Summus Pontifex vtebatur, sed lineũ illud, quod etiam laici quoquomodo cultui diuino sacri, vsurpârunt. T. I

Nec formido ego vestem baptismalem nomine Ephod effari, quod Iugum Domini interpretamur: scimus enim magnâ animi demissione humeros AVGVSTINVM inclinâsse, & Ecclesiæ, quicquid præciperet, promptissimè se facturũ caldè spopondisse, cervicemq; olim refractariã, nunc autẽ imbecillem, iugo Christi alligâsse; neq; aliud iam nosse, quã IESVM, & hunc Crucifixum, & quicquid Ecclesia Spiritu sancto instructa mandat. P

Notum est, Serpenti, exutâ per angustum aliquem petræ meatum veteri pelle nouam succrescere; quemadmodum & Aethiops nigrorẽ suum abstergit, & pardus varietates suas mutat; quid ni dissolutioris vitæ abiectâ tegete, omnibusq; pannicelis nouum induat AVGVSTINVS hominem? Protoparentem nostrum post pomi libationem brutorum animalium extuijs contexit Numen, quas secundus Adam abijciendas præcepit, dum cum Colossensibus veterem hominem cum actibus suis expoliandum, & nouum induendum &c. præcipit. V. G

Nullus inficias eo, multo amicimine brutorum miserè contectum, & male sartum fuisse AVGVSTINVM; maximè dum concupiscentia carnalis fœdè ambiuit: sed nunc demùm pomum, quod colore oculos delectauit, fragrantiã H

odora-

I odoratum, gustu palatum, cum stomacho respuitur. Vel tandē nunc apparent fuci mendaciorum, &, serò licet, seriò tamen impia franguntur tela Veneris, & vredines ardoresque corpori L & animæ noxii hac sacra lymphâ extinguuntur.

Quemadmodum paulò ante à planta pedis vsq; ad verticem mera sanies AVGVSTINVS erat; ita nunc nihil relinquitur vel nævorum, vel macularum, quod non examurcatur; & huius ergò etiam pedes eâ tempestate ablui Neophytis moris erat, maximè Mediolani. Vnde Ambrosius: *Succinctus Summus Sacerdos pedes sibi lauit.* X. In veteri instrumento iussus est in Sina Moses cum DEO colloquuturus calceos deponere, & veluti lauare pedes, vt in locum sanctum ingredi tutò liceret. Y. Et antiqui Sacerdotes ex labro æneo missâ aquâ lauabant pedes suos, ad internam puritatem ostendendam. Z. Sicut apud Hesiodum illotis manibus Sacra tractare nefas erat; sic quoque apud gentiles Mauri, & Saraceni fana sua ingressuri calceos abiecerunt; vt scilicet mundi relictis cunis, etiam à scelerum inquinamentis expiati, rei diuinæ operarentur.

Tertiò; datus est AVGVSTINO ardens cereus, tessera Fidei; quo, sicut Salomonis Sacerdotes vitulos suos in mari æneo; ita iste brutas suas cogitationes combussit. Imò verò hac face Daduchus sibi factus viam præiuit, & redijt sensim per eum tramitem ad Deum, quo à Cælo recessit. Recessit per creaturas eàs amando supra Deum; per easdē redijt, eas contemnendo propter Deum: recessit per amorem sui, vsq; ad contemptum Dei, redijt per amorem Dei, vsq; ad contemptum sui; recessit peccata admittendo; redijt eadem nunc excludendo; & vel tandem eiecit ancillam superbam Agarem cum Ismaele, ne olim de regali cælorum throno, deque admirando palatio ipse eliminaretur. Cicero dum à tribunitio furore in exilium ejiceretur, calamitosissimè exclamauit: Proijcitur Tullius in exilium? ab aris, focisque ducitur? vitam degere in exilio cogitur? Extorris hactenus AVGVSTINVS errauit, sine aris diuinis fuit, in cubili draconum, & pascuo struthionum latuit; H potuit bona Mater Ecclesia meritò exclamare: Proijcitur AVGVSTINVS in exilium? Et vitam degere cogitur in exilio?

Sed

Sed Furiam tandem infernalem anguicipitem & lucifugam; quæ in hanc miseriam abduxit, hoc cereo veluti sub arbitrio luminis agnoscit, & flammâ caput illud malitiæ, & excrescentes inde hydras comburit. Inhalet noxiè caninus serpens, & lethaliter mordeat, syntereſis huius flammæ vel solo fumo, quicquid dæmoniorum est, ejicitur. Perappositè huc Petrus à Figueiró: *Cauendus est*, inquit, *animæ Virgini motus ille primus. Sed irrepsit forte per humanam fragilitatem? Vide iteretur, ne foueatur, ne ad conceptum perueniat. Sed id quoque accidit, corrupta est animæ Virgo, concepit? Curetur abortus, ne expectetur partus, ne alatur in vtero cordis, sed salubribus medicamentis ejiciatur. Sed neque hoc remedium est adhibitum, ventum est ad partum? Extinguatur proles antequam alteram generet, & mortem inferat.* Corrupta est AVGVSTINI Virgo, defloratа iuuentus, concepit peccatum, & multiplicato fœnore peperit iniquitatem; sed iam salutis aqua suffocat, breuique in eam innocentiam vitæ, indolemque assurgit, quam à primis annis impietas misere obscurauit. Iam nunc iterum dudum excluſa *Innocentia* Angelicâ redit specie, albicat in ea candidissima mentis puritas, & attentio; igneſcit in DEVM ardens desiderium; spirat iucundissimo odore corona rosea, & putida peccati mephitis, tanquam extremæ latrinæ fœtor expirat; palmas simul binas offurens, pacis & reconciliationis cum DEO alteram, victoriæ alteram quâ vincit mundum conſcientia noſtra, immaculatam ſe custodiendo ab hoc ſeculo.

Ex hoc Baptiſmi vtero multæ aliæ gratioſæ proles prodierunt, non ſolùm *gratia*, vt appellant, *ſanctificans*, ſed & dona illa, quæ elargitur diuiniſſimum Pneuma ad intelligendos ſacros libros, theoriamque reconditam doctrinæ Chriſtianæ. Suffragatur huic veritati non tantùm S. Dacius, A a. ſed & ipſe AVGVSTINVS. Verba eius ita habent: *Nec ſatiabar illis diebus dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilij tui ſuper ſalutem generis humani. Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur Veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrimæ, & bene mihi erat cum eis.*

Bb. Vides hîc illiquium ſacratiſſimæ huius vndæ? quicquid

pòſt

pòst in sacris paginis legit; quicquid ex illis audiuit, mera Hyble, & melle dulcius erat.

Prodit in suis Naturalibus Plinius; Lyncestis aquam vini modo temulentos facere: alium itidem fontem in Andro insula nonis Ianuarij semper vini sapore fluere. Suauiùs inebriauit aqua Baptismatis, nam illa epota, vt idem testis est, hominem ratione & vitâ exuit; ista autem spiritualis vitam nouam indidit. Nisi quis renascatur ex hac aqua, viuens æternùm morietur, & moriens æternùm viuet. cc Sunt in Baiano sinu aquæ, quæ benignè corporibus medentur. Aliæ neruis prosunt, pedibusque aut coxendicibus; aliæ luxatis, fractisúe. Lacus Alphion vitiligines tollit. Tungri ciuitas Galliæ fontem habet, qui tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Dd Plus medelæ accepit AVGVSTINVS ex hac aqua. Scribit Petrus Natalius de S. Sauiniano; quod appositè huc inseruit. Hic Saturnianus in errore adhuc gentilitio cùm illud Dauidis: *Asperges me hyssopo*, &c. in orthodoxa nostrâ exinopinatò audisset; tantum intelligendi desiderium accepit, vt se sacco cilicino induerit, in cineribus dormierit, priùs non surrecturus, quàm Deus hunc illi Versiculum explicaret. Sed adfuit quamprimùm Saturniano Angelus, qui voto suo damnandum asseruit, si salutari tingeretur aquâ. Ee Hâc ferè ratione AVGVSTINO nostro stylus, & calamus Spiritûs Sancti facer, qui anteà serpere humi, & iacere videbatur; nunc supra omnes Tullij fluuios placuit; nec satiari potuit illis diebus, vbi omnia interna bella, fluctus, amaritudines posuerunt, & cor quietum sensit.

M. Ludouic. de Angelis in vita S. Augustini lib. 3. cap. 4. Baron. tom. 4. Anno Christi 388. N. *Dionysius apud Bedam tomo 1.* O. *S. Aug. lib. 9. Confess. cap. 6.* P. *Ibidem.* Q. *Ambros. lib. 1. de init. cap. 2.* R. *Ambros. l. 2. de Sacrament. cap. 7.* S. *Isaiæ 61.* T. *Cornel. à Lapide in Exod. cap. 28. vers. 6.* V. *Ad Coloss. 3. vers. 9.* X. *S. Ambros. 3. de Sacrament. cap. 12.* Y. *Exodi 3. vers. 2.* Z. *Exodi 30. vers. 19.* Aa. *Apud Ludouic. de Ang. lib. 4. cap. 6.* Bb. *S. Aug. lib. 9. Confess. cap. 6.* Cc. *Plin. lib. 2. cap. 103 num. 15.* Dd. *Plin. lib. 31. cap. 2.* Ee. *Apud Georg. Wittweiler, in vita S. Augustini, cap. 9.*

IV. Nec illud prætermittendum est, AVGVSTINVM diuinâ virtute tactum, cum omnium admiratione statim post lustrationem dictante cælo, vnâ cum Ambrosio notum illud Epinicium: *Te DEVM laudamus*: composuisse, & ad instar duorum Seraphin festiuâ voce cecinisse tantâ spiritûs, & animi lætitiâ, vt ad

vt ad exemplum eorundem ad hunc cantum hodieque æra in turribus consonent, gaudiumque latè suum propagent. Nec quicquam nihilo hoc factum est; nam sicut reperta drachmâ mulier illa Euangelica totam vicinam conciuit, & vt in gaudia secum iret, inuitauit; ita mater Ecclesia dum alternis choris hoc canticum repetit, pulsis æris campani vicinum quemque orbem in lætitiam vocat, & in memoriam AVGVSTINI conuersi triumphum instituit. Multa & mira de hoc cantico referuntur. Anonymus quidam S. Bernardum scribit vidisse Angelos concubiâ nocte Fratrum suorum cellulas ferire, & ad hoc canticum excitare. H. Cæsarius Sanctimonialem normæ Cisterciensis meminit, aperto cælo vidisse hoc canticum recitari à sanctis duodecim viris, diuinis Vatibus, ceterisque Cælitibus vnâ cum virginibus sui Monasterij. G g. Beata itidem Gertrudes hæc ipsa carmina à Beatissima Deipara ente, quadam eidem Assumptæ die sactâ decantata esse asserit, & recitata ante Sanctissimam Trinitatem.

Scio antiquis temporibus neutiquam, vt hodie, rogatos, qui initiandos fide ex fonte sacro leuarent; nam adultiores (& hic fere soli Baptismo donabantur) de Christianis legibus multo ante instituebantur; ne tamen quippiam omittamus, quod nostratium more ad sacras Baptismi ceremonias spectat; dedimus & AVGVSTINO Mystagogum suum, senio venerandum, vitreis oculis, & habitu religiosum Senem: vt intelligant omnes à Conuersione sua Sanctorum Patrum, venerandæq; antiquitatis iudicio, & sensui, plus semper tribuisse, quàm sibi AVGVSTINVM, quem non fugiebat *in antiquis esse Sapientiam.* H h. *& interrogandos parentes; & maiores nostros.* I i. Alienis oculis plerumq; perspicatius nos peruidere, quæ Fidei sunt, quàm nostris; nitimur enim ijs hac in re potissimùm, quæ sacra Concilia sanxerunt, & decreuerunt. In religioso autem habitu indicare volumus in Baptismo Deo nos religari, & interdicere vanis.

(a) *Auctor Anon. in lib. exemplor. dist. 8.* G g. *Cæsar. lib. 8. cap. 9.* H h. *Ioh. 12. vers. 12.* I i. *in psalmis Dauidis.*

V. Quantum apud immortales in cælo gaudium obortum fuerit, dicendo nullus est. In summa cæli abside, cortinas Deus abstraxit, ac cæli fenestris latè apertis sese cum beatissimis

animis ſpectandum dedit. Iuêre dubio procul in mutuam lætitiam boni Cælites, & effusè gaudijs exundantes oſtenderunt, quanti honores, & triumphi decernerentur, ſi quis de vitijs reportatâ victoriâ ſtipendia aſtris facere incipiat.
P Maiorem gaudendi materiam ſufficit cælo, ſi vel vnus à cæno vitiorum ſurgat, quàm nonaginta nouem iuſtis. Cordidolium ſit apud mortales in aliorum fortuna, & honoribus, & inuideat feliciori liuor ſortis ſuſpiret, gemat ſi reò: ego tamen cùm à bonitate Cælitum, tùm ipſius veritatis teſtimonio conjecto, gaudent beatæ mentes, & efficitim aliorum atque vt ſuammet felicitatem amant, & feſtinantibus amplexibus mutuò perfruuntur. Quam affectuum effuſionem liquidiſſima harmonia cæleſtis oſtendit, vbi tam inauditæ Muſicæ ſuauitas, vt Calliopes fides, Euterpes barbytos, omnium nouem Muſarum lepor, ſuada, venus, voluptas, mera vocari poſſit ruſticitas, & vocum diſcordia. Ad quas voces noſtri organœdi, & phonaſci meri Satyri, Paniſci meri, Midæ meri. Scilicet ibi ſolida eſt lætitia, vbi nouem Angelorum choros Deus ipſe animat, & carmina præcinit.

Nec terra ſuo victori pæana tacet; & licet in gratulando multùm cedat cælo, canere tamen AVGVSTINO mauult, quàm tacere; vtpote quæ & ipſa magnam ab illo meſſem accepit, qui exurendo tamen ſegeti paulò antè natus videbatur. Enimuerò quâ Eccleſia non charitate venientem exulem ambit,
Q quæ ſuos tam tenerè filios amplectitur? Sedet pro maieſtate ſua, & clauium poteſtatem oſtendit, ſummumque poſt DEVM Imperium, quo & cælum claudere, & pro arbitrio aperire poteſt, *pedum* vibrat *paſtorale*, & *infulis* ornatur *tribus*, vt quæ iusdicit & cælo, & terræ, & inferis poteſtatibus; ſignificata iam olim per arcam Noë, fabricam illam triſtegam. Mm. Et per hanc cydarim intelligit AVGVSTINVS trinum Eccleſiæ ſtatum: Matrimonium, inquit, comparatur plumbo (vides æream coronam) viduitas argento (vides argenteam,) virginitas auro (habes auream.) Nn Sed quid cum prolixis Eccleſiæ crinibus? Samſon fortiſſimus in crinibus fortitudinem habuit, quibus à Dalila raſis omne robur illius elanguit. Pluſquam crinitus Samſon Eccleſia; nam *iſta* non timet nouaculam

meretricis, neque Philistæos, quantumuis in insidijs latentes. Denique vellicat secundarum rerum successus etiam Fidei cogam, monetque vt veldemum supprimat diuturnos gemitus, quos incussit tam varia oppugnatio cum hæreticis suis Apvstini; itaque in orbem, & vrbem suam lætis auspicijs ingreditur Fides, quando in Ecclesiam ingressum videt Avgvstinvm, iam non timida Hæreses mala fide depraua tes, & conuertentes omnia, audacicalcat pede, calicemque & Sacramenta non ad legis ab hæreticis vendicat, monétque Avgvstinvm quibus potest oculis, vt huic sacramento se obliget, & deinceps sub signo Sanctissimæ Crucis egregius palæstrica militet, nomenque & sanguinem, & quicquid Avgvstini apud Deum deponat. Nunc mihi nouæ gratiæ, tot lacrimarum, tot votorum argumentum, da frontem, da ora ad osculum parentibus Monicæ, Ecclesiæ, & huius filiæ Fidei; nunc primùm & renasci, & se matres tuas existimant; nunc denique magnum dos incrementum. Millena refarci fœnora, quæcunque Impios Matres deliquisti. Ecce cùm male asteresses, insertus es oliuæ, socius radicis, & pinguedinis factus: eo nunc denique *in claram non perierunt.*

Placuit ad finem quædam duo egregia infidæ, & fraudi obnoxiæ posteritati commemorare, quæ tempore Baptismi Avgvstiniani apud Mediolanenses acciderunt. Primum istud est. Proscholos quidam ex stipe vitam tolerans, bonus cetera Christianus, inuênit peram auto probè suffarcinatam, (solidorum erant vt Avgvstinvs existimat, ducenti:) nullus non alius felicitatem ipsam credidisset se inuenisse; bonus autem hic Proscholos nihil hâc admodum fortunâ motus; sed memor tabularum Christianarum; ne repetundarum accusaretur, publicis valuis euulgauit, inuentam bulgam satis diuitem; si quis malè perdidisset, veniret ad certum locum (nominauerat illum) & suum repeteret. Cæterùm dudum ille, qui amiserat solidos, totam vrbem afflictus obambulabat, lectis autem tabulis mitigato affectu anhelans ad centunculatum nostrum aduolauit, & de moneta, numero solidorum, alijsque signis quæsitus, vbi fideliter omnia edocuisset, cum fide à Proscholo pecuniam, & loculos accepit, imò & vitam. Qui re-

pendere fidelitatem Proscholo aliquâ ratione volens, viginti solidos ceu inuenti decumas obtulit; sed respuit constanter Proscholos. Obtulit decem, noluit & hos; demum rogatus, quinque acciperet, nec quinque accepit: vt ita diuin ter humanitatis studia vtrimque certatum sit, & quæstio oborta, vtrum maiori animo Proscholos respuisset, quàm alter obtulisset: profectò tandem & ille, qui amiserat, totum iterum sacculum proiecit, & quando alter nihil accipere vellet, se quoque nihil perdidisse affirmauit. Quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus? Theatrum mundus, spectator DEVS. Victus tandem ille, quod offerebatur, accepit, sed continuò totum pauperibus erogauit, nec vnicum solidum in domum suam dimisit. Pp. Hæc eadem pro concione dein AVGVSTINVS propo. suit imitanda suis Hipponensibus.

Alterum est, quo docentur, illos, qui ex humanis iam decesserunt, humana tamen adhuc curare, vbi iustitia vacillare videtur. Is quidam alienum satis grande contractum olim à patre, à posthumo filio tanquam ex asse hærede repetijt. Perculsus hoc nomine filius, grauissimè moueri cœpit, qui tandem factum esset, vt parens huius debiti in scriptione tam sedulâ testamenti non meminisset? Sed afflicto apparuit pater in somnis, & instrumentum, quo cautio creditoris antiquata fuerat, indicauit. Quo inuento iuuenis atque monstrato, non solùm falsi debiti calumnias propulsauit, sed & à creditore chirographum recepit, quòd pater in solutione debiti non receperat. Q. q.

Ll. *Luc. 15.* Mm. *Genes. 6.* Nn. *Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei. cap. 26.* Oo. *Ad Roman. 11.* Pp. *Aug. de verb. Apost. serm. 19.* Qq. *Aug. de cura agenda pro mortuis. cap. 11.*



BIBLIOTHÈQUE MUNICIPALE LYON

Digitized by Google



NATE QVID EST MVNDVS? VIDEN HIC? NIL, FABVLA, LVDVS,
MORS VIVA HIC, ILLIC, QVANTA FVTVRA MANENT?

I. Wanderniſ. Sch:

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS SEPTIMÆ.

I. AVGVSTINVS AD OSTIA TIBERINA CVM MATRE RERVM CÆLESTIVM ILLIQVIO ABSORBETVR. II. ÆSTIMAT MATER suo terram, suo cœlum pretio. III. Beati hîc spe, illîc pace fruuntur.

I.

IN Oc ipso anno, Romam versus iter AVGVSTINVS direxit cum pientissima Parente, & aliquot socijs. Portus quidam celeberrimus, quem Ostia Tiberina appellant, ab Vrbe duobus circiter milliarijs distat: ibi post diuturnos, & ærumnales labores; malaciam & ventos expectant, dum vela impleant, & secundo flatu in Africam, patrium solum, vehant. Verum dum serenum expectatur cælum, dum nauigationi omnia instaurantur, dies aliquot fluxêre, quos vt non malè collocarent, crebros de diuinis instituerunt ex otio sermones. Felix otium! Accidit quodam die, vt Monica cum Filio in fenestræ cuiusdam forulis sola loqueretur, in eamque reclinis colloquium in diuina conuerteret. Ridere ibi bona Mater incepit cum Democrito vana nostra; & flere iuxta cum Heraclito humanas calamitates; quòd totus ex maligna argilla fictus esset mundus, quòd tabula Eumenidum, quòd Cretæus Labyrinthus, quòd globus volubilis, inconstans, & lubrica ambago; quòd in fumum omnia desinant. A B

II. Et vide sis admirandam mundi tragœdiam! Recte profectò, & præclarè iudicium tulero, si mundum Feminam comptam dixero, quam quisquis curioso arbitratur obtutu, næ ille malè perdet animæ suæ ocellum. Vidit princeps Sichem Dinam; & se, suosque perdidit. A. Vidit Dalilam Samson, & oculos amisit. B. Vidit Dauid Bethsabeam; & quæ mala exantlauit? C. Vidit Amnon sororem; & vitam cum honore amisit. C

D. Quisquis videt Mundum, periculosè videt, quia comptum scortum videt, quod ambit, excipit, fouetq; suâ concupiscentiâ, quidquid est in Mundo. Venenosus, & tartareus laqueus est Femina, quo implagatur, quicquid pedicas subire potest, quo vincitur, quicquid Samson est. Ceu Bufo, qui quò magis distenditur, eò plus veneni concitat; ita comis Concupiscentia, quò plus intumescit, hòc venenosius toxicū contrahit: & quod primò astris contra placuit, turpe deinde paret, nec ab oculis tolerandum. Atque ambiens hæc mulier-serpens totum hoc vniuersum, quem non inficit, & quem non occidit? Multinodis voluminibus sanguinans coluber, seseque rotans veneno suo stellas in cælo ipsas infecit, & innumeras Angelorum myriades impijssimus Monomachus sibi succenturiauit. Malè scilicet tutum est, cum hostis intrà muros est, & cum seditio in castris. Quantos secum hodie non trahit, vbi tot mille pereundi modi, nec minores occasiones? Adest Iahel Sisaram occisura, sed lactis potu soporat, & vultum pallio operit, ne miser vel videat, vel audiat strepitum armorum. E. Adest Sarda piscis, & tam blandè percutit, vt in speciem ridentium exanimemur. F. Venit perfidus Ioab, & colore humanitatis, germanum Amasan salutat, interque vsitatam amoris tesseram execrando odio internecioni dat. G. Scilicet inimici domestici sunt nostri; & homo pacis, in quo speramus, fabricat miserias, & incautos supplantat.

Et quid, mi Nate, in mundo? Labor, & is Adæ: sudat
D sub stiua colonus anhelans, gemuntque fessi sub pondere boues, nec tamen miser ille triticeum paneum, vix isti floccidum fænum merentur. Est in mundo miserrima Eua, malorum mariti appendix, quæ, si nihil aliud, quod pateretur, haberet,
E parit in dolore filios. Quid in mundo? Vitæ breuitas, quam tres tamen illæ sacræ Themidis filiæ, illæ, inquam, quasillariæ sorores, Clotho, Lachesis, & Atropos abrumpunt. En, vt primaglomerem lini circumuoluat, reuoluat? quàm trahat vitæ, fortunæ, omnium, quæ accidere homini possunt, pensum? Altera vigili metitur oculo, quid, & quantum cuique contingat, quamdiu reuoluere, & quando præ-

do præcidere filum oporteat. Tertia denique inexorabilis, & indigna nomine Parca, ſtamen abſoluit. Ergo quod in fuſo perfectum eſt, præterijt, nec redit: quod torquetur in digitis, præſens, & momentaneum eſt: quod nondum in colo tractum eſt, ſubactumque curæ digitorum, id futurum eſt. Sic nempe in fuſo ſtaminis regunt omnia ſtemmata, metiuntur dulcia tempora, ſternunt chara omnia. Sic diuidunt blandam infantiam, ſuadam adoleſcentiam, virilem ætatem, & denique tetram ſenectutem; quam infantiam viuunt omnes, quotquot viuunt; adoleſcentiam plures, iuuentutem multi; ſenectutem pauci. Ergo neſcis, quantum penſi tibi reſtet, quot digitis ſis à morte remotus. Dædalus attracto filo perplexos effugit Labyrinthos; nos rupto effugimus. Ita catenæ mortis diſſecantur, quibus mortales omnes nugas implicant. Neſcitis, adoleſcentes, ergo, vtrum floris veſtri calyx ſit explicaturus folia, necné; vtrum ſub auroram, vtrum ſub meridiem, vtrum ſub veſperam, vtrum ſub noctem cum die ſit moriturus. Moriendum eſt omnibus, ſeriùs, aut citius. Quid ergo captamus hîc? Quod mori debet, & certò moritur; quod certò mori debet, quærimus: & illud etiam quod moritur, antequam moritur, quàm mutatur?

Meritò ergo Mundus Orbis eſt, volubilitate ſuâ omnia ſurſum deorſum voluens. Quod hodie Deorum Fanum eſt, cras vanarum Dearum Lupanar eſt, & perendie feretrum. Quod hodie ante votum ſupra votum, priuſquã & pluſquam velis, feliciter adeſt; cras videbis te in fortunæ theatro turpiter deluſum, & nihil ad ſtomachum, ſed cum ſtomacho adeſſe omnia. *Fata & Ordo mutant.* A ſummis ad ima deijciunt, ab iſtis ad illa eleuant; quidlibet ſperare, timereque potes, dum in Orbe cum Orbe in Orbem verſaris, dum in pilâ perpetuo volumine rotaris, dum pægnium, & luſus Deorum es. Surgunt, ait in ſuis Lipſius politicis, humiles Marij ex imâ, & municipali plebe, & formidatos Orbi Romano Iugurthas in triumphum ducunt; & ſeptem pullos in ſinum ſeſe apricantis iactos ſeptimùm inito conſulatu, non fruſtra eſſe ſenſerunt trepidi Cimbri, & tota Italia: Cyri contrà Perſici Reges in magna per triginta annos gloriâ circumueniuntur à femina, vinciuntur,

de solio, & vitâ deijciuntur; mortuis Thamyris resecat caput. Dicant nobis Crœsus in rogo, & Salomon in palatio, quàm omnia in molendinaria rota permutentur. Ille Lydiæ Rex, qui nullos vitæ fluctus admisit, qui nullum timuit turbinem, qui auertere posset; acie victus, & rogo exurendus impositus, dilaudauit grauissima Solonis monita: Nimirum *præsenti fortunæ non fidendum, neque beatitudinem in hac vita vendicandam.* Hic (Salomon) postquam non negauerat oculis suis, quod desiderare potuerunt; postquam non prohibuerat cor suum, quin omni frueretur voluptate; dixit tamen, *vana esse omnia.* Sesostris Rex ille Ægypti potentissimus, quàm Imperium longè protenderat? Quatuor adeò ipsos Reges, equorum vicem currui suo iunxit, nec priùs abiunxit, quàm ex rota volui fortunam intellexit. Nempe omnia mutantur, & nos in omnibus; nec priùs quiescit, quodcunque moueri potest, quàm in Deo, & puluere. Verè Philo: *Sicut affluxum,* inquit, *maris sequitur paulò post refluxus; sic rerum caducarum affluentiam sequitur mox refluentia.* H. Nihil hîc, vbi pedem tutò figere possis. Flores qui seriùs extra calyces suos prodeunt, paulò meliùs ætatem ferunt; quamuis & ipsi breue superbiendi definitum à natura spatium sint sortiti; quo elapso, aut in nodos iterum contrahuntur, aut decidui facti omne decus perdunt.

Deinde quàm omnia non tantùm mutationi, sed & Vanitati obnoxia sunt, quæcunque tanti æstimamus, tantoperè expetimus, tantis impensis & periculis quærimus? Ætas vegeta, formæ decus, elegantior membrorum syntaxis, ingenuitas, comitas, gratia, & fauor, præterquam quòd citò pereant, vana sunt etiam omnia: ceu Arcus cælestis dum suauè rutilat, & serenitatem primâ fronte promittere videtur, dicto citius in pluuiam soluitur, & abijcit omnem pulchritudinem. Depingunt ista suis coloribus Rhetores veriùs, quàm pictores penicillo; hunc fumum, paulò post somnium, demum nihil omnia indigitando. Profectò enim quanta, & quanta omnia, non aliter tamen omnia, quàm globi smigmatici difflantur, & à vento exsibilantur, quos pueri ex conchulis stramineo tubulo exsuscitant. Vidisti haud dubiè, dum adhuc inter ephebulos luderes, felicitatem suppuratam illam, quæ cùm aquea sit, illo quo

G splen-

splendet tempore, frangitur: quantum oblectamenti tamen non hauriunt pueruli ex hoc fragili orbiculo? Apparent in hac bulla integra ædificia, præaltæ turres, magnifica palatia; & cælum denique ipsum: sed apparent; & tantulo quidem tempore, dum intuentur, dum admirantur, dum oculis, & manibus inhiant, rumpitur aquea felicitas, & mordaci aspergine oculos adurit. Rectè hoc postea D. AVGVSTINVS: *O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur. Porro si dulcis esset, qualiter amaretur?* 1. Formoso quomodo hæretis, qui sic amplecteris fœdum? Parturiunt hîc fului, & aurei mõtes, & nascitur nigellus musculus.

Quid (pergit Monica) omnia, nisi bullæ bonorum, & diuitiarum? & quàm facilè bullæ rumpuntur, quàm ruptæ mœstificant oculos? Fulget, ait nonnemo, honos Tyriæ vestis, rubore? Sed miniatus ex ea funiculus animum tingit, stringit perpetuo dolore. Fuluet diues aureæ massæ fuluore? Sed irrussatus ex ea puluisculus mentem saburrat, premit, & opprimit sempiterno terrore. Splendet facies alicuius venustæ cutis nitela? Sed iaculatus ex ea radius animam consauciat, sternit, enecat. Nonaliter vmbraticis animum delitijs pascimus, & vento viuimus, quàm de Chamæleonte dicunt; fictis, pictisque epulis fruimur. Ridiculus ille Imperator Romanorum Heliogabalus, fortassis suo hoc facto nostra Vana docere voluit: Principes suos viros ad conuiuium magnâ humanitate vocauit, sed pictas proposuit epulas. Sic insano illi, & præ nimio fastu deliro medico Menecrati diuinitatem affectanti Philippus Macedonum Rex soli ad mensam separatim adhibito, acerram & suffitum apposuit; reliquis cum Rege, splendidè epulantibus, & Iouem famelicum ridentibus. Ita delectationes Mundi plenis cochlearibus deuoramus, quæ tamen nihil, quàm suffitus, aut fumus sunt; vel si quid mellis habent, ex aloë conficiuntur; & veluti catapotia deaurata, si ori immittas, amaritiem suam produnt.

Quàm periculosè autem sumamus hoc, quicquid mellis est, mythistoria, quam S. Barlaam Iosaphat Regi recensuit, præclarè docet. Homo quidam dum à furore vnicornis subiascentis olim fugeret, in quoddam altissimum barathrum reuere cœpit. Prolapsus manibus, vt potuit, fruticetum prehendit in terram humi-

humiliter depactum; pedes autem suos in quadam basi lubricâ, & instabili solo fixit: dum inter angustias ad auxilia timidè circumspicit; aduertit animum ad duos muris, qui contentè ramum arbusculæ, quam apprehenderat, corroserunt; iamque propè erat, vt eam abscinderent. Nec dum satis periculorum. In fundo barathri videt Draconem igneum vomentem, & hiantem ore ipsum quasi prædam appetentem. Superbasim, cui trepidè & infirmè insistebat, quatuor prominebant aspidum capita. Potuitne obliuiscì præsentissimi discriminis? Secundùm hæc portenta, videt exiguum quid mellis de ramo apprehensi fruteti stillarim pendere, oblitusque periculorum, quibus circumuentus vndique erat, dulcedini mellis sese totum dedit. Hoc symbolo vestra nostra adumbratur; nos illi sumus, quos Vnicornis persequitur; nos infelices infeliciori lapsu in aliquē puteum, concupiscentiam carnis, delectationem oculorum, vel superbiam vitæ terga dæmoni insequenti vertentes incidimus. Scimus arbusculam vitæ nostræ quàm imbecillis manibus teneamus, & quàm à duobus muribus, albo & nigro (die, inquam, & nocte) consumatur: nouimus basin corporis nostri esse lubricam; quatuor aspides, quatuor, aio, elementa continuè contra nos exsibilare, & analysin corpori procurare; subtus pedes nostros Draconem teterrimum ad deglutiendum nos paratum; dulcedo tamen modici mellis ita oculos fascinat nostros, vt neque periculum vitæ, neque inferorum cruciatus, neque aliud ex hac foueâ peccatorum extrahere possit.

H Et mundi omnem pompam fœno, vel stipulæ non inscitè comparaueris; sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur, exaresci t. L. Quid manipulum fœni byssо, & serico vestis, auro & gemmis ornas? quid cum Xerxe platanum, vt amasiam tuam torquibus, armillisque appensis grauas? M. Rosa, flacescit, & vel dialis febricula, vel louior pruina buxeam reddit; post horam etiam fœnum exarescit, & cum flore omnis pulchritudo decidit. Infelix ille, quisquis hunc florum fasciculum arripit, ac nunquam exhalandum. Infelix, quisquis cum Ixione vanas nubes pro Dea Iunone amplectitur, fallaces, & manes spes! Infelix, quisquis oculos suos tæniâ obligat, ne videat huius perituri orbis leuitatem, & inconstantiâ cum summa coniunctam

iunctam infidelitate. Hac de causa mater, & scaturigo omnis miseriæ Eua desperabundùm, & tristè sedet, atque in cranium inclinis, brachioque sustentans triste caput, delicias nostras ceu imbrem calamitatum effundit, cùm omnia ceu aqua dilabantur, nec quiescit, nisi in Luna instabili, (si quiescere potes in vertigine rotæ) eò quòd vita nostra, & vota in horas propè, atque momenta mutentur: nunc magnis incrementis in spes surgimus, & è vestigio properato cursu magnis decrementis ad occasum tendimus, veluti omnia, vt Epicureum dogma est, quæcunque sunt, casu facta sint, ceu neque in cælo, neque in terra nil aliud, quàm meri Protei, Ventumni, Aprilis: ita mox vt Luna plena, mox attenuata, mox nullibi visa. I

Ita te, Nate dulcissime, hûc adduxi, vt Solon suum amicum Athenis, cui in arcem deducto subiectas ostendit ædes, & consolatus: Cogita, inquiebat, quàm multi sub his tectis luctus sint, quàm fuerint, quàm sint futuri? Videmus nunc, Fili, cum magno illo Eremi cultore Antonio Mundum hunc laqueis vndique incinctum. O bone Ascera, quis euadet tot pedicas? Plusquam centum manibus nos Mundus (infidus Briareus) impugnat, dum prosperis extollit, curriculatur, vt profundè ruamus, dum aduersis deijcit, tanto nos casu solo applaudit, vt surgere labor sit; dum promissis nos alit, vento & inanibus pascit. Et cogita te pasci, non aliter quiritaberis olim quàm malè pastus Adam, & inquies; *Mulier*, (inquilina Caro) *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* N Ita vt data sit Michol Dauidi, vt fieret illi in scandalum. O Fortuna quoties iocatur, quoties ad fastigia rerum attollit, toties decipit. Est Mundus liber ille ostensus Ezechieli, intus foriſque perscriptus. Sed scripta erant in eo *Lamentationes, & Carmen, & Væ.* P Est Mundus vanissimus Thraso, & Agyrta: spondet palatia? dat sepulchra; diuitias? mortualia dat lintea; spondet delitias? dat morbos; honores? dat infamiam; spondet mellea? dat absinthia, vt merito malit Damocles manere Damocles, quàm fieri Dionysius. At quàtò maiora, certiora, meliora tibi manẽt? *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* Q Rideo Pythagorã, qui verã beatitudinẽ in perfecta numerorũ scientiâ constituit. L

Hem,

Digitized by Google

Hem, numeros, & mathematicas notas, quale cælum! Calco Timonem, qui in tranquillitate, & vano otio, damno Epicurum, qui in voluptate, & ventre prudentiores Stoici; qui in virtute summa collocarunt hominis felicitatem, licet in eo sint decepti, quòd beatitudinis instrumentum, beatitudinem putarint ipsam. R.

Vero simile est, bonam Matrem his dictis mutile, & extra se raptam, obtutum in Filium acriter contendisse, haud aliter, quàm S. MARIA de Oegnies, quæ vt percepisset se proximè rapiendam in Sancta Sanctorum, identidem ad suam Clementiam, (ancilla erat) dulcissima, inquiebat, Clementia, & quid sunt Sancta Sanctorum? Nec aliud dicere ebria gaudijs dies & noctes potest. Ad hunc ferè modum altiùs ad Sancta Sanctorum rapta Mater loqui non potuit in illo impetu exultantis lætitiæ, sed gausa lacrimas tantùm fudit, quæ sermonem confuderunt, & verba fregerunt. Et quis tot montes gaudiorum ferre posset, & aspicere sine lacrimis? Quàm nobiles ibi muri, & ædificia? fabricata ex lapide raspide! (cedant sine pretio pretiosa, & peregrina marmora) pauimenta aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum! (iterum, ac sæpiùs beatos, qui aurum calcant) parietes solidati massis gemmeis, meris putis puris lapillis! Duodecim Ciuitatis ostia, duodecim margaritæ splendore proprio ita coruscantes, vt diem suum sibi domus faciat! Sic porticus, sic ambulacra, sic omnia mirè fulgurant: nec seciùs diuitiæ ceteræ maiestati domûs respondent, vt equidem palatium illud ad beandas animas belle fabricatum esse omnes ex æquo censeant. Cæterùm licet singula oblectationem & admirationem pariant maximam, nec quicquam sit, quod oculus appetere nosset, quod ibi non sit, hoc tamen præcipuè mirificum est, quòd totum ædificium suspensum, & libratum pendeat, nulloque substructum fundamine, sed solis tribus digitis impositum: ita ædificia cæli sunt. Ite, ô nostra vilia, ô lutea, & argillacea tuguria. De odorum fragrantia vt taceam, quæ ibi balsama? Quàm gratiosè aura cælestis halat! vbi Pæstanæ rosæ æternùm purpurant, vbi horti Hesperidum vernant, campi Elysij virent, Thessalica Tempe æternùm florent, vbi Nectaris, & ambrosiæ beata triclinia æternùm fortunatæ Insulæ

admini-

administrant. nimirum in cælo fulget constans serenitas, æterna quiescit tranquillitas, nunquam se astrorum Phœbique splendor subter horizontem occulit, ibi Sol aureum prætendens iubar eandem semper faciem coloremque perpetuat: non ibi nubecula vel modica, nullæ pluuiæ, nisi gratiarum fluunt; quaquà obtutui astra patent, (patent autem vndique) nihil obscuri est corporis, nihil funestum diaphano cælo opponitur. Omnis abest hyemis rigor, autumni lentor, & assi solis feruor, non grandines crepant, non axes tonant, non fulgura rutilant, non fulmina micant. Verbo. Felicissima æterni veris temperies. Satis Monica, quiesce, & vide, quid tuus ex hac lectione didicerit Filius.

Has odas postea ipse dulci cecinit carmine.

Nam quis promat, summæ pacis quanta sit lætitia,
Vbi viuis margaritis surgunt ædificia?
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia.
Solis gemmis pretiosis hæc structura nectitur.
Auro mundo tanquam vitro vrbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, nulla lues cernitur.
Hiems horrens, æstas torrens, illic nunquam sæuiunt.
Flos perpetuus rosarum Vēr agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit crocus, sudant balsama.
Virent prata, vernant fata, riui mellis influunt.
Pigmentorum spirat odor, liquor & aromatum.
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.
Inbiantes semper edunt, & edentes inbiant. &c.

Hactenus AVGVSTINVS, S.

Sed pergit Mater: Et quod mentium deinde Ver est, quæ malacia cogitationum, quales suspiritus, quales anhelitus, & enthusiasmi! Dum beati vident Seraphinos in amorem igneos, ô globos amoris! Dum admirantur Cherubinos in lucē, & diuinæ scientiæ claritudinem scintillantes, ô intellectum! Dum reuerentur Thronos in conopæum summæ Maiestatis sese aperientes, ô quietem! Dum Dominationes totas in sceptra dominandi, ô symbola! Dum Virtutes totas in signa, & miracula, ô potentiam! Dum Potestates totas in catenandos Alastores, ô superam virtutem! Dum Principes totos in

vindicandas cælo prouincias, ô Imperia! Dum Archangelos totos in principes, reges custodiendos, & grauiora negotia expedienda, ô sublimitatem! Dum Angelos denique totos in nostratem tutelam, ô curas cæli! Deinde si ab Angelis ad Deum ipsum ascensio est; si cum Paulo eo vsque oculos mittere licet, & vel rimam introspicere Deitatis maiestatem, prò abyssum gaudiorum! Quales extases, & sensuum abalienationes cor sui penitissimè oblitum sentiet! Plus millies quàm Babylonica fornax ebulliet; ibi multò tersiùs, quàm in mundissimo speculo omnia, quæ animus velle potest, cognoscit, cognoscendo fruitur, fruendo rapitur; à cuius contemplatione tanta dulcedo, & suauitas affectuum resultat, vt extra suas longissimè sphæras cogitationes exspatientur, & in Deum suum pernici volatu ferantur. Beatos dicat Sabæorum Regina omnes atrienses, qui Salomoni adstitêre; quantò illi beatiores, qui Deo! Qui non inter homines mortales & ipsi homines, sed inter innumeras myriades purissimorum spirituum immortales & ipsi perstant! Qui ceu nocturnæ lampades cæli radiant! Qui non holoserico, sed amicti lumine erunt; sicut vestimento; lumine, quod nullus oculus emetiri, nullæ vincere tenebræ, nullum frangere tempus potest; lumine, quod illustrissimos oculos perficit, quod omnes redanimat, quod videt omnia, quod implet omnia, quod vbique totum est, quod Lunæ, & sideribus lumen dispensat!

O limpidissimum lumen diuinæ essentiæ! videre Patris potentiam, Filij sapientiam, Spiritûs clementiam! Patris generationem, Filij natiuitatem, Spiritûs emanationem! O merces Abrahæ promissa magna nimis! Non magna, nisi tu, ô DEVS, merces ipse esses. Haud quaquam (ignosce Iacob, ignosce Patriarcha) vidisti Dominum à facie ad faciem. † Strictura huius solis vidisti, & salua facta est anima tua? Ignosce, ô supreme aulæ Præfecte, non vidisti DEVM, sed corporis quandam gloriam; non est bonum hîc esse, sed ibi; V vbi ceu aqua epota in viscera illabetur omne bonum. Ibi, vanisoli, omnes scientias habebitis, si scientem omnia videritis. Ibi, ô Purpuræ, & Insulæ, sceptra & peda vibrabitis, quando clamabitis: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* x Ibi, ô ventripotentes

Epicuri,

Digitized by Google

Epicuri, iucundam vitam viuemus, vbi *exultabunt Sancti in gloria; exultationes Dei in gutture eorum.* Y Ibi, ô Phonasci, cytharœdi, dulci chromate fides sonabunt, vbi Canticum liquabunt nouum ante sedem DEI, & Agni, Tympanistriæ virgines. Z Ibi delicjantes Pompeij diffluetis, quando de torrente voluptatis bibetis. Ibi miseri Codri, & angustæ rei patresfamilias, ampla surgent vobis patrimonia, & laticlauia; vbi sine limite excurrent latifundia. Ibi morientes animæ, quæ vix animam trahitis, perpetuâ vigebitis valetudine. Nemo ibi lædetur; abeste cum securibus, & fascibus publica ministeria. Nemo irascetur; abeste frontes vultuosæ, & flauæ biles. Nemo inuidebit, nec prouocabunt virtutes; apage tabifica lues. Nulla ibi honoris pulsatio, vel potestatis ambitio; ades Sulla, aut Marcelle aliquis, nullus discedet tristis ex senatu in prætura petitione. Tranquilla fluent omnia. Pax sine factione, via sine labore, lux sine tenebris, gloria sine vituperio, dulcor sine amarore, bonum sine malo. Ibi iuuentus nunquam senescet, & vita nesciet terminum: ibi corpus hoc nostrũ ceu sole illustri irradiatum mirabitur splendorem suum, & non aliter, quàm crystallus ab infuso liquore in aspectum coloratur; sic nobile illud meracum gloriæ, quod anima ex illiquio diuinæ emanationis bibet, non poterit nõ facere, quin lumine immenso (quantũ natura quidem capax est) corpus clarificet. Tabo, & luc fædè resoluantur corpora, & sordeant putida in sepulchris; radiabunt tamen in cælo. Quis dubitet? Si facies Moysi à pusillo radio, & breui consortio Dei, cum miraculo aspectantiũ mutata est; si Stephanus ceu Angelus ob apertũ cælum visus est, quomodo lucebimus, quãdo *fulgebunt Iusti, sicut Sol in conspectu Dei?*

A. *Genes. 34 num. 26.* B. *Iudicum 16. num. 22.* C. *2. Reg. 12. num. 3.* D. *2. Reg. 13. num. 29.* E. *Iudic. 4 num. 21.* F. *Abrah. Bzouius Dom. tertia Quadrag.* G. *2. Reg. 20. num. 10.* H. *Philo lib. de Immutabilitate Dei, ex Cornelio de Lapide.* I. *Augustin. Tom 10. Sermon. 3 de Temp. circa medium.* L. *Psalm. 128.* M. *Aelianus lib. 2. Variar. historiar.* N. *Genes. 3. num. 12.* O. *1. Reg. 18. num. 30.* P. *Ezechiel. 2. num. 9.* Q. *Psalm. 30.* R. *Vide Beyerlinkh de Sanct. part. æstiuali omnium Sanctorum.* S. *Augustin. lib. meditat. cap. 26. tom. 9.* T. *Genes. 32. num. 1.* V. *Matthæi 17.* X. *Apocal. 5.* Y. *Psalm. 148.* Z. *Psal. 35.*

III. Nectant ergo, & catenent bona facta, ceu rosæ corollam; & præmittant ad illud Elysium Viridarium, vbi nihil flaccescet, sed perpetuum virebit. Dum vetnum tempus; rosas & M

flores carpe; dum autumnus, poma lege; dum dies, manũ cum Numine moue. Non exuent vnquam roſæ purpuram, non putreſcent lecta poma; & corona virens te ornabit. Sedeat hîc anima noſtra, velut Maria innixa Cruci, & ſe hoſtiam deuoueat, omniſque tellus deſipiat: ſedeat demiſſo ſupercilio, & triumphet omnia: quicquid eſt vel auri, vel lauri, magno ſpernat animo, palmam triumphatura obtinebit. Nimirum niſi omnia hîc triumphemus, nulla corona ibi manebit. Satiùs longè eſt, humiliter quieſcere ſub palmeto, quod depreſſum ſurgit altiùs, & curuatum germinat fecundiùs, quàm ſub latè ſeſe explicantis cucurbitæ folijs, quam ſubrodit vermis, & calor vehementior adurit, & vnus dies deperdit. Crux ſcala eſt, quâ ſurſum petimus; frondentes corymbi præruptum iter ſunt, quo plures abeunt, procliui quidem itinere, ſed noxio. Nec quenquam deijciat aut operis magnitudo, aut viæ longitudo; ſtemus operæ cum palis, puteoſque fodiamus, qui fluore irriguo emanent, & opiment hanc terræ glebam. Mercedem poſt operas accipiemus. *Spera in Domino, & fac bonitatem*, excole terram, & paſcêris in diuitijs. Aa Nemo ſine cultu terræ ſemina temerè proijcit; nemo ſine ſementis iactu frugem expectat. Quamdiu hîc ſumus, velut in irato ponto inter fluctus, & breuia laboramus: nec priùs iacitur anchora, quàm defuncti ſimus magnis periculis. Abſque ſpe æternantis felicitatis foret, iam dudum tædium rerum omnium irrepſiſſet, iam dudum inexplicabile chaos caſus, fortunaque confudiſſet. Spes ſola alit.

Circumuenit nos impius, & dolosè circumſcribit? Erigit nos miſeros Spes, & ſuggerit: *In Domino ſperaui, non timebo, quid faciat mihi homo.* Bb Ambiunt nos incendia Veneris? Dicemus: *In Domino ſperaui, non timebo, quid faciat mihi caro.* Naufragamur iactis ad ſidera palmis? clamabimus: *Salua nos, Domine, perimus.* Cc Deſerunt te fortunæ? *Iacta in Domino curam tuã, & ipſe te enutriet.* Dd Præclarè Bernardus: *Quidquid agendum ſit, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es, Domine, ſpes mea. Hæc vna promiſſionum mihi cauſa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe iactet pondus diei, & æſtûs, ieiunare bis in Sabbato dicat, poſtremò non eſſe ſicut ceteros hominum glorietur; mihi autem adhærere Deo bonum, ponere in Dominum ſpem meam.* Indigetat altera Spes cælum, & in Deo ſpem iubet eſſe ponendam; in hoc vniuerſo nihil ſibi conſtare, & omnia labi, dum mi-

Digitized by Google

Digitized by Google


BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1111



NON PATRIA TANGOR, NON AMBITIONE SEPVLCHRI-
SI MERVI, MEA SIT LIPSANOTHECA CALIX.

Digitized by Google

Periocha Iconis octauae

monica Extreme Lyrotae II Virtutibus Et 103
plena deo moritur. III. augustinus pie matri oculos
claudit deplorat effert aris diuinis Commendat. IV.
Iustitia Et mori sed bene mori prudentia —.



Digitized by Google

Digitized by Google

pendio nulli profuturo? quantacunque amplitudo murorum, & lapidum ſtructura creſcat, etſi fabrica tota chalybs eſſet, tantis catapultis, & pluteis vallata, vt etiam operibus humanis videretur maior; diſſoluent tamen ſecula, & anni quatuor tempora, quidquid chalybis, ferri, argenti, auri, marmorum fuit. Quæ cœnacula olim excelſa, politis fornicibus tecta æternitatem promittebant; hodie nec videmus humiles manſiſſe caſas, nec rudera reliqua eſſe. Quæ olim portentiſſima opera, & numero ædium, & amplitudine murorum, & arte Dædalorum fuêre; nunc vix videmus in libris depicta, vix noſcimus, vbi ſita fuerint; adeò nulla extant veſtigia. Pyramides omnes, quæ ceu Babyloniçæ turres cælo minabantur, dudum ſolo æquatæ ſunt, in puluerem redactæ, & vento ablatæ.

Porſena Rex Hetruriæ exemplum eſto; G quo diſcere potes, quàm vanè in terris æternitatem quæramus. Ille enim quàm magnificè ſepultus eſt? Varronem audiamus: Monumentum reliquit, cuius ſingula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm, inque baſi quadrata intus labyrinthum inextricabilem ..... ſupra id quadratum, ſtant quinque pyramides, quatuor in angulis, in medio vna, in imo latæ pedum ſeptuagênum quinûm, altæ centum quinquagenûm; ita faſtigiatæ, vt in ſummo orbis æneus, & petaſus vnus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinabula, quæ vento agitata longè ſonitus referant: ſuper quem orbem quatuor pyramides inſuper ſingulæ extant pedum centenûm: ſupra quas vno ſolo quinque pyramides. Ita Porſena ſepultus eſt, & niſi hodie nomen huius mauſolei ab interitu Plinius vindicâſſet, nec nomen eſſet. Cleopem quendam Ægypti ferunt in conſtruenda viginti totis annis pyramide adeò exhauſtum, vt filium ſuum longè formoſiſſimum proſtituere tandem cogeretur. Ea pyramis illa fuit, in quam centum octoginta (alij octingenta) talenta, cæpis & raphanis emendis fuerunt erogata. Ita poſt funera miſerè ſuperbimus, vt & filios proſtituamus, & vænales ſub haſta animas proponamus. Ita quem timemus tumulum præparamus, & vota noſtra vltra tumulum iacimus. Ita poſt mortem ſtatuas optamus, vt cælum nos demeruiſſe credamus,

damus, si aliquam post funera gloriolam tam carè mercemur. *Sed non est nostrum, fortuna quod fecit nostrum*, ait christianè Seneca. Dum spes, & vota in his sepulchris disponimus ad æternitatem, Mors sandapila venit, obliquo ridet oculo, & moriendum omnibus, etiam ipsis sepulchris, esse dicit. Et quid tandem honoris est, quod post mortem, vel in statuis, vel in tumulis quærimus? Democlis statuas risit quispiam, quæ per summam contumeliam in matulas conflatæ sunt. Et Antiphonis dudum audiui cachinnos in Harmodij & Aristogitonis simulacra: cùm enim apud Dionysium in quæstionem & disputationem veniisset, quod æris genus esset optimum, & probatissimum? Illud, respondit, quod ex statuis Harmodij & Aristogitonis conflauerunt Athenienses. H.

Meritò ergo noluit mausoleo sumptuoso condi Monica, sed humari sine pompa, putrescere sine fama voluit. Et quid prodest, etiam insensile corpus magnificè haberi? Noluit ex disciplina antiquæ Romæ magnificam sibi pyram excitari, & illustri funere in cineres ire, suo tempore etiam sine igne decineranda. Noluit præficas sibi lessum lacrimare: quid enim hæc ficta nænia, & tristes elegi ad surdas aures? Noluit collectos in vrnam crystallinam cineres in monumentis pretiosis poni, etiam vento ablatos colligent cineres Angeli. Noluit aromatibus perfusum in sellis subter cryptas subterraneas quiescere corpus; suauiùs animæ odor redolet. Noluit ramos feralis cypressi ante feretrum ferri; præcisa enim cypressus non virescit denuò; Monica autem etiam post mortem virebit. Noluit proijci scutum coronatum, (quod in funere Primatum contingit) non enim se clypeum Aurelianæ Domûs æstimabat, quando iam extra teli iactum esset AVGVSTINVS. Proijciant summates clypeum in parentum morte, & indicent clypeum Familiæ suæ esse fractum, quando omnes auerruncarentur molestiæ. Noluit suam imaginem pilento suffixam stare; nisi enim post funera viuat virtus, cetera omnia moriuntur; sed condi animam sub Calice sacro optauit, quod magnâ curâ præstitit AVGVSTINVS. De quo postea.

Ceterùm

Cæterùm ſupremus dies Monicæ imminere, defluere corpus, & vires in ſingulas horas labefactari cœptabant; cùm vigor tamen animi, & ſenſus integri manſerunt. Quare vltimùm ſaluere iuſſis omnibus, exomologeſi piaculari, & ſacratiſſimâ Synaxi refecta; i cæleſti *Fide*, & *Charitate*, ſororio amore comitata, cùm manus oculoſque in imaginem Seruatoris Cruci ſuffixam acriter defixiſſet, & quà ore, quà animo cæleſtem opem inclamaſſet, læta ſpê Patriæ iam prope portum inter exuberantes gaudio lacrimas, Animam cælo, vnde accepit, beatè tranſmiſit Anno Chriſti CCC. LXXIX. vitæ ſuæ, LVI. AVGVSTINI, XXXV.

Erat Monica à teneris annis ad honeſta quæque informata, non tam à parente ſua, quàm adultiori quadam probatiſſimæ vitæ ancilla; quæ patrem quoque Monicæ, infantem olim brachijs tolerauerat: ſicut grandiuſculæ ſubinde puellæ paruulos ſinu ſuo fouere amant. Indoles illi quædam eximia, quam tanta pudicitiæ modeſtia, & morum ſuauitas commendauit, vt breui poſt tempore docuerit, quantis olim parasangis æquales poſt ſe relictura eſſet. Cœpit ergo, vt primùm cælum noſſe potuit, honeſta omnia velle, honorem è virtutibus Chriſtianis petere, inter primas curas virginitatem habere, cui illibatè, & pudicè ſeruandæ, vigili perpetim curâ ſtuduit. Neque irritus is fuit labor; quippe torum maritalem virgo ingreſſa, nec caſtimoniam extra hunc lectum vllo modo deliquo temerauit. Rarum id ætatis exemplum! Tum deinde materfamilias facta, nullam operam omiſit, quâ exemplis domeſticos maximè doceret, & ad optimas virtutes inflammaret: ac profectò in illa potiſſimùm nitebatur virtutum decora, quæ optimam quamque Matronam cumprimis decent. Ardere ſingulari zelo in diuinum cultum, magnâ demiſſione iuxta ac ſuauitate fidem, & amorem marito ſartum tectum ſeruare: ac denique impendio res domeſticas curare adlaborabat. Et quàmuis omnibus excelluerit penè virtutibus, palmam tamen tulit, quòd duris & aduerſis fuerit ſuperandis; enimuerò animus illi erat ad omnia aſpera tam patiens, vt omnibus admirationi, feminis autem coæuis ſtupori fuerit. Maritum habuit ceteroquin vehementis, & præferuidi ingenij virum, qui ex-

Digitized by Google

qui expugnare potuisset facile omnem tolerantiam; quem tamen furorem tam modestè,& demissè Monica triumphauit, vt neque verbis quidem offenderet; docta tempus nanciſci commodum,dum fluctus Mariti ponerent:pòst autem refracto impetu,& sedato natiuo igne, tum opportunè viri furorem rumigabat,& quomodo planè non ordine bilem ostendisset, multis edocebat: quin cùm aliæ mātronæ (vt ferè accidit) Monicæ de inclementia suorum maritorum palàm quiritarentur, & plagarum etiam dehonestamenta in facie ostenderent, subrisit semper inter amica colloquia; & Patricium illæ suum aspicerent respondit, & querelas cessarent. Simul nacta occasionem vultu ad grauitatem composito, quali obsequio, & reuerentiâ maritos feminæ suos suspicere,& deferre illis tenerentur, est adhortata: ad eum planè modum, quo alia similis modestiæfæmina alias in simili negotio ablegauit. Ibat matrona quædam, & apud viciniam de mariti sui moribus immoderatis non modestè querebatur: hæc autem non ignorans linguam intemperantem fouere has familiares turbas, respondit: Est mihi aquæ pauxillum ori immissum contra mariti immodestiam opportunum remedium;si nimirum taceo.

Aliæ super alias molestiæ incommodabant Monicam, quæ tamen tam parùm fregêre, vt ceu grauiùs humi afflicta, pila altiùs identidem resurgeret, quod liquidè argumentum hoc, quod subiungam, ostendet. Socrus vnâ degebat; apud hanc accusata ab ætate puellari ancillarum Monica cuiusdam criminis tàm grauiter, vt socrus non insanè tantùm infremeret, sed & dicterijs acidè, & fædè passim laceraret. Verùm, & hîc, vt aliàs semper, vicit Monica, & ad contumelias satis grandes siluit, eò vsque, vt socrus modestiam nurûs admirari,& parciùs in illam dicere cœperit; quę deinde filium ipsa Patricium rogauit; castigaret ancillantes & dicaculas, ne de cetero tanta disseminarent dissidia, & odijs domum implerent: quo impigrè à Patricio facto, memorabili deinde inter se beneuolentiâ vixerunt. Deinde nobilis sui mariti lucro Monica felicissimo arrhabone Patricium Christo deuinxit, & ad orthodoxam Ecclesiam traxit. Sed neque hîc stetit infractus Feminę animus, nisi dissidentes, & discordes animos com-

poneret,

Digitized by Google

poneret, ad quod singulare studium adhibuit; quippe omnibus comem in vultu, verbisque sese exhibere, & cùm à partibus aduersis multa inuicem audiret amarissima, qualia solet eructare indigesta discordia, dum de absente inimico per auida colloquia cruditas exhalatur; nihil tamen alteri illa de altera prodere, nisi quod ad reconciliandos valeret. Et hæc virtus minimè improlis fuit; sed magnæ sanctitatis, & prudentiæ fecunda parens, quæ non paucos felici partu imprægnauit. Adoream AVGVSTINI audiamus: *Quisquis nouerat eam,* (cum DEO loquitur) *multum in ea laudabat, & honorabat, & diligebat te; quia sentiebat præsentiam tuam in corde eius sanctæ conuersationis fructibus testibus. Defuncto Marito, vt soli Deo liberius vidua vacare posset, plenis animis velitabatur: mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam piè tractauerat, in operibus bonis testimonium habebat. Nutriebat filios toties eos parturiens, quotiens abs te deuiare cernebat. Postremò nobis, Domine, omnibus, qui ex munere tuo sinis loqui, seruis tuis ita curam gessit, quasi omnes genuisset, ita seruiuit, quasi ab omnibus genita fuisset.* L.

C. *Augustin. lib. 9. cap. 11.* D. *Loco citat.* E. *loc. citato.* F. *Strabo de situ orbis lib. 17.* G. *Plinius lib. 36. cap. 13.* H. *Apud Abrah. Bzouium.* I. *August. libro 9. Confess. cap. 11.* L. *lib. 9. cap. 9.*

III. Affecit hæc mors grauiter multos, ac notos præcipuè omnes, inter quos primus fuit AVGVSTINVS, qui tristi, sed pio officio morienti Matri oculos illos clausit, quos Mater ob salutem suam sæpe vsque ad extremam lassitudinem defleuit. Erat priscus Hebræorum, sed suauissimus mos, quo familiares charissimis suis oculos clauserunt. Sic Iacob Patriarchæ ad puteum Iuramenti prædictum est, & veluti testamento cautum, nullum alium, quàm Iosephum dilectissimo Iacob oculos clausurum: *Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* M Hunc ipsum postea parentandi ritum imitati sunt Græci, & Romani. Vndé queritur Euryali mater:

Nec tua funera mater
Perduxi, prefsúve oculos, aut vulnera lani. N

Illud quoque rogat Deos Penelope scribens ad Vlyssem, vt Telemachus filius vtrique parenti oculos clauderet:

Dij precor, hoc iubeant, vt eumtibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos. O

Credebat ergo sese valde felicem AVGVSTINVS, dum hoc vltimum, sed triste officium obiuit. Quo in munere fungendo tantus hominem insedit mæror, vt oculi in vberrimas soluti lacrimas, violento animi imperio fontem hunc resorbuerint, & nec flere quidem magnitudo doloris permiserit. Sed quod animi vigor, & ingens mæstitudo in AVGVSTINO cohibuit,
F præualuit in Adeodato, qui in maximum exclamauit planctum, tam clarè, vt coërceri debuerit: neque enim decere arbitrabantur illam animam quæstubus lacrimosis fatigare, quæ nec miserè, nec omninò moriebatur. Hoc, documenta morum, & fides non ficta, rationesque aliæ prægnantes docent. Doluit quidem AVGVSTINVS, sed consuetudinem tantùm simul viuendi dulcissimam esse repentè diruptam, seq; magno nunc demum solatio destitui. Interea dum frenant fletus, dum ad funus psallunt, dum funeralia parant; cõfluunt magno numero amici, & tã pio Filij dolori adgemunt. Ducitur funus, & feralia soluuntur officia. Et licet grauiter in occulto mente turbaretur AVGVSTINVS, illo tamen die, quo Iusta Matri dicebantur, sese à lacrimis continuit; posterâ verò luce, vbi in memoriam pientissimæ suæ Matris venit, habenas lacrimis laxa-
„ uit, & pænè oculos defleuit. *Legat qui volet, & interpretetur, vt vo-*
„ *let; fleuisse me Matrem exiguâ parte horæ, Matrem oculis meis interim mor-*
„ *tuam, quæ me multos annos fleuerat, vt oculis tuis viuerem.* P.

Sepultum est corpus humili primum, sed pietatem spirante conditorio in sanctæ Aureæ; neque enim magnificentiùs sibi tum structuram fieri voluit. Ibi postquam annis supra mille quadraginta, & vno quieuisset, exigentibus eius meritis, & virtutũ post tot annos emicante splendore, Anno virgineo supra millesimum quadringentesimo trigesimo, iussu Pontificis Max. Martini V. religiosissima Lipsana Romam traducta sunt, & augustiori sepulchreto in D. AVGVSTINI collocata. Multis religionis causâ eodem confluentibus, quos non vulgaris sanctitatis opinio, & clarissima miracula, quæ patrabat, magnâ confluge vndique excitiit. Ita quem fugimus, honor sequitur, & virtus in gloria sepeliri nequit. Quemadmodum superstes inter plebem numerari, & pro infimæ sortis fæmella contemni affectauit; ita multò vehementius demortuum cadauer abiectissimo capulo deuotuit, & parcissimè ædificari mortis domum voluit.

Vxor

Vxor apud veteres decem menſes à funere lugebat maritum, non vt tam diu lugeret, ſed ne diutiùs, ait Seneca. Q. Viris lugendi tempus non erat præſcriptum, ſiquidem inglorium, & inhoneſtum eſſe putabant, maſculos animos in luctum defluere. Verum hîc ſibi nihil præſcribi paſſus eſt AVGVSTINVS, qui Matrem, quoad vixit, luxit, & identidem poſtrema Monicæ verba refricabat: *Tantùm ad Altare Domini mei memineritis.* Quod egregiè poſtea inauguratus Sacerdos in ſuis litationibus præſtitit, & poſthumis pignoribus hanc ipſam pietatem, prout potuit, anxiè commendauit: ita precatus. *Inſpira, Domine Deus, inſpira ſeruis tuis, fratribus meis, filijs tuis, Dominis meis, quibus & voce, & corde, & literis ſeruio, vt ..... meminerint ad altare tuum Monicæ, famulæ tuæ cum Patricio quondam eius Coniuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam, quemadmodum neſcio: meminerint cum affectu pio parentum meorum in Matre Catholica, & ciuium meorum in æterna Hieruſalem, cui ſuſpirat peregrinatio populi tui ab exitu vſque ad reditum, vt quod à me illa peperſcit extremum, vberiùs ei præſtetur in multorum orationibus.* R. Audiant hæc nepotes Monicæ, & preces, ſi poſſint, Parentis contemnant.

Vixit annos Monica quinquaginta ſex, ſatis diu, & benè. Stobæus ait, multos viuere multo tempore, ſed paucis annis. Prodigio ſimile! ſed ita eſt. Dum alijs viuimus, nobis mortui, dies quidem perdimus, ſed non viuimus. Dux nonnemo militiæ inſignis (Similio nomen eſt) cùm diu belli, domique inter curas publicas hæſiſſet, quieti deinde ſenex conceſſit, & ſeptennium in illo otio vixit. Hic morti vicinus, tale ſibi epitaphium ſcripſit: *Hic iacet Similius, qui annoſus fuit, & tantùm ſeptennio vixit.* S. Quàm vereor, ne multos ſit reperire etiam capulares ſenes, qui tamẽ nunquam vixerint, imò qui priùs viuere deſierint, quàm inceperunt. Non interrogatio hîc eſt, quot luſtra viuas, ſed quàm benè: Ille demum mihi viuere dicitur, apud quem vel vitia nunquam vixerunt, vel maturè mortua ſunt. Annoſus non diu vixit, ſed diu fuit; ait Seneca. Narrat Solinus Ladam quendam pro palma tantâ pernicitate ſuper puluerem cauum curſitâſſe, vt arenis pendentibus nulla veſtigiorum indicia relinqueret. T Multi ita currunt ad tumulum, vt veſtigia vitæ nulla poſt ſe relinquant.

Vixit Monica in terris, ſed fixit oculos in cœlum; & ceu ra-

Digitized by Google

ceu radij ſolares contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, vnde mittuntur; ita animus illius conuerſabatur quidem in terra, ſed hærebat fixiùs origini ſuæ. Primum votorum fuit ſaturam vitæ citò mori, ſed benè mori; ſumma votorum erat. At corrigo; nec vixit Monica. Parcite, priſcum verbum eſt. Gentium mauſoleis inſcriptum erat; *Vixit*: nam poſt hanc vitam nil aliud illi expectabant, quàm æternam, & longam noctem. Infelices mortales, qui, dum oculos ſuos hîc ſtatuerunt declinare in terram, v: deiecto, & triſti cranio æternum deſperant, & cum Patientiæ Exemplo Iob dicunt:
H *Nec reuertetur oculus meus, vt videat bona.* x. Miſeri rei, qui baculo fracto, velut capite cenſi, æternis adiudicantur pœnis, vbi aridi marcebunt, nunquam in florem, aut virorem ituri. Miſeri, quorum poſtquam dies velociùs tranſierunt, quàm à texente tela ſuccliditur, & conſumpti ſunt, abſque vlla ſpe; Y frangunt anchoram, & medio Cocyto æternum mergendi circumuehuntur. Miſeri, & autumnales ficulni, quorum truncus
I à radice charitatis euulſus omnem deſperat vitam, & herbam. Feliciores illi, qui in Chriſto obdormiunt, vt æternũ vigilent;
L qui repoſtas ſinu fouent ſpes, & coronam virtutum in capite virente erigunt, quorum ſurculus viuacibus ramis protuberat ad cælum vſque, vnde operæ mercedem expectant, quorum corpora vt truncus quidem abſciſſus iacent, ſed non à radice:
M inde ergo virides pullulant rami, immunes à carie, quorũ palmes in vite manet, vuas & botros prolatura. Beatos iterum, qui in Domino moriuntur: nam ſicut redaccenduntur ſtellarum radij, quos matutina ſuccenſio extinxerat, ſicut reducuntur ſiderum abſentiæ, quos temporalis diſtinctio exemerat; ſicut redornantur ſpecula Lunæ, quæ menſtruus numerus attriuerat; ſicut reuoluuntur æſtates, verna, & autumna viribus, moribus, fructibus; ſicut arbores veſtiuntur poſt ſpolia, flores colorantur, herbæ imponuntur: ita Beatorum vita quæ ſorduit, ſiluit, ſtupuit, quieuit, iterum reuiuiſcet, virebit, & in nitorem ſuum redibit multo feliciori fœnore.

Quiſquis mori cum Monica debet, ſic viuat, vt certò moriturus; ſic moriatur, vt certò victurus. Fato omnibus eſt concedendum; & vagientem in cunis infantẽ paruo mors crepitu interi-

Digitized by Google

interimit,& florem adoleſcentię,gaudium parentum,ſpem poſteritatis in flore falx ingloria mortis metit, & pyramides, quas Memphis produxit, & mundi miracula funeſtata ſunt:putruerunt cedri Libani, Cades palmas ſuas perdidit, roſæ hiemem habent, & canitiem ludos mors habet. Nimirum pila ſunt omnia, quâ non Deus, ſed & mundi quatuor plagæ ludunt, & inhumaniter plagas infligunt, dum in quatuor angulorum vnum trudunt. Iam fulget, & ludit Oriens; iam ſqualet, & luget Occidens; iam æſtuat, & vrit Meridies; iam friget, & furit Septentrio, ait Alethes, ſeu Virgilianus, ſeu Chriſtianus. En quaternionem adoleſcentum; vt ſudant, dum eradicent arborem vitæ noſtræ! vt elementa vndique adoriantur hominem, & inteſtinis bellis, funeſtiſſimiſque pugnis decertent, dum ſternant hominem! Cadendum eſt arbori ſemel,& lignum in quocunq; loco ceciderit, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi erit. Aa Atqui non putreſcet, ſed æternùm erit. Tuum erit,altiùs cogitare, quid in arbore vitæ tibi creuerit, an angelicus vultus, an damnatum mortis cranium; vtrum, inquam, in damnandum, vel beandum ſpiritum ſis tranſiturus?

M. *Gen. 24. verſ. 4.* N. *Virgil. lib. 9. AEneid.* O. *Ouidius in Epiſtolis.* P. *Aug. lib. 9. Conf. cap 12.* Q. *Seneca Epiſt lib. 7.* R. *Aug. lib. 9. Conf. cap. vlt.* S. *In Monomachia Chriſti, & Luciferi apud Philip. Boſquier. Conc. 8. num. 5.* T. *Abraham Bzouius in Dom. 4 poſt Octau. Paſchæ, Conc. 3. ad finem.* V. *Pſal. 16. Verſ. 11.* X. *Iob. 7.* Y. *Iob. 7. num. 6.* Z. *Tertullian, lib. de Reſurrect. cap. 12.* Aa. *Ezech. 11.*

IV. Scilicet infelix arbor primorum parentum mortis certam legem, & incertum mortis genus, & diem inuexit, vt iam Iuſtitiæ diuinæ lex ſit, *omnem hominem mori.* Vides libram, quam Aſtræa præfert? vides appenſas duas lances? Deum immortalem! quàm rigidum fatum! Pone in alteram lancem Adamiticum pomum;in alteram infantilem etiam innocentiæ pone catenatas preces amicorũ, pone ipſam pulchritudinem, pone infinitas auri folles, & congeſtos argenti ſaccos; præponderabit tamen lanx pomi;ſicut ſtatera,quâ penditur aurum,quâ penditur plumbũ,eadem eſt;ita fatũ Dei in maximos,minimos. Idem pondus ſancto,damnato,Midæ,Codro. Omnes ex æquo vergunt ad ſepulchrũ;vt rectè meâ quidẽ opinione Iuſtitiæ ſtatuã effinxiſſe mihi videantur Thebani,quã ſine manib⁹, & auerſis ocu-

sis oculis sculpserunt; nempe vt ne caperet aurum, imò nec posset corrumpi. Certè si vnquam à lege sua non mouetur Iustitia, in ferendâ mortis sententiâ non flectitur. Solon, vt testis est Laërtius, rogatus, quid esset Lex? Respondit; Araneæ tela: si quid in eam incidat debile, retineri; si graue, transire telâ rescissâ. Nutet hominum Lex, legem mortis nihil perstringit, nec si cælum ipsum ruat. Iustitiæ egregij vindicatores apud antiquos fuêre. Epaminondas filium coronâ donatum, deinde securi feriri iussit, quòd paternæ legis contemptor cum hoste conflixisset, &, quod mirabilius, vicisset. Zaleucus Locrensis cùm legem tulisset de adultero excæcando, eiusque filius in adulterio deprehensus esset; se vno, filium altero priuauit oculo, ne Lex lata violaretur. Bb. Sanxit Deus legem, vt omnes morerentur homines. Homo factus Filius Dei, homo facta Mater Dei; vterque mortui sunt. En rigorem Iustitiæ in mortis negotio!

P Sed Prudentiam ordine adfinximus. Si enim Iustitia mori iubet; Prudentia modum benè moriendi docet. Prudens quisque sæpe oculos retrouertit, relegitque errorum vestigia, quoties in hoc vitæ itinere cespitauerit, quoties à cælo aberrauerit, quoties ceciderit, quoties lapsus surrexerit: tum figit in corde suo ceu in Apollinis templo Delphicum illud: γνῶθι σεαυτὸν. Prudentis officium est, futura præmeditari, & scire vitam nostram mortis esse Philosophiam. Prudentis est, ad clepsydram dies numerare, vt nulla hora abeat sine bono opere; hinc in speculo videt mortem, in manu gerit clepsydram.

Pythagoras suis discipulis specula dedit, & se in illis conspicere assiduè iussit; docens, cognitionem sui esse apprimè necessariam. Atque tu, dum apud tonsorem sedes, acturatè capitis tui attendis comam sumpto speculo; nec satis est tibi inspexisse, ex ipso artifice, & astantibus quæris, an alicubi incomptius manus operantis sit operata? an nullus capillus deficiat, aut neglectior sit? an deceat satis frontem leuiter attonsa cæsaries? Si solus es, quoties non speculum consulis? an sit frons crispanti rugâ contracta, vel genarum nitor rubeus, pallore obductus? Quare non animum, & teipsum ad conscientiæ speculum applices? Sextius noctu cubitum concessurus, frequenter

quenter se interrogabat, quâ parte melior factus esset, cui vitio præterito die obstitisset? Tu Christiane, non ad somnum, mortis imaginem, sed ad mortem iturus, non quæras? Quid si fratrem somni cum somno inuenires, quomodo stares? Inter alia, quæ minatur Deus apud Isaiam, ablaturum Ierosolymitanis, etiam specula dicit. cc. hoc est, vt interpretantur, cognitionem sui; quâ non habitâ, in quoduis vitium rues. Ferunt, Leonem artificio cicurem mansuescere, ita, vt collo suo catenas aureas, & capiti serta vernantia imponi permittat; si tamen in speculo suam generosam speciem aspiciat, mox in furorem versum, omnia illa ornamenta disrumpere, suumque natiuum terrorem excitare. Si homines fucatâ specie ab infero Alastore dementati, & catenis aureis implexi, in prudentiæ speculum sæpiùs inspicerent, suamque in peccatis turpitudinem agnoscerent; an non indignatione in se ipsos concitarentur? nonne laruas dæmonis deijcerent? Simia horret speculum, & vbi potest, frangit, suæ inibi visæ fæditatis impatiens. Tu non simia es, sed verus homo, & tibi places in speculo mundano. Camelus limpidam turbat bibiturus, ne gibbi deformitatem intueatur: at tu non camelus es, sed homo, & tot gibbos non vides, tot næuos non horres? Virum imprudentem sculpunt fictores, qui sphæram orbis in manu intuetur fixè; at à tergo gerit speculum: sic plerique se neglectis, aliena scrutantur inanes: quod non fecit Monica, nec docuit Filium.

Bb. *Valer. Max. lib. 6. cap. 5.* Cc. *Isaiæ cap. 3.*

PERIOCHE ICONIS NONÆ.

I. AVGVSTINVS INSPERATO SACERDOS INITIATVR; ITA EXIGENTIBVS EIVS MERITIS. II. MODESTE CVM LACRIMIS REpugnat, sed frustra. III. De Obedientia, & Castitate eiusdem.

I.

IVstis ritè, sacrisque piacularibus peractis, soluit Ostijs AVGVSTINVS cum Alipio, & Euodio: breuique tranquillis portum velis in patria tenuit. Ibi vix pauculos dies moratus, vbi assem hæreditario iure accessit, vitam aggressus meliorem, in paternis ædibus cœpit agere. Vbi ad iuuenes aliquot spectati ingenij animum intendit, quibuscum iuxta legem Apostolorum, quorum viuendi normam Romæ viderat, & probauerat, viueret. Quibus adscitis primum omnium habuit; omnibus humanis valedicere, seseque totum Deo transcribere: tum inedijs corpus macerare, assiduis cælum pulsare precibus, ceteris que sanctis exercitijs tam nauiter studere, vt diu noctuque inter hæc ferenda ascetica duraret. A. Neque interea alijs defuit; sed verò omnem adhibuit operam, vt & proximos sanctis quibusque scitis, & legibus instrueret; quod contentè, quà ore, quà calamo fecit; nam illo eodem tempore librum de Magistro, alios item binos contra Manichæorum sectam lucubrauit; quin & quartum, quem de vera Religione inscripsit; sed & absoluit libros de Musica. B. Neque verum est (quod tamen quidam ad nauseam inculcant) AVGVSTINVM id temporis in secessu, & solitudine cum Monachis degisse in tuguriolo propter montem quendam asperum, adituque difficilem sito; nam paternâ in domo apud Tagasten cum suis egit, iuxta institutum, quo in nouitiâ Ecclesiâ Ieroſolymis Apostoli viuebant; quod haud

 obscurè



Digitized by Google


BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE
LYON

obſcurè ex duobus ſermonibus, qui inſcribuntur de Clericis (quique inter ſermones ad Fratres in Eremo locum quinquageſimum ſecundum, & tertium ſortiti ſunt:) colliges; qui & ipſi ſermones ad Fratres in Eremo, his duobus exceptis, pſeudoauguſtiniani ſunt, ſpurij, magnamque partem leues, & fabuloſi, vt eruditè quidam, & copiosè. C

Poſt emenſum triennij ſpatium, vbi egregiè fortis Athleta ſe, ſuoſque in omni virtutum ſplendore excoluit; factum eſt, vt breui apud pleroſque omnes, non vulgarem boni nominis exiſtimationem conſequeretur. Certè id conſecutus eſt, vt Anno Chriſti nonageſimo primo vltra trecenteſimum, AVGVSTINI verò trigeſimo ſeptimo (iuxta aliorum calculos, octauo) Valerius Hipponenſium Antiſtes illum Sacerdotem A inaugurauerit; quod ad hunc fermè modum accidit, miraculi ſpecie. Accerſitus erat Hipponem ab amico, dumque iret per ſanctum otium ad templum, dicebat fortuitò pro concione ad populum ſanctus ſenex. Argumentum erat penuria Sacerdotum, quam ciuitas Hipponenſis cum magno ſalutis diſpendio eâ tempeſtate pateretur; dolendum eſſe tam populoſam, omnibuſque inſtructiſſimam ciuitatem ſolùm deſiderare Sacerdotem: ceterùm diuini Numinis flagellum eſſe, ab quibus auferre paſtorem; gregem balantem in agris relinquere abſque cuſtodiâ. Hoc ipſum olim inter alia minatum eſſe Deum impiatæ genti Iudæorum. D Conſulerent proinde in medium, & viderent, quem ſibi Paſtorem præficerent. Iam dudum ſtricturas, & non raras ſcintillas virtutum emiſerat AVGVSTINVS, quæ non potuêre non oculos optimorum quorumque verberare: enimuerò aliâs *exemplum bonum* in ſuo polo B tantus eſt magnes, vt ferreos etiam homines ad ſe trahat. Ergo auditores vbi ſecum conſiderârunt Chriſtianam Rempublicam non diu ſtare ſine moderatore, pecudemque facilè ſine rectura deuiare poſſe; conſenſu omnes animum, & oculos in AVGVSTINVM defixerunt, qui fortè tum aderat concioni, & è veſtigio totis manibus ad Epiſcopum duxerunt, ſeriò teſtati, C hunc vnum ſibi viſum tam excelſo Sacerdotij gradu dignũ. E

A. *Poſſid. in vitâ Aug. cap 3.* B. *Baron. Anno Chriſti 389.* C. *Rob. Bellarm. de ſcript. Eccleſiaſt. Cæſar. Baron. tom. 4. Annal. Anno Chriſti 382, Simon VVerlin. in ſua Criſt*

Digitized by Google

ſua Criſi de ſerm. ad Frat. in eremo. Georg. VVit. in vita Auguſt. cap. 13. D. Iſaiæ 13. num. 20. E. Baron. in annal. Anno Chriſti 391.

II. Non eſt difficile hîc diuinare, quid animi in his tumultuarijs comitijs fuerit AVGVSTINO, nihil minus quàm quod
D factum eſt cogitanti. Qui proinde inſperatò obrutus pro ſua modeſtiâ vberes fudit lacrimas, multo gemitu proteſtatus, ſe huic oneri quod imponeretur, ferendo imparem maximè eſſe; viderent etiam atque etiam, ne per nouitium Chriſti militem detrimentum magis Eccleſia hæc vidua, quàm emolumentum caperet. Cœpit deinde apud Electores ſuos magnis precibus inſiſtere; vellent ſe eo onere eximium eſſe, & in alium ſuffragia, cui maius rerum gerendarum natura ſubſidium ſuffeciſſet, ferre: ſed præpotuêre vota, & preces populi obijcientis etiam AVGVSTINO; *parùm ſepultâ diſtare inertiâ cælatam virtutem*, ita vt AVGVSTINVS manus dare, nec porrò repugnare ſine pertinaciæ notâ potuerit. Quanquam vt inuidia dignitatis appendix eſt, fuêre hîc aliqui liuore tacti, qui per ignominiam ſparſerunt, AVGVSTINI lacrimas, & repugnantem animum aliò ſpectâſſe, ac Sacerdotalem gradum nimis illi humilem viſum; altiora illum meditatum; micantem Epiſcopi Infulam oculos perſtrinxiſſe, & verò palàm ei verbis hanc ſpem fecerunt, fore vt breui conſequeretur, quod ſperaret: hunc gradum eſſe primũ, quo aſcendere ad illam ſublimitatem poſſet; F ſed iniuriâ: nam in ſequentibus dicam, quomodo omnem honorem ſubterfugerit, & ab hoc inanis gloriæ flatu, ceu animi peſte ſibi ſtudioſè ſemper cauerit, ita vt etiam ob hoc ipſum loca omnia fugerit, quæ Epiſcopum deſiderarent; cùm ſciret illos à plebe ad dignitatem quæri, qui doctrinâ & moribus excellerent, vt proinde verâ modeſtiâ amoliri hanc prouinciam voluerit: G prægnantes enim rationes habuit amouendi à ſe hanc dignitatem, cuius grauitatem moderni quidam hodiè vel non aduertunt, vel certè ſuis momentis non peræquè ponderant.

Si enim, vt ex ſacris priſcorum colligo; gentiles Sacerdotes, antequam ſuis idolis facerent, multis luſtrationibus initiari debuerunt, ita vt quidam tædâ, & ouo, & ſulphure purgari; alij aquâ ablui, aut aëre ventilari, vt de ambitioſis quibuſdam Myſtis canit Satyrographus:

Cuperet

Digitized by Google

------ *Cuperet lustrari, si qua darentur Sulphura cum tædis,* &c.

Alij flammâ inaugurari necesse habuerint, vt canit Ouidius:

Et veniat, quæ lustret anus tectumq́, locumq́;
Præferat & tremulâ sulphur, & ouà manu.

Quantò exactius æterni Numinis Sacerdotes expiati, & ab omni longissimè næui specie lustrati tenentur esse? vt profectò ad eos potiùs spectet, quàm ad Idololatras illud Sybillæ:

------ *Procul hinc, procul este prophani.*

Atque vt de disciplinis istis, quibus dæmoniorum instituebantur Sacerdotes, taceam; nonne innumeris penè cæremonijs Aaronici Sacerdotes ad sua sacra præparabantur? Lege tabulas Mosis. H Et rationes ini tecum, si ad vmbram tantæ deuotionis exposcebantur, quantæ ad veritatem? Si quis in veteri lege ad aram accedere, & mysteria tractare attentet, & non priùs sit expiatus, diuinæ vltionis mortuus non euadet, inquit Moses: & Leuitici ita DEVS ad prædictum Mosen: *Homo de semine tuo, q. habuerit maculam, non offeret panes Deo, nec accedat ad ministerium eius* I Et Exodi: descendere Aaron, & filij eius in fontem iubebantur, & manuum pedumq́; sordes abluere, antequam tabernaculum testimonij ingrederentur. L.

Et quot se vestibus non ornabant veteris vmbræ Sacerdotes? Quò liquidò constat, quanta animi pulchritudo, & ornatus esse debeat, quàm præ populo eminere, & effulgere Sacerdotes oporteat. Aaron quidem tanquam princeps Sacerdotum, induebat feminalia ex lino byssino, varieq́ue carminato. Tum superinijciebat tunicam lineam, eamq́ue zonâ byssinâ stringebat huic superinduebat hyacinthinam, super quam Ephod cum rationali accingebat zonâ secundâ: capiti denique imponebat tiaram, cui affixa erat lamina. M Quot vestes, tot mysteria. Feminalia, vt docet Hieronymus, N à lumbis pertingebant vsque ad genua, ob reuerentiam, & decentiam Sacerdotalem; & vt Beda ait, O ad innuendum, Mystas noui Instrumenti aut virgines esse, aut contracta cum vxoribus fœdera dissoluisse. Tunica linea corpori adstricta zonâ byssinâ erat, vt prompti essent ad munia sua; ad crura enim tantùm pertingebat, eratq́ue instar camisiæ, quâ milites vtuntur, ait Hieronymus. Tunica hyacinthina, siue ex violacei coloris

coloris lanâ laxior paululùm vſque ad talos deſcendebat, admonuitque ſacratorum vitam oportere eſſe cæleſtem, idque vſque ad finem; vt Sacerdos hoc ſuo colore conſpecto mentem ad cæleſtia ſubleuet, & curet corpus habere leue, & aëreum ex ſobrietate, & victûs tenuitate. P.

Porrò infernè in limbo habebat ſeptuaginta duo mala punica, totidemque tintinnabula, vt horum pulſu vocalis incederet Pontifex, ingrediens Sancta Sanctorum, alioqui moriturus; Q ad excitandam nempe in ſe, & populo reuerentiam. Tintinnabula, ait Rupertus, protendunt prædicationem Chriſti, mala verò punica eiuſdem miracula: ſed melius S. Hieronymus; Tanta, inquit, debet eſſe ſcientia, & eruditio Pontificis Dei, vt & greſſus eius, & motus, & vniuerſa vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto eam halitu reſonet; & ornatus vt quicquid agit, quidquid loquitur, doctrina ſit populorum: abſque his tintinnabulis enim, & diuerſis coloribus, & gemmis, floribuſque virtutum nec Sancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis obtinere. Neque Origenem tacere poſſum, R qui notat, Pontificem in orâ veſtis habere hæc tintinnabula, vt de extremis temporibus, & magno illo die nunquam ſileat, ſed inde ſemper ſonet, inde loquatur, inde diſputet: denique Ephod, ſiue Epomis Pontificis erat variegata, & contexta ex filis aureis, purpureis, coccineis, byſſinis opere polymito.

Circa pectus patebat locus Rationali inſerendo: habebat autem Ephod in humeris duos lapides onychinos, in quibus inſculpta duodecim nomina filiorum Iſraël; ſex in vno, & ſex in altero. In dextro onyche ſex ſeniorum nomina; Ruben, Simeon, Iudas, Dan, Nephthali, & Gad; in ſiniſtro ſex reliqua; Aſer, Iſachar, Zabulon, Ephraim, Manaſſes, Beniamin. Porrò Ephod denotat onus Euangelicum, & iugum Chriſti; opus autem polymitum variorum colorum, & liciorum, multiplares in Sacerdote virtutes: nomina filiorum Iſraël admonebant Sacerdotes ex officio teneri orare pro ſingulis populi tribubus, eoſque quaſi humeris ſuis portare; atque iſtud Ephod propriũ erat Pontifici; aliud, vt ſupra dixi, erat lineum, quo vtebantur inferiores Sacerdotes, quin & laici quoquo modo cultui diuino dediti. Tale fuit Ephod Samuelis pueruli: S tale Sacerdotum

dotum à Saule occisorum: T tali vsus est Dauid saltansante arcam. V Ita adstipulatur Hieronymus.

Quintus amictus erat Rationale, ita dictum, quia Pontificem, & populum commonefaciebat eorum, quæ summâ prudentiâ ipsis in suo officio consideranda erant. Dependebat autem τὸ λόγιον occultè ex duabus catenulis, eratque quadrangulum pro quatuor lapidum ordinibus: in primo ordine fulserunt Sardius, Topazius, Smaragdus; in secundo Carbunculus, Sapphirus, & Iaspis; in tertio, Ligurius, Achates, & Amethystus; in quarto, Chrysolithus, Onychinus, Berillus. Et his duodecim Patriarchæ, vel Apostoli significabantur: quatuor ordines gemmarum, quatuor virtutes Cardinales: tres lapides in singulis ordinibus tres indicabant theologicas virtutes. Cæterùm Sardius vult esse in Sacerdote feruidam doctrinam; est enim colore gemma sanguineo & igneo: Topazius animum cælestem, & ad omnia infractum, omnibusque aduersis superiorem; est enim lapis cæruleus, & fuluus, atque flammescit impensiùs, dum radijs solis verberatur: Smaragdus virginitatem, maximè enim viret: Carbunculus ardentem Charitatem, est enim quasi carbo ignitus, cuius & speciem refert: Sapphirus eos, qui corpore quidem in terris, mente autem in cœlis versantur; est enim cælestis coloris, & aureis punctis collucet: Iaspis fortitudinem Fidei; nam gemma firmissima, & virens est: Ligurius, seu Hyacinthus contemptum terrenorum, & amorem cælestium. Quid ita? Fulgore suo violaceo ita pascit oculos, rapitque, vt euanescat, antequam satiet.

Achates sapientiam auream cum acrimonia; ita etymon nominis indicat. Amethystus humilitatem, quia coloris est purpurei, & sculpturâ facilis, leniterque flammulas fundit. Chrysolithus Metanœam, siquidem partim aurei, partim marini coloris est. Onyx candorem animi, & innocentiæ. Berillus animum fortem, & heroicum, instar enim aquæ Solis fulgore percussæ rubicundus est, sed non fulget, nisi in sexangulas formas poliatur; repercussione siquidem angulorum fulgor acuitur, tenentisque manum adurere dicitur. Y

Digitized by Google

Vltimum ornamentum erat Tiara, Cidaris, seu Mitra; cui affixa erat lamina cum hac epigraphe: *Sanctitas Domino*: quâ indicabatur eminentia Sacerdotis. z

Minores verò Sacerdotes quatuor solummodò vestes habebant; Femínalia, Tunicam lineam, Zonam, Tiaram: F carebant ergo tunicâ hyacinthinâ, Ephod, Rationali, & laminâ aureâ, cum nomine Tetragrammaton. Vide iam, si tot virtutibus fulgere legales oportebat Sacerdotes, qui tauros, vitulos, agnos tantùm immolabant; qui *thura mera dabant, & adolebant*; meri pigmentarij, quibus omnia in tenebris, & figuris contingebant; quantis prærogatiuis nouæ legis Sacerdotes eminere debeant? Sacerdotes non AäG ronici, sed qui secundùm ordinem Melchisedech sunt initiati; Sacerdotes Christi, quorum typus erat Melchisedech; Sacerdotes qui in æternum durabunt. Certè Christus, & Melchisedech eiusdem nomenclaturæ; Melchisedech Regem Iustitiæ interpretantur, & Christum; ille Rex Salem, seu Pacis erat; erat & Christus: ille sine matre & patre erat (nescimus enim huius initium dierum, nec finem vitæ, non quia non erat, sed quia ignotum erat) ἀπάτωρ, & ἀμήτωρ, & Christus nesciebat matrem, quia ab æterno sine matre erat; nesciebat patrem, quia in tempore sine patre: vterque PontiH ficatum gessit; vterque *panem & vinum* obtulit; vterque purissimus in litatione erat. Ille panis partem cremabat priùs, partem vini libabat; reliquum panis & vini in milites Abrahæ distribuebat; hoc enim moris erat in Sacrificio pacifico. Aa. Hic Christus in vltimâ, sacratissimaque cœna & ipse Panem, & Vinum obtulit, deinde Apostolis libanda distribuit.

Panes erant duodecim ex simila purissimâ, vt quælibet tribus panem suum offerret, erantque azymi, & quisque eorum ponderabat duas decimas, hoc est, libras tredecim cum dimidia, &c. Bb.

Longum foret in singula mysteria ire: vtque modestissimè dicam, & parcissimè, quæ alij totis libris loquuntur; quæ » non dotes in Presbyteris requiruntur? *Sancti erunt Deo Sacerdo-* » *tes*, ait sacra Pagina. Cc Et S. Avgvstinvs postea hâc eos ora-

tione

Digitized by Google

tione compellat: *Si anima cuiuslibet iusti sedes est Dei, multò magis sedes, & templum Dei vos esse debetis, mundum & immaculatum, &c. Vos estis Sal terræ, Lux mundi, lucerna accensa, Ciuitas in monte posita, Columnæ templi, Arbores scientiæ in medio paradisi plantatæ, Rectores Ecclesiarum, Angelorum socij, cœli Ciues, Filij Prophetarum, Patriarcharum cognati, denique Apostolorum successores.*

Hæc omnia maturè S. AVGVSTINVS præmeditatus, timidè ad Valerium accessit, & non nisi inuitus, renisus, excusans, lacrimans. Dij boni! quantum ab illis temporibus abeunt nostri seculi mores! Quando iam non tantùm non recusamus, sed vltrò ambimus; sed magno emimus; sed vi, & potestate vindicamus. Tantorum morum, & sanctitatis famâ notissimus AVGVSTINVS non nisi coactus accedit; sciuit enim quanto cum periculo in summis habitemus. Optimis ille præluxit exemplis, neque lampas ipsius fuit ex illis quinque frigidis fatuarum virginum, sed aluit oleum, flammam, & ignem, quem aquæ multæ non potuerunt extinguere; qui ad similem flammam, & sanctitatis nitorem multos alios animauit, atque in perfectionis Apostolicæ studium pro virili inflammauit. Hoc potissimùm nomine præcipuus antiquæ Religionis Instaurator inaudit; non solùm idcircò, quòd (vt in eius vitâ narrat Possidius) intrà Ecclesiam Clericorum Monasterium condiderit, vti vnâ singuli mensâ, communibusque sumptibus alerentur; Dd sed illa etiam de causâ, quòd leges Canonicis accommodatissimas conscripserit, quæ passim deinde non mirificè tantùm laudatæ, sed & à plurimis Congregationibus sunt acceptæ. Nimirum sibi semper autem vellicauit, & Christianum illud apophthegma repetijt: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum.* Ee Deducunt Sanctum Latini à Sancio, quod à Sanguine dicitur, eò quòd mactatæ Hostiæ sanguine fœdera solerent sanciri; indidem Sanctum, quasi sanguine sancitum; & ideò Sanctum dicitur, quod violari non licet.

Attendant hoc nostri Sacerdotes, & audiant hi tales, qui suis malis exemplis, alijs offendiculo sunt, quàm mellifluus Doctor acerbissimè Sacerdotes perstringat, qui violato fœdere non aliter, ac seculares viuunt; ita habet: *Non est iam dicere, vt populus, sic Sacerdos; quia nec sic populus, vt Sacerdos. Heu,*

» *Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi; qui vi-*
» *dentur in Ecclesia tua primatum diligere; gerere principatum. Arcem*
» *Sion occupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps li-*
» *berè, ac potestatiuè tradunt incendio ciuitatem. Misera eorum conuersatio,*
» *plebis tuæ miserabilis subuersio est. Atque vtinam solâ hac parte nocerent:*
» *esset fortè, qui dominicâ præmunitus, & præmonitus exhortatione, dare ope-*
» *ram ipsorum non exempla imitari, sed obseruare præcepta, iuxta illud:* Quæ
» dicunt, facite, & ad opera eorum nolite respicere. *Nunc autem*
» *dati sunt sacri Gradus in occasionem turpis lucri, & quæstum æstimant*
» *pietatem. Copiosissimæ siquidem pietatis inueniuntur in susceipiendâ (imò ac-*
» *cipiendâ magis) animarum curâ, sed hæc apud eos cura minor, & de ani-*
» *marum salute nouissima cogitatio est.* Ff

» Postquam sacris est initiatus Avgvstinvs; en admirare, quanta in Homine demissio fuerit! Valerius Antistes eius, & Archimandrita natu iam grandæuus, ob exiles & attritas vires mirè debilis; cùm naturâ Græcus esset, minusque latinè, & concinne pro sacris rostris diceret; neque etiam eloquentiæ laude præstaret; surrogauit Avgvstinvm, vt Concionatoris officio (quod soli tum temporis Episcopi exercebant) pro sese fungeretur, vt qui & laterum firmitate, & natiuo eloquentiæ flumine præstaret. Hic verò iterum ille Noster, vt qui modestissimè de suis semper rebus senserat, non simulatâ mansuetudine sese infra omnes abiecit, suppliceque obtulit litteras, quibus inducias in sequens Pascha rogauit, quo in sacris litteris magis instrueretur. Extat hodieque ipsius libellus precum eâ de causâ tunc oblatus Valerio: qui cum prolixior sit, nolui hic exscribere. Reperies apud Illustrissimum Baronium. Gg Synopsis est: Magni momenti esse, Christiana dogmata tradere, sacrarum litterarum profunda nimiùm esse mysteria, quibus rimandis opus sit magno ingenio; se rudem hominem, & sacræ Paginæ vix tironem; laboraturum verò, & operam daturum, si quo modo pro suo modulo sese breui, Numine clementer dante, instituere posset. Ecce, nonne hic ille Avgvstinvs est, qui iam pro defensione, & illustratione Christianæ Religionis tot, tamque disertos ediderat commentarios? Qui igitur talia, tantaque præstiterat Orthodoxæ, & Oecumenicæ Ecclesiæ, an non sufficiens erat, vt

erat, vt publicè doceret populum Hipponensem? Sanè quidem. Sed id præstitit, quòd sciret nihil in Ecclesia Dei esse maioris negotij, quàm Dei esse præconem. HH

Tentauit in hac surrogatione Valerius, quod nullus Africanorum Episcoporum antehac vnquam; nempe vt Presbyteri publicitus populum pro concione docerent; cùm non nisi Episcopi id obirent munus. Non negauerim tamen, huic sanctissimo Seni propter hoc factum alios Antistites succensuisse, sed tàm parum obtrectantium linguas audiebat, vt sibi abundè gratulatus etiam fuerit, à Presbytero hoc denique præstari, quod à se summo Præsule minimè impleri posse cernebat. Atque hoc Valerij exemplum secutæ sunt non tantùm Ecclesiæ tenues, sed primatum totius Africanæ prouinciæ gerens Carthaginensis, eiusque primas Aurelius. Postquam enim acceptauit hoc munus AVGVSTINVS, improbata & irrita reddita est ea Africæ consuetudo, quâ iussi sunt tacere Presbyteri. II Quam desuetudinem non immeritò sugillat S. HIERONYMVS, dum in epistola ad Nepotianum ita habet: *Pessima consuetudinis est, in quibusdam Ecclesijs tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui; quasi aut inuideant, aut non dignentur audire.* Itaque Presbyter, & Ecclesiastes Hipponensium acerrimus AVGVSTINVS, oblitterauit suâ prædicandi functione edictum, quo prohibiti sunt Sacerdotes in publicis cathedris verba facere: & Sacerdotis personam præclarè sustinuit, ad cuius mores & dicta sese tota conformabat Ciuitas.

Ægyptij pingebant Sacerdotem sub figura cuiusdam animalis, (Cynocephalum appellant) quod iuxta æquinoctium, clamorem quendam emittit magnum, qui pro horologio nocturno erat; & Trismegistus occasione huius animalis fertur Horologium adinuenisse. II. Voluerunt significare Ægyptij, Sacerdotum vitam Horologium alijs oportere esse, omnium actiones ad suam regulam applicare, vt ordinatè viuant. Quod supra, quàm dici potest, præstitit noster Sacerdos; qui etiam contra Manichæos cùm publicè, tùm priuatim seuerè dixit, maximè contra Fortunatum eius farinæ non postremum Hæresiarcham, qui familiarissimum AVGVSTINO Ho-

noratum suâ hæresi postidrè inseruit. Adhunc deinde Honoratum scriptus est Commentarius de vtilitate credendi, vtilissimus lectu; vbi multa de præstantia Fidei Christianæ. Mm Paulò post aliud euulgauit librum de duabus Animabus; & hæc primo Anno. Sequenti verò in arenam literariam cum eodem Fortunato descendit. Sub hoc idem tempus creatur supremus Antistes Carthagine Aurelius, quem literis salutauit AVGVSTINVS, quibus & eum hortatus est, vt molitos prauosque mores suo solo proscribi, & longissimè pestem patriæ exulare pro imperio iuberet; sehas de ipso concepisse spes, vt huic malo facillimè mederi posset, coacto maximè suorum Concilio. Nh

Vigebant verò in Africa tria illa potissimùm vitia, de quorum veluti semente omnium aliorum exurgit pestilens seges, quorumque meminit Apostolus; o o Comessationes, & ebrietates; cubilia & impudicitiæ; contentiones & doli. Profectò res eò deflexit, vt inter Christianos non tantùm libido vigeret; sed vt in honorem etiam Beatissimorum Martyrum, per dies ipsis festos compotationes ad eorum sacra Conditoria instituerent. Quadere AVGVSTINVS: *Sed feramus hæc in luxu, & labe domestica, & eorum conuiuiorum, quæ prælatis parietibus continentur . . . . saltem de Sanctorum Corporum sepulchris, saltem de locis Sacramentorum, saltem de domibus orationum tantum dederis vt eiciatur.* Hinc Parens noster singulari Religionis propagandæ studio accensus pp quicùm alibi in Ecclesijs (transmarinis scilicet) correctos hos errores videret, in Africanis optauit per Aurelium quoque imitari. Porrò ista, quam aboleri cupijt, desuetudo fuit, quod post sacram Synaxin Africani conuiuia in Ecclesijs instituerent; quæ traducta à temporibus Apostolorum videntur, similesque sunt Agapis; o q laudabili quidem primitus instituto, quod tamen prauus deinde vsus, vt fieri in sanctis solet, corrupit; nam symbola Charitatis in luxum transierant, & ebrietatem. Quod autem res longâ roborata consuetudine in tantum videretur fixisse radices, vt perdifficile euelli posset, momentis persuasit AVGVSTINVS Aurelio, id faciendum authoritate Oecumenici Concilij; quod post annos circiter sex coactum fuit, & omnes Agapæ siue ad sepulchra Martyrum, siue

 in me-

in memorijs defunctorum, &c. exhiberi solitæ, sublatæ sunt. Et hoc denique modo pugnatum est contra prauos, & inueteratos mores, ad imitationem aliorum Parœcorum, quibus animorum salus est iniuncta.

F. *Possid. loc. cit. ab.* G. *Georgius Vitæ in vita Aug. cap. 13.* G. *Augustinus in epist. 225. ad Albin.* H. *Exod. cap. 19.* I. *Leuit. 21. vers. 18.* L. *Exod. 30 vers. 19.* M. *Cornel. à lapide in Exodi cap. 28.* N. *Hieronym. in epist. 128. ad Fabiol. de veste Sacerdot.* O. *Beda apud Cornel. loc. citato.* P. *In Exodi cap. 28. loc. citato.* Q. *In Exodi cap. 28. vers. 35.* R. *Origen. Homil. 9.* S. *1 Reg. 2. vers. 18.* T. *1 Reg. 22. vers. 18.* V. *2. Reg. 6. vers. 14.* X. *Hieron ad Fab. loc. cit.* Y. *Cornelius à Lap. loc. cit.* Z. *loc. cit.* Aa. *Epiphan. hæres 50. Ireneus, Eusebius, Cornel à lap. in Genesis cap. 14.* Bb. *Idem in Leuitici cap. 18.* Cc. *Leuit. 25.* Dd. *Possid. in vit. Aug. cap 5.* Ee. *Leuit. 11. num. 44.* Ff. *Bernard. serm. 1. in Conuers. S. Pauli.* Gg. *Baron. tom. 4. Anno Christi 391.* Hh. *Baronius.* Ii. *Idem.* Ll. *Fran. Labata, Verbo Sacerdos.* Mm. *Possid. in vit. Aug. cap 6.* Nn. *Aug. in epist. ad Valer. cap. 4.* Oo. *Apost. 1 Cor. 13.* Pp. *Aug. loc. cit.* Qq. *2. Corint. 11.*

III. Tametsi verò in hoc Presbyterij gradu omnibus quam primum cœperit florere virtutibus; præcipuè tamen eminuit in illo singularis quædam Obedientia, & Castitas. Ille enim, qui nihil adeò abhorruit, quàm dignitates, duce Obedientia, & iubente Valerio ad Sacerdotalem dignitatem est promotus.

Clausis dedimus *Obedientiam* oculis, quia cæca dicitur, & vt S. Gregorius, Rt verus obediens, ait, nec præceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit. Et Chrysostomus: Ss quicquid ordinauerit Dt vs, id omne admittamus, nihil anxiè indagantes, nihil curiosè perscrutantes. Oculata autem manus est, in signum promptissimi obsequij. Inspergit emortuum truncum, qui obedientiâ reuiuescit: notum enim, credo, illud est, quod de Abbate Ioannis Magistro fertur. Tt Iussit hic aridum, exsuccumque sarmentum per disciplinæ alumnum in hortum depangi, & quot diebus triennali spatio rigari, quoad reuiresceret iterum, & florem induceret. Factum est promptissimè, nec discutiam, an vires naturæ superaret: Decursu triennij mortuum virgultum redijt in vitam, quam deinde florentem virgam in medio Sociorum cœtu cum magni Obedientiæ encomijs ostendit. Mehmn me audite, imperio obsecundate alieno, & ex aliorum nutu olera ferete, satius esse, quam sua sponte fructum rapi cœlum. Viuit obediens alienis cutis, & impensis; non aliter fetè quam institor, quem cura nautæ etiam dormientem ad portum vehit. Ipse

dein' S. AVGVSTINVS maximus huius virtutis encomiastes factus est: *Vis*, ait quodam loco, *seruiat Caro animæ tuæ? Deo seruiat anima tua. Debes regi, vt possis regere.*

Multos Obedientiæ fructus possem huc adferre. Deo, Soli, Cælitibus, Tartaro ipsi Obedientia leges ponit. Voluntatem enim timentium se faciet Deus. Et cur non audisset AVGVSTINVS Sanctissimum hunc Valerium? Oues audiunt vocem pastoris, superiores cæli hierarchias inferiores, venti & mare Deum. Anastasius Monachus quatuor totis annis centum inferos hostes habuit sibi infestos; quia verò Candidatus Obedientiæ erat, vsus est dein' ipsis spiritibus immundis pro arbitrio suo subiectis, ita quidem vt eorum operis, præcepto Anastasij cogente, constructum sit florentissimum Monasterium capax centum Monachorum, deductæque aquæ procul per canales subterraneos. Ecce elementorum, & Stygis ipsius obsequelas?

Nunc ad Castitatem AVGVSTINI. Nihil magis decet Sacerdotem, quàm animi illibatus flos; & nihil turpius dehonestat, quàm carnis spurcitia. Solus iste, & vnicus immundus spiritus, templum Dei, quod Sacerdotes sunt, quàm maximè violat. Angeli speciem *Castitas* præ se fert, quippe Casti Angelicam turbam proximè accedunt. Vidit olim castissimus ille Angelus in sua Apocalypsi Angelum vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zonâ aureâ. Quotquot hoc cingulum explicant, Castitatis symbolum esse aiunt, quo Sacerdotes omnes cinctos esse oportet.

——— Discedite ab aris,
Quèis dedit besternâ gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis. ———

Canit ad suos, imò ad nostros magis Sacerdotes Tibullus. VT Ad Diuos adeunto caste ..... Qui secùs faxit, vindex erit Deus ipse. XX Vestales Sacerdotes virginitatem si quando suam prostituerunt, viuæ terrâ obrutæ sunt. Tela frangit *Castitas*, suscitabula & antiludia turpis amoris. Calcat Veneris temerarium Puerum, qui, vt quidam ait, malis suis moribus contemptâ disciplinâ publicâ, & sagittis armatus, per alienas domos discurrit, & omnium matrimonia (etiam Christi cum Ecclesia) corrumpit.

Pueri

Pueri habitu pingitur Veneris proles, quia prudentiæ, & rationis vsum tollit, & amatores suos aut pueros facit, aut puerilibus implet sermonibus, actionibusque. Pennatus est; nam pennis, & plumis, (calamo, & lecto) ad sua vtitur ministeria. Et meritò Castitas calcat, cùm tam miserè pusio iste innumeram diuersæ ætatis gentem, quæ sub iugo eius militat, exerceat, vt in monstra absurdissima deformet. Legat, qui volet, in quot bestias suos Deos abire iusserit, apud Ouidium. In equos, tauros, lupos, canes, serpentes, sexcentaque alia monstra. Cæcus autem puer est, cùm amor non timeat, non paueat, nullum videat periculum; in oculis verò timoris, verecundiæque plurimùm sedet. Fecit duodecim annis huic puero tanquam DEO AVGVSTINVS; postquam verò in alium hominem inunctus est, longè aliter armis Veneris est vsus. Facem turpiter accensam vertit in bonorum exemplorum facem, & quam antea abscondit in cubiculis, nunc in summitate montis fixit. Tæniâ obligat oculos, non vt turpitudinem non videret, sed ne viderent oculi, quod de cetero malè concupiscerent: nam Sacerdos tam cauit suæ pudicitiæ, vt, sicut scribit Possidius in eius vita, nullam feminam nec limina domus suæ salutare permiserit; neque voluit, vt vnquam in suam domum germana soror veniret, quæ tamen iam vidua erat, & Deo deuotissimè inseruiebat: (hæc postea in primo Monasterio Sanctimonialium à S. AVGVSTINO extructo Abbatissa dicitur constituta,) nam dicebat; etiamsi nulla suspicio oboriretur ob sororem, neptes, aliasque consanguineas; quia tamen illæ cum alijs versarentur, facilè posse commercij suspicionem intercedere; imò posse esse in famulis, & pedisequis, illasque notâ insignire peiore. Hoc nomine statuit AVGVSTINVS nunquam licere cum Sacerdotibus feminas cohabitare, ne scandalum pariant. Tum deinde nunquam solus cum sola loquebatur, sed si quando opus fuit necessariò sermonem cum feminis instituere; Clericos semper tanquam arbitros vnà habebat; nisi fortè quid esset arcani, quod vnius auribus committendum esset; tum enim verò charitas admonuit maledicorum sibila contemnere, nec vsqueadeò seruiendum improborum linguis, vt necessarium officium

officium hac gratiâ prætermitteretur. Quotquot licuerat, virgines trahebat vel ad Monasteria, vel suadebat cœlibatum; scripsitque hunc in finem librum de Continentia, & alium de Bono Viduitatis.

Vide vnicum Castitatis exemplum. Erat id temporis nobilis inter suos Virgo Carthagine, pacto iugali iam destinata consensu parentum prædiuiti, honoratoque Nobili. Cùm nuptialia festa aduenirent, subitò mutato animo vestem etiam mutauit, & in Parthenonum album inscripta est cum summâ matris gratulatione, amplissimumque patrimonium in pauperes distribuit. Huius autem mutationis post DEVM causa prima fuit AVGVSTINVS, vt meminit ipse. Yy

Rr. *S. Greg. super lib. 2. Regum. cap. 4.* Ss. *Chrysostom. homil. 2. ad Român.* Tt. *Greg. in Dialog. dist 2. histor 159.* Vu. *Tibull. lib. 2.* Xx. *Cicero in suis tab. fœnus Romanar.* Yy. *S. Aug. in epist. 145. &c. 189.*



Digitized by Google



Digitized by Google



VNVS AMOR SVPERVM-DOMVS, ET MENS VNICA FRATRVM-
NVNQVID HABET COELVM, IAM QVOQVE TERRA SVVM?
Jo: wandavis. Sch.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS DECIMÆ.

I. AVGVSTINVS MONASTERIA CONDIT. II. TRANQVILLE AGVNT, QVI SE DEO DICANT. III. QVAM STVDIOSVS FVERIT Religionis, & Paupertatis.

I.

INibat iam pridem rationes AVGVSTINVS, qui tandem reliquam ætatem procul à turbis habere posset. Et licet apud Tagastem accersitis socijs ante triennium certum vitæ institutum sibi delegisset; degit tamen cum suis in priuatis defuncti parentis ædibus, & nondum aliquod Monasterium erexerat. (Scio hîc Eremitas reclamare, & totis paginis contraire; sed sequor ego Annales Ecclesiasticos. A) Accidit autem, (vt mentionem etiam supra feci) vt rogatus à quodam amico, Hipponem veniret, ibidemque Sacerdos inauguratus, omnia ob doctrinæ micorem apud Valerium Antistitem posset. Hic ergo occasionem nactus desiderij implendi, suæ Societati cunabula ponere, & extra mœnia in horto quodam Senis Valerij Monasterium condere instituit. Est hoc domicilium ab AVGVSTINO Presbytero adhuc constructum, cuius restare duntaxat rudera nostrâ tempestate adhuc spectanda aiunt, quæ etiamnum miraculis clarere Prosper Stellartius testatur. B Verba eius sunt. *Brutum animal, si quod intra parietum, ruderumque septa venerit, fixis solo pedibus ita pertinaciter inhæret, vt ne vi quidem dimoueri queat, ni calces, pellemue, pro temeritatis suæ symbolo exuat, priusquam exeat. Sed fidem huius rei relinquo penes lectorem.*

Pòst Episcopus creatus, alterum instituit intrà episcopalis Domûs parietes, in quo Clerici cum illo viuerent: nam videbat ab Episcopo hospitibus humanitatem exhibendam; si autem consuetudo ista in Monasterio permitteretur, indecens futurum, A

turum, & valde incommodaturum: voluit ergo in suo Episcopio habere secum Collegium Clericorum. Et de hoc ipso intelligendus est Possidius, C quando dicit Monasterium intrà Ecclesiam ab AVGVSTINO institutum. D

Tertium denique quoddam Cœnobium posuit Hippone in ciuitate ipsa Sanctimonialibus, quibus & scripsit Regulam illam, de qua graue bellum inter AVGVSTINIANÆ Professionis homines exarsit; quamque viris latam esse perpetam multi asseuerant, & varijs conquisitis argumentis veritatem hanc adstruere conantur; sed parùm solidè, cùm AVGVSTINVS secundùm placita, quæ olim Apostoli sanxerunt, cum suis semper vixerit. Quòd verò nunc temporis in eam, quæ vulgò AVGVSTINI Regula dicitur, etiam viri iuremus, non abnuo; quamuis si vulgatam editionem spectemus, plurimis ea mendis scateat, & magno fructu probè emendata, & notis illustrata à nostri Instituti viro, cui calamus satis bonus, & mens sana, qui licet Criticus sit, non tamen scripsit Creticè, vt malè arguitur. E

Post erecta Monasteria, etiam ipse AVGVSTINVS Religiosum induit, si non vestibus, (quod credo) certè moribus; neque enim vestes multum ad spiritûs profectum conferunt. Sed fac, vestes quoque religiosas induisse, induit tamen Canonicorum Regularium, quorum & nomen & ipsi damus, alijs satis mirandum. Quid enim, aiunt, nomen est, Canonicorum Regularium? Quæ hæc Battologia? Dico ergo (Doctis non loquor) Canonicos nos dici à Canonibus Apostolorum, qui in communi vitam communem vixerunt; Regulares autem, quia triplici voto nos adstringimus, ad discrimen Canonicorum secularium, qui propriâ quadrâ, proprijs sumptibus, proprijs in ædibus Domini aluntur. Atque vt benè in hoc meminit Critici nostri Antagonista, F olim multò pauciora ad Religiosam vitam constituendam requirebantur, quàm nostris temporibus: nam præter communem, Deoque obsequentem famulatum, vota, &c. certa etiam nunc Regula ab Ecclesia, & solo Romano Pontifice approbata, est omninò necessaria. Olim autem Regularum admissio penes Episcopos tantùm erat, qui ordinariâ auctoritate nouum vitæ institutum vel admittebant, vel reprobabant. Ordine ergo AVGVSTINVS insti-

tutum

tutum ſuum propagaturus, Regulam diſtribuit, vt ſi quis cooptari cuperet, priùs cõſueta Religionis vota nuncuparet, & ſuas leges ſacramento reciperet. Quas illas leges? Solemnem, aio, formulam, quâ tria Vota edimus, Paupertatem perennem, Caſtitatem illibatam, Obedientiam ſpontaneam: ad quæ nos manu duxerunt veteris Teſtamenti Parentes.

Caſtitatis ſchema propoſuit Ioſephus caſtus ille, & inclytæ famæ Iuuenis, à fratribus in Ægyptum venditus, qui ab impotenti æſtuantis heræ flammâ circumuentus, pallium priùs reliquit, quàm pudorem: & ne tori herilis verè adulter audiret, aut proſtibulum, audijt libens vltimas contumelias, & extrema in tetro carcere exantlauit. C

Perfectiſſima Obedientiæ forma, Abrahamus eſt, qui non tantùm ad imperium diuinum, patrium ſolum, auita reliquit arua, parentes deſeruit, ſed & ſuum Iſaacum, adoleſcentiæ florem, parentum delicium, & poſteritatis vnicam ſpem, ad vnicam cæli vocem occidere voluit, & naturam cum filio proſternere. Deum bonum! quàm moderatè tulit, quàm nihil accuſauit imperium; *Tolle filium tuum, quem diligis, Iſaac*! Quàm tranquillè faſcem lignorũ tam delicatis ſubligauit humeris! quàm inhumanâ manu patrem oblitus, ictum vibrauit! D

Sũmam denique omnium inopiam, maximumq; Religionis ignem, & ſupra captum noſtrum, zelum in Elia Thesbite videmus, cui ad torrentẽ Carith, nihil omnino de victu cogitanti, non tantùm ales coruus ſuum dimenſum ſtatis horis aſportauit, G ſed & Angelus ſedulus miniſter, Iezabelis vultuoſitatem timenti, ſubcinericium panem, & aquam miniſtrauit. H Ita nempe omnis ſolatij fugientes alit Deus, & vel coruis præcipit, vt paſcant Elias; vel viduæ morienti præ fame, vt paupertem annonam elargiatur. Sic Paulo ſexaginta annis in eremo coruus promus, & egregius archimagirus fuit: ſic incogitantibus hodie Deo dicatis, Deus ipſe condus, & pincerna eſt, nobileque triclinium parat; vt non immeritò, qui vota ſua reddiderunt in conſpectu timentium Deum cum Dauide glorientur: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* I.

A. *Baron. tom. 4. Anno Chriſti 391.* B. *In ſuo nucleo hiſtorico Regulæ Auguſtinianæ.* C. *Poſſid. in vita Auguſtini, cap. 2.* D. *Baronius loc. citato* E. *Simon*

VVerlinus, in quæst. suæ Regulæ Monast. E. *Nicolaus Cruseius in suo Monastico, part. 1. cap. 2.* G. *3. Reg. 17.* H. *Loco citat. cap. 19.* I. *psal. 15. num. 6.*

II. Dilaudent, quibus ampla patrimonia, suam sportulam; ἀλλ' ὁι τῆς κρατίστης μυ, respondet religiosus; vt meritò cœnobiticam vitam tam anxiè desiderauerit AVGVSTINVS: hæc enim illa est, quæ iucunditatem, & cælum omne infert: hîc Vlyssis socij gustant lotum, & excedunt patriâ, omnemque longissimè memoriam abijciunt, atque de reditu in Græciam (Mundum intelligo, vbi Græca fides) ne cogitationem quidem suscipiunt. F Hîc loto tacta omnes illecebras æternùm obliuiscimur. Hîc Monasterium constructur viuis ex lapidibus, quod beati Genij velut Atlantes, suis impigrè humeris sustentant; fouet Deus, vbi boni ædificantur, mali retunduntur. Hîc Thabor est, in quo religiosæ mentes felici metamorphosi transfigurantur, è terrenis factæ cælestiores, clamantque emotâ mente cum Clauigero Principe; *Bonum esse hîc.*

Exeat mundo, qui pietatem spirat, & fugiat tanquam de medio Babylonis. Eccur? Periclitatur Castitas in delicijs, Humilitas in diuitijs, Pietas in negotio, Veritas in multiloquio, Charitas in hoc mundi seculo. L Clament ad rauim Hæretici, & Monasticen inferi veteratoris inuentum esse dicant; scimus tamen Soterem à diuinissimo spiritu ductum in desertum, velut in Ascæterium; scimus Christum in vtero D. Virginis vix conceptum vota concepisse; se nimirum pro salute generis humani occidendum, & in Cibum suis dandũ. Obganniant, qui velint, & captiuos vocent Religiosos; nemo abnuet, sed se Christi captiuos esse cũ Paulo, qui nõ potuit magnificentius nominari, quàm *vinctus in Domino.* Subsannent Vrbani, & posticis digitis nos exules infament, aquâ & igne interdictos: exules nos fatemur, & illud Themistoclis propter naufragium apud Xerxem extorris repetere possumus: *Periremus, nisi periissemus.* Dicant alij, non esse bonum hominem esse solum; M at nouimus Agarem solam habuisse Consolatorem Angelum: N cum solo Mose in monte locutum æternum Numen: O cum Helia in spelunca, & sub vmbrâ Iuniperi solo cælestem Ephebum: P Mariam solam à Fortitudine Dei salutatam. Q Reprehendant, sessitantes in cellâ otiari; sed sentiant naribus Euapion ingeri

satis

satis mordens à Publio Scipione Africano primo; R nunquam minùs otiosos nos esse, dicentis, quàm cùm otiosi sumus: quid enim otiosè sessitare dicuntur, dum plurima solâ aure audiunt à silentiario supremo dictatore, quæ publicè non audirent. S *Amici auscultant*, inquit Sponsus, *surge Amica mea, & veni.* S Hîc soli Deo vacare licet, nec vxoriæ turbelæ impediunt, aut parvulorum clamores: hîc nullus Iacob quiritatur: *Nosti Domine, quòd parvulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum; quas si in ambulando fecero laborare, morientur vno die.* T Aureum illud Os, ad Monasterium diuertere, existimat, esse ad cælos volare. Hîc verum est: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* V Hîc sedet G consecrata Deo anima ad crucem firmè alligata, mortua inter viuos, & viua cum mortuis sepulta; cui mundus crucifixus est, & illa mundo; quæ Spiritu dictante discit in silentio, quæ nec doctæ Academiæ, & pulpita profitentur, & gaudio interno diffluit, spirituque probat, num ex Deo sint.

Nullus in disputationem vocet, an rus, an verò vrbs sit magis ad sapientiam: Mentiar enim, inquit Lipsius, nisi ambigas, cœtus illic hominum, an confluges vitiorum; vt flumina dulcia cùm in mare veniunt, salescunt; sic homines haud mali tactu inquinantur, & mixtione: illic enim ambitio, auaritia, libido propriè habitat. X Item, in seculò longè alia sunt omnia, Religio superstitiosa, disciplina vana. Illic striges, magi, diuini, caballistici, pythones sua agunt, sidera consulunt, themata ponunt, tubos opticos inspiciunt: illic damnato studio empusæ, lamiæ, scopiariæ anus magica murmurant incantamina, & Hecatæo susurramine inflammant omnia: illic imbrificæ striges cum hirquiente capro, in rutabulo infelici axungiâ delibuto, in aëre aurigantur, & diris sese deuouent totas. Omnia I plena malis, inuidiâ, detractione, concupiscentiâ, pigritia, &c. Interroga Socratem, quid secularibus molestum sit? Respondebit; *Bonorum prosperitas.* At in Cœnobijs quotquot viuunt, bono studeant publico, & sese in omnes diffundunt, nec Theophrastis inuidi sunt ibi, quos dixit reliquis hominibus infeliciores esse in eo, quòd alij suis calamitatibus doleant, inuidi etiam præter sua mala bonis etiam alienis contristentur: & profectò ita se res habet, eruit sibi inuidus libens oculum vnum, vt alij duobus priuentur.

Digitized by Google

Itaque AVGVSTINVS se Monasterio inclusit, vt *inuidiam*, cui obnoxius erat, fugeret: scimus enim inuidiam indiuiduam gloriæ comitem esse, & obliquo eos nos aspicere oculo, quos emergere videmus altiùs. Amarè intuemur alienam virtutem, & hanc potissimùm ob causam plerique principes viri aberant Athenis olim libenter; quòd tantum se ab inuidia putabant abfuturos, quantum à conspectu suorum recessissent; vnde Conon plurimùm Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Chares in Sigæo. Sed ad rem.

L. Vides Religionem sacratæ virginis habitu venerandam, sacramentum dicere ad Crucem, oculos tæniâ obuelare, aures & ora obserate, intentam precibus, ornatam virginibus rosis, ex quibus Castitatis pullulat fructus, flameo sacro vndique coopertam, nimirum significat sensus Religiosi hominis omnes sedulò custodiendos, in perpetuis excubijs perseuerandum, nihilque faciliùs, quàm delitias & amorem seculi recrudescere: vnde qui penitùs abijcere statuit rerum omnium oblectamenta, quarum cupiditate flagrat, & oculos, & aures, reliquosque sensus ab his, quæ reliquit, auertat necessum est, ne ingrediatur per eos Mors, & anima inquinetur. Multa sunt ferenda Tironi religioso; rectè ergo oculos, aures, & reliqua animi claustra, per quæ irrumpere solet hostis, claudit.

L. *Bernard. epist. 10.* M. *Genes. 2. vers. 18* N. *Genes. 21.* O. *Exod. 19. & 20.* P. *3. Reg. 19. vers. 5.* Q. *Luc. 1. vers. 28.* R. *Apud Ciceron. 3. Officior.* S. *Conf. 2. num. 10.* T. *Genes. 33. vers. 13.* V. *Genes. 4. num. 7.* X. *Justus Lipsius in prima Centuria, epist. 8.*

III. Ab oculis initium faciamus; indidem enim primum vulnus mortalibus inflictum est. Vidit pomum Mater nostra, & ex hoc solo ictu oculi hereditario malo dolendâ lippitudine laboramus, dũ in res quotidie caducas euagamur. Vitijs scilicet nostris per oculos via est; & bipatentes oculi mentis sunt fenestræ, quo cuniculis occultis omne malum perrepit, omnesque sensim neruos virtutis elidit. Quisquis oculos claudere non didicit, Lippitudinem Liæ saltem abstergat, cui remedium accipe ex Veridico Christiano. Lippus es? recipe ficulnei perizomatis Euæ folium vnum, statuæ salis vxoris Loth grana quinq; plantaginis à Dina Sichimis calcatæ manipulos duos; nocturnarum lacrimarum Dauidis, vncias duas; fellis piscis Tobiæ vnciam

etiam vnicam; contunde in mortario cordis pistillo Crucis Christi. Si omnia nimis arida inter tundendum videbuntur, de sudore vultûs tui aliquid adde, aut de lacrimis ex oculis tuis. Fiat tunc fasciola ex linteo, quô Iudæi oculos Christi obuelabant. Digito dein' vno luti illius aliquid sumatur, quo Christus oculos cæci nati perunxit, illoque oculos tuos perlineo. Percute præterea fœdus cum oculis tuis præsente Iob, velut Notario, & duobus testibus, Deo & Conscientiâ tuâ; vt ne cogites quidem amplius de Virgine, aut nullâ re illicitâ. Vade denique, & lauare in natatoriâ Siloë; & certum est oculos dein columbarum habituros.

Democritus excæcauit seipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset. Apulcius, & Hermes Platonis discipuli oculos sibi eruerunt, ne illorum vsu à litterarum studio auocarentur: quantò potius religiosæ animæ oculos claudere tenentur, ne à studio rerum cælestium abstineantur? Isæus philosophus Assyrius cùm à quodam, qui ei formosissimam puellã ostenderat, interrogaretur, num placeret? respondit: *Desij laborare ab oculis.* Non aspexerat, ne amor faceret aditum, & morbo illo laboraret, quo curiosorum oculi tenentur. Quod Alexander Magnus de Persicis puellis; hoc maiori nos iure de omnibus pretiosis, pulchris affirmandus: Dolores esse nempe oculis nostris. Conquestus est quidam, quod oculus deprædatus esset animam. Seneca de remedijs fortuitis! Non intelligis, inquit, partem iñocentiæ esse castitatem? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum, quam concupisceret, huic vrbem. Irritamenta vitiorum sunt, duces scelerũ oculi & in amore duces. Quamuis apud innocentiæ magistrum AVGVSTINVM non opus fuisset clathratis foribus, cum animus illi præ omnibus repagulis; clausit tamen studiosissimè oculorum fores. Audiamus ipsum: *Ipsa Regina colorum lux ista perfundens cuncta, quæ cernimus, vbi per diem fuero, mihi modo allapsu blanditur mihi aliud agenti, & eam non aduertenti. Insinuat autem se ita vehementer, vt si repente subtrahatur, cum desiderio requiratur, & si diu absit, contristat animum. O lux, quam videbat Tobias, cum clausis oculis istis filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede charitatis nunquam errans: aut quam videbat Isaac prægrauatis, & opertis senectute carneis luminibus, cum filios non agnoscendo benediceret; sed benedicendo agnoscere meruit, &c. ..... Ipsa est Lux, vna est, & alia non est ..... At ista corporalis, illecebrosa, & periculosa,*

culosa, &c. *Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inuisibiles oculos, vt tu eruellas de laqueo pedes meos.* Y Sed adhuc teneriorem conscientiam admirare: *Canem currentem post leporem iam non spectO, cum in circo sit; at verò in agro, si casu transeam, auertit me fortassis & ab aliqua magna cogitatione; atque ad se conuertit illa venatio, non deuiare cogens corpore iumenti, sed cordis inclinatione.* Et post paululùm? *Quid cum me domi sedentem stellio muscas captans, vel aranea retibus suis irruentes implicans sæpe intentum facit? Num quia sunt parua animalia, ideo non res eadem geritur?*

Quod ad oris custodiam attinet, discunt plerique cum Socrate philosopho ingenium, & animum ex ore. Monet Iacobus vanam esse Religionem illius, qui nesciat refrenare linguam suam. Agathon Abbas lapillum ori inditum per tres annos gestabat. Et maioris artis est, tacere posse, quàm loqui. In mentem venit loquaculi cuiusdam ab Isocrate oratore eruditi cupientis: sed is duplicem mercedem postulabat; alteram, vt loqui; alteram, vt tacere doceret. Magnum vtique in suo Cœnobio silentium præcepit AVGVSTINVS, quando & in triclinio sermonem misceri de vanis noluit; & qui veterum memorias sedulò euoluit, Amohem vtique Abbatem legit, qui Monachis quingentis præfuerat, & cùm tot essent horæ, quibus silentium indictum est, sæpenumero aduenæ locum adeuntes neminem ibi adesse putârunt.

Aures dein plusquam sepibus circumcinxit, ita quidem, vt nollet etiam sacros Ecclesiæ cantus audire, nisi quando ad pietatem inuitarent, & stimulos virtutum admouerent: *Cantandi, inquit, consuetudinem approbo in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moueat; pœnaliter me peccare confiteor: & tunc mallem non audire cantantem. Ecce, vbi sum. Flete mecum, & pro me flete.* Z Potuitne vlteriùs AVGVSTINVS? Nobilissimas voces, & inflexiones admirabiles damnat, si vox canentis magis, quàm verba audiantur.

Delicias odorum, suffitus aromatum, pigmenta omnia contempsit. *De illecebra odorum non satago nimis; cùm absunt, non requiro; cùm adsunt, non respuo: paratus etiam eis semper carere. Ita mihi videor, fortasse fallor.* A a & rectè. Puellæ Regis Assueri sex mensibus

Digitized by Google

sibus oleo myrtino inungantur. BD Infamia prostibula post se odores infames relinquant. Eccastor, inquit Plautus, mulier (quantò magis religiosa?) recte olet, vbi nihil olet. Si in odorem vnguentorum currere placet, turcutire cum ponla; quemadmodum vertagus quidam, qui feram eò vsque odore ductus persequitur, dum apprehendat: ita tu tractus odore creaturarum, quæ certa Domini tui sunt vestigia, nunquam quiescas, quàm ex his vestigijs ad ferам veritas capream, aio, hinnulumque cerborum. Simul atque Isaac fragrantiam filij sui sensit, benedixit illi: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Deus det tibi populi, adorent te tribus, & incurventur ante te filij matris tuæ.* &c. Si nares dilectas tuas amant, hauriant ex odore vestimentorum huius mundi, arborum, plantarum, florum, &c. quibus ornantur nampi, & cœlestes animæ pissimè vestiuntur, hanc fragrantiam ex vestibus (creaturis) æterni Numinis sentiens occasionem accipe cubiendi DEVM supra omnes cælos: dic, seruiant tibi populi, & adorent te tribus, & incurvcntur ante te filij matris tuæ. Dic: Seruiant tibi beatissimæ DEVS, Angelorum chori in cælis, & adorent te in terra omnes gentes, tribus, & populi, qui sub cælo sunt, præsertim sanctissimæ Matris tuæ deuoti filij. DD

Gustûs illecebras ita triumphauit, vt instar medicamentorum alimenta sumpserit; callens optimè magno stetisse primogenito Esau lenticulæ esca. Deinde tactum pro lenone semper æstimabat, magnisque viribus ad illicita animum inclinare. Sicut igniti carbones tractari non possunt, quin manus dextras adurant; nec extincti, quin fuligo & atri aliquantulum inficiat; ita sensualis affectus, & tactus illicitus, & non tam facilè aridissima stupa flammam concipit ex igne, quàm animus etiam purissimus ex frequentato tactu: vt meritò D. Pachomius in suis regulis sanxerit, ne quis alterius facilè manum teneat, & siue ambulauerit quis, siue sederit, aut steterit, vt vno minimùm cubito distet ab altero. EE

Istam si religiosa anima adhibeat custodiam, columbæ M meritò comparaueris, cui penna deargentatæ, & quæ inter medios cleros dormiat. Pennata per volatum diuinæ contemplationis; columbina per studium simplicitatis; deargentata

per purissima colloquia: inter medios cleros dormit, dum in mundana cupiditate oculos claudit, pudicos, castos. Tum, tum ad instar columbæ sine felle existit, nihil inuidiæ, nihil odij nutriens; tum grana puriora colligit, tum cantus illi est gemitus pro cunctis mortalibus mente vulnerata; tum auolat ex Ægypto de terra Assyriorum; huic dabuntur olim pennæ sicut columbæ, & volabit, & requiescet.

N Procul à Monasterijs aues, quæ lucem perosæ, nocte volant, seroque tenent à vespere nomen. Quas D. Basilius stygijs Harpyis comparat. Est animal nocturnæ caliginis appetens vespertilio, versans in tenebris, splendorem non ferens: ita dæmones lucem exosam habent illam, quæ est Lux totius mundi. Vespertilio est volatile, & tamen quadrupes, pedum alioquin firmitate non satis tutò fulcitur, estque infirmi volatûs; sic dæmones neque Angeli, neque homines sunt. PF S. Hieronymus timidis comparat, quoniam timidi haud aliter, atque hæc anis, sese in tenebris abdunt. Plautus in Trinummo vespertiliones nocat Amantes, dicit enim latebricolas. Non ineptè alius has aues pessimæ vitæ Religiosis comparat, qui secundùm vestes Religiosi, cetera omnia seculares sunt. Vt ita quilibet talis cum Vespertilione apud Varronem dicere possit: *Vespertilio factus sum*, neque in muribus plenè, neque in volucribus; auis, non auis. c. g.

Nunc demum restat dicere, quam Paupertatis AVGVSTINVS fuerit amans! Auaritiæ impetus, & furor non maiori consilio ac ratione à pectoribus summouetur, quàm diuitias in nullâ felicitatis parte numerando, sed generis humani certissimam pestem existimando. Nunquam plus loci virtuti est, quàm quò fortunæ minus est; ita vt paradoxi Stoici vix quippiam melius aliquid reiecisse videantur,
O quàm diuitias. Intellexit hoc probè AVGVSTINVS, qui nullum prædium præstinare vnquam voluit; quin imò pingues hereditates vltimis sibi tabulis legatas maiori animo con-
I. tempsit, quàm amici obtulerunt. Nunquam clauem, aut annulum gestare voluit. Ad Clericos suos ita locutus est:

„ *Qui labore voluerit proprium, & de proprio viuere, parùm est, vt dicam,*
„ *non mecum manebit, sed nec Clericus erit ..... Quisquis cum hypocrisi*

vixerit

vixerit, quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt inde faciat testamentum; sed delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille concilia; natiget contra me, quò voluerit; sciat certe, vbi potuerit, adiuuabit me Deus, vt vbi ego Episcopus fuero, ille Clericus esse non possit.

Omnem corporis mundum remis, velisque fugit: *Fateor,* ait, *de pretiosa veste erubesco: & ideò cùm mihi datur, vendo eam, vt quia vestis non potest esse communis, pretium sit commune.* Supellex, recusa paupertina fuit; non vasa aurea, vel argentea; sed lignea, & marmorea. Episcopus creatus æternam hanc consuetudinem tenuit, vt amicis suis subuenerit quidem, sed non vt diuitias haberent, verùm vt ne nimis egerent. Testamentum nullum scripsit; quia vnde conderet, pauper Christi non habuit. Habendi, tenendique solicitudo nihil solicitudinis fecerunt; nimirum ex cælo quæsiuit, vnde ditesceret. Audijt dudùm, facilius esse, camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. 11 Cum diuitijs non nisi pericula crescunt, & irritamenta malorum. Nunquam vir æquus dives euasit citò. Et, dives aut iniquus est, aut iniqui heres, ait Hieronymus. 11 Sciuit Christum effudisse nummulariorum æs, & mensas subuertisse: sciuit inexplebilem auri & sacram famem: sciuit, si omnes mundi thesauri in vnum confluerent, expetiturum auarum omnium mortem, vt solus possideret: sciuit opulentos Eucliones nunquam, aut rarò frui fortunis. Sciuit æternum Væ diuitibus malo omine edictum; quia fastu turgidi familias suas, & sanguinem negant; quia pauperem in abscondito deuorant; quia ingrati beneficiorum à liberali manu Dei acceptorum obliuiscuntur.

Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.

Sciuit aureis catenis diuites constringi, à quibus incautè noctu dieque torqueantur. Sciuit sapientiæ studiosos omnem in pecuniam substantiam redegisse, eamque in mare abiecisse, ne mergerentur in aliud mare. Accidit AVGVSTINO nostro, qui in ligneis, & fictilibus prandebat, & cœnabat, quod Marco Curio in catino ligneo cœnanti; qui Samnitum oblatam auri vim magnam spreuit, & malle se respondebat in fictilibus comesse,


Digitized by Google

comesse, & aurum habentibus imperare. Aristides dum quotannis quadraginta, & sexaginta talenta essent collata in commune ærarium, illeque tantis rebus præfuisset, in tantâ tamen paupertate decessit, vt vnde efferretur, non reliquerit: quo factum est, vt filiæ eius publicè alerentur, & de communi ærario dotibus datis collocarentur. En abstinentiam! *Non mî aurum posco, nec mî pretium dederitis*: canit Ennius apud Ciceronem. Mm *Væ, qui coniungitis domum ad domum.* Vnus Alexandro totus non sufficit orbis, sed æstuauit infelix, & Antipodas quæsiuit: quæsiuit & Avgvstinvs, sed Beatos Antipodas.

Y. *Aug. lib. 10. Confess. cap. 34.* Z. *ibid. cap. 35.* Aa. *lib. 10. Confess. cap. 32.* Bb. *in lib. Hest. cap. 2.* Cc. *Gen. 27.* Dd. *Iulius Facius hic.* Ee. *Pachom. regulâ 53.* Ff. *D. Basilius Commentar. in caput 2. Isaiæ.* Gg. *Apud Varronem cap. in Agathone.* Hh. *Serm. 50. de diuersis.* Ii. *Matth. 19. v. 24.* Ll. *in Epistola ad Hedibiam.* Mm. *Ennius apud Ciceronem in officiis.*

PERIO-

Digitized by Google


BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google



Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS VNDECIMÆ.

I. AVGVSTINVS CREATVR EPISCOPVS HIPPONENSIS SVPERSTITE ADHVC VALERIO. II. PRIVS MERVIT, QVAM ACCEPIT HANC DIGNITATEM. III. Gratia Dei, & Oratio.

I.

QVatuor adeò annis Hippone regio Africæ Sacerdos AVGVSTINVS omnibus suam opem luculenter probauit; quippe modestiam, grauitatemque inter medius ita omnium in sese oculos, & animum conuertit, vt mire peræquè omnes & maiestatem tam eximiarum virtutum in homine venerarentur, & morum iuxta suauissimam humanitatem amarent: hanc denique pulchram symmetriam, & temperamentum esse vbo ore professi, vbi pulchro connubio summa cum suauitate, & suauia cum tristique maritarentur. Quò factum est, vt eò tandem amor, & reuerentia excreuerit, vt Hipponenses Primores ciuitatem exeundi nunquam AVGVSTINO copiam fecerint; ne quidem ad Prouincialem Antistitem Carthaginensium, licet ab eodem crebrò litteris expetitus esset: timebant enim vehementer id, quod erat, ne tantus Vir communi bono eriperetur, credebantque, si hoc parente cohærentur, Hipponem breui Orphanotrophium futurum. Timuerunt, vt dixi, raptum AVGVSTINI Hipponenses: verùm longè maior cura senem Valerium tetigit, qui dotes AVGVSTINI tam egregias non tantùm mirificè suspexit, sed iamdudum in munere Episcopali socium sibi adhibendum seriò decreuit; cumque aduerteret in dies gloriâ, & nominis celebritate apud exteras gentes magis magisque cluere, timendumque, ne riuales, & plures sacræ Insulæ hanc viri gemmam sibi exposcerent; vota sua, quæ

pridem

pridem concepit, noluit clam ampliùs inposterum habere: enimuerò quamprimùm secretis crebriter litteris cum Carthaginensi Metropolitano egit, in quibus fractas corporis vires, ætatem grauem, & ad tam sublime onus minimè suffecturos de cetero humeros sincerè professus, demisse rogare instituit, vt AVGVSTINVM Presbyterum hactenus suum Hipponensi Ecclesiæ Episcopum inauguraret, qui suæ cathedræ non quidem superstiti succederet, sed Coëpiscopus accederet, quò nihil hoc tempore posse vtilius, salubriusque accidere. B Fatetur hoc ipsum S. AVGVSTINVS ad Aurelium Episcopum, inter alia sic scribens: C *Absentiam meam tantùm longè Hipponenses vehementer, nimisq; formidant, neque vllo modo sic mihi volunt credere, vt ego vobis.*

Habuêre suum momentum preces optimi Valerij; nam paulò post Megalius Calamensis Episcopus Primas in Numidia, ex officio suo Hipponensem etiam Ecclesiam inuisit, & prospectum maturè ciuibus cupiens AVGVSTINVM nihil tale somniantem exinopinatò populo stitit, & hunc inposterum Episcopum illis futurum, solennibus verbis edixit. Neque obnunciauit præsens concio; sed maximâ cum animi gratulatione, & applausu ratum, fixumque se habere respondit, quicquid ornamenti & dignitatis in AVGVSTINVM conferretur; quippe qui omnibus non tantùm charus, iucundúsque esset; sed verò seniori Episcopo honoratior, quàm vllus Aristander Alexandro, aut Panætius quispiam Scipioni. Licet autem summâ animi demissione totis manibus sit obnixus, totisque, quod aiunt, pedibus tantum apicem fugerit, resilire tamen à conuentis non potuit; sed à prædicto Archipræsule Megalio ad dignitatem euectus est, anno ætatis suæ quadragesimo primo: D secundùm aliorum calculos, quadragesimo. Cuius inaugurationis diem in memoriam grati animi festiuum quotannis Hipponenses egerunt, & publicâ authoritate magnum honorem decreuerunt, consueuitque in publico illo populi gaudio de electione suâ sermonem AVGVSTINVS habere. E

Nunc videsis, mi Lector, quàm magno honori sit nostro Parenti electio ista, non ob id tantùm, quòd multæ Tiaræ illum Antistitem expetierint; sed eâ præcipuè de causâ, quòd tantâ gratulatione, & annuo gaudio, à ciuibus suis sit acceptatus, vi-

tus, viuente etiamnum, & superstite Valerio Episcopo, præter omnem retrò consuetudinem, & Concilij Nicæni expressum decretum, quo prohibentur in vna Cathedra duo Episcopi sedere. Sed nemo succenseat AVGVSTINO, vel minimæ ambitionis arguat; quia præterquàm quòd ingratus obediens fuerit, ignorauit etiam Canonem alicuius Concilij hac de re esse editum; quin verò ab omnibus persuasus est transmarinis, & Africanis Ecclesiæ exemplis, dum adstruebant simile quid etiam alibi passim factitari. F Extant clara huius ignorantiæ testimonia in actis publicis designati Heraclij Presbyteri, (alij Eradium vocant) futuri sui Successoris his verbis: *Adhuc in corpore posito B. memoriæ Patre, & Episcopo meo, Sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum esse nescirebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.* G Vnde & postmodum sategit, vt Concilijs definiretur, quò ab Ordinatoribus omnium Sacerdotum Statuta in notitiam deferrentur inaugurandorum.

Initiatus autem est AVGVSTINVS à dicto iam Primate Numidiæ, assistentibus, vt fieri solet, duobus alijs Episcopis. Qui ritus sacer originationem trahit à Iacobo (minore) Episcopo primo Ierosolymis creato; hic enim, teste Egesippo, referentibus Eusebio, & Hieronymo, à Petro inunctus est, assistentibus Iacobo Maiore, & Ioanne: H in cuius hodieque signum ad Episcopum consecrandum aliquem, tres alij Episcopi assumuntur. C

A. *Cæsar. Baron. tom. 5. Anno Christi 395.* B. *Possid. in vita S. Aug. quæ habetur tom. 10.* C. *Augustinus ad Aurel. epist. 64.* D. *Baron. tom. 5. loc. cit.* E. *Constat ex Sermon. 24. & 25. tom. 10. Augustin.* F. *Baron. loc. cit.* G. *Aug. in breuiculo collation. 13. cap. 7. apud Baron. tom. 5. loc. cit.* H. *Ita testatur Anacletus Papa, & Mart. tom. 3. Ioannis Eckij, de Sanctis hic.*

II. Priùs autem hanc dignitatem meritus est Episcopus noster recens denunciatus, quàm accepit: quippe Viri præcellentes non tam suscipere student dignitates, quam mereri. Enimuerò consertus Episcopalium virtutum chorus ita in illo emicuit, vt omnes illæ dotes, & prærogatiuæ, quæ Doctor gentium Paulus in Præsule omnibus numeris absoluto desiderat: I Sobrietas, Prudentia, Sanctitudo, Continentia, sana doctrina, &c. tã clarũ conspicerentur, velut hic incolę sibi domiciliũ fixissent.

Digitized by Google

Atque incredibile sibi negotium capessat, si singulas eius dotes stylo complecti quis velit, post nascetur occasio aliquarum duntaxat meminisse: & quas ille prolixissimè habuit, angustè denarrare: nam, vt vides, iam dûdum calamus se meus exiliorem fatetur, quàm pro dignitate hîc se scribere posse confidat.

Duo autem sunt, quæ maximè Antistites commendant; vitæ sanctimonia, & præstantia doctrinæ, quibus veluti geminis alis sociabili nodo connexis, mirum, quàm supra homines euehantur, quàm exornentur, ventustentur! Seruator ipse suis Apostolis (quos Episcopi imitantur) pronunciauit: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

Iuuat quædam tantùm encomia vitæ, & doctrinæ AVGVSTINIANÆ recensere, quæ dederunt illi, qui vel maximè de orbe Christiano sunt meriti. Familiam ducat Paulinus, (is ille Paulinus est, qui Romanæ Nobilitatis Primas magnam opum vim liberalissimâ manu in mendicantes erogauit, & potestate sibi factâ à sua Therasiâ, nobilissimâ vxore, ex illa familiâ, illa prosapiâ, tantâ indole & eloquentiâ præditus, è senatu migrauit in solitudinem, & mendicantis Eremicolæ tunicâ, magnâ sanctitatis opinione aliquamdiu vixit. Is de quo Ambrosius, L qui splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundus, Romano Imperio spectaculum factus, omnibus cœpit admirationi, & exemplo esse) hic, aio, in litteris ad AVGVSTINVM datis ita pronunciat: M *O vere Sal terræ, quo præcordia nostra, ne possent seculi vanescere errore, condiuntur! O Lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late Catholicis vrbibus de septiformi Lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet Hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis à confusione splendore clarifici sermonis enubilas!..... Os enim tuum fistulam Aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim; quia fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam euectus es, cuius desiderio sitiuit in te anima mea, & vbertate tui fluminis inebriari terra mea concupiuit.*

Alter Panegyricus esto Hieronymus, magnus ille Christianæ eloquentiæ Tullius, qui vnus est ex quatuor, quas Sedes Romana Christianorum Magistros Doctoresq; ab omnibus legendos, & audiendos proposuit: hic tale encomium inter alia multa habet: N *Omni quidem tempore beatitudinem tuam, eò quo decet honore, veneratus sum, & habitantem in te dilexi Dominum Saluatorem.*

Et nunc,

Et nunc; si fieri potest, cumulo aliquid addimus, & plenè complemus, vt absq; tui nominis mentione ne vnam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei præstitisti ..... Scit quid dicam, Prudentia tua. Male virtute, in vrbe celebraris; Catholici te Conditorem antiquæ rursum Fidei venerantur, atq; suspiciunt; &, quod signum maioris gloriæ est, omnes Hæretici detestantur, & me pari persequuntur odio: vt quos gladio nequeunt, voto interficiant. Incolumem, & mei memorem te Christi Domini clementia tueatur, Domine Venerande, & Beatissime Papa.

Post hos Cælestinus Romanus Pontifex inter prolixas, quas numerat, laudes, ità demum concludit, vt dicat æterno nomine dignum, vel ex hoc nomine, quòd nomen sanctitatis sine vllâ notæ suspicione meruerit; quòd tantâ doctrinâ fuerit, vt inter primos Doctores facilè primus sit numeratus, palmamque meruerit, & alijs præripuerit. o

Hilarius Arelatensis Antistes, inclytum iubar Galliæ, primas ferre, nec habere secundum inter Ecclesiæ Doctores dicit AVGVSTINVM defensorem & acerrimum propugnatorē Christianorum esse dogmatum, Philosophiæ cælesti, & meditationibus penitissimè immersum, qui omnes, quotquot erant, suo tempore hæreticos egregiè sub iugum misisset. p

S. Prosper AVGVSTINVM acerrimum ingenio, suauissimum eloquio, secularis litteraturæ peritissimum, in Ecclesiasticis laboribus operosum, in quotidianis certaminibus clarum, in omni suâ actione mitem, in explicanda Fide Catholicum, in quæstionibus difficilioribus expediendis ipsum oculum, in vincendis Hæreticis admodum circumspectum, &c. q

Gregorius ille Magnus multus est etiam in laudibus AVGVSTINI, qui ad Africæ Præfectum Innocentium ita habet: Si delitioso cupitis pabulo saginari, B. AVGVSTINI Compatriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem illius similaginis, nostrum furfurem non quæratis.

Sanctus Vincentius Ferrerius: Potest, inquit, verificari de AVGVSTINO illud Prophetæ Zachariæ, r quem Angelus à somno suscitans interrogauit; *Quid vides?* Et dixit: *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius supra caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud.* Nota; Candelabrum aureum totum est B. AVGVSTINVS, alij Doctores dicuntur Lucernæ ..... Audeo dicere, omnes Doctores, qui venerunt post eum, sustentantur

super eius doctrinam sanctam, puram, Catholicam, auri purissimi, sine errore falsarum opinionum: & quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si possit habere vnam auctoritatem AVGVSTINI. s Hactenus Ferrerius.

Plus Doctores. Alfonsus de Castelbranco, cuius illa vox in pulpitis: *Qui* AVGVSTINVM, *& reliquos Ecclesiæ Doctores, & amplius habet.* T Sed prolixiora sunt testimonia Sanctitatis eius, & Doctrinæ, quàm quòd memorari à me possint. Cassiodorus vocat, famosorum Palmam certaminum. V Gregorius, merum Nucleum: Remigius, Solem in lumine excedentem omnes planetas. X S. Bernardus, Malleum Hæreticorum robustissimum: Rupertus Abbas, Columnam nubis, in qua thronum suum posuit Sapientia Dei. Y

Magnum adhuc agmen haberem eorum, qui in eius laudibus sunt; sed elenchum ego nec possum, nec volo attexere; ista iuuit comemorâsse, vt si qua doctrinæ & sanctitatis dubitatio oriretur, facilè hîc omnis scrupus eximeretur, & aliorum superbia succumberet. Quamuis ob id ego maximè ista adduxerim testimonia, vt perspectum omnibus esset, quanta merita tam altus apex desideraret. Non leue est, nec minoris dignitatis, & meriti, Rectorem Ecclesiæ numerari, & esse. Quò dignitas altiùs assurgit, & antistat; hoc maioribus passibus sequantur merita, & præclara virtutum nomina, necessum est. Ex hac causa tam solemnes ritus, & cæremoniæ adhibentur, cùm quis summo sacerdotio initiatur. Indidem est, vt nemini facilè imponendas manus fungendo huic muneri Apostolus præcipiat. Z Inde, priusquam Iacob bene precatur senior pater; manus vocemque filij industriè examinauit: *Accede ad me, vt tangam te, & probem, vtrum tu sis primogenitus meus?* Quod in nauo archinauta, quod in circo rector, quod in bello Dux est, hoc in Ecclesia Episcopus. Pericles quoties togam Magistratus induit, senatorum conuentum aditurus, exhorruit totus, & sibi dixit: *Attende tibi Pericles; liberi sunt, quos regis; Graeci sunt, Atheniensis sunt.* Aa. Quid Episcopus animi habeat, si pedum pastorale sumat, si Cydarim gemmis & auro gratem, si Pallium, si regimen demandetur? non Atheniensium, sed Sacerdotum, quorum potestatem terrâ maiorem non agnoscit. *Diu noctu æstu vrebar, & gelu, & fugiebat somnus*

somnus ab oculis meis: dixit in lege naturæ optimus Pastor Iacob, sollicitus pro grege Soceri sui. Bb. Quantus in lege scriptâ pastor Dauid? Quantus in lege gratiæ Christus? Ille vrsi, & leonis pecuis infestorum rabiem deuicit. Cc. Iste pro grege suo mori dignatus est. Hadrianus Imperator ita se rempublicam gesturum aiebat, veluti rem populi, non sibi propriam. D.E.

Ita gessit Episcopus AVGVSTINVS rem Christianam, non quasi alterius, sed suam; optimè enim notum fuit, quod apud Ezechielem negligentiæ Pastorum edictum est; nempe de manibus eorum repetendas animas, & sanguinem. Sciuit negligentem Prælatum abusum mundi vltimum. Dd. Sciuit cum Gregorio; tot occidi, quot ad mortem quotidie tepidè accedere viderent, & tacerent. Absit ergo mercenarius, cui cura de perâ, & fumo culinæ, qui inter molles dormitat plumas, qui fugit, mactat, dispergit. Absit Simon, quem patronæ litteræ, fauor & gratia aliorum; quē diuites crumenæ, non merita, ad Episcopatum euehunt. Ad vulpes eant Hypocritæ, qui ouino vellere se vafrè vestiunt, vt securiùs latrocinentur; qui per posticum se insinuant, vt nequiùs furentur; fures, & latrones. *Mercenarius, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & fugit.* Ee Huius farinæ homines pastores quidem sunt, sed cuticulæ suæ; pastores sunt, sed qui discordias serunt inter Abrahamum, & Loth. Ff. F

Porrò veri rectores, & Episcopi animarum sunto prodigi, qui fortunam sanguinemque despondeant; & si quæ balantes ouiculæ decliui aberrent itinere, omnes siluas perquirant, inuentasq; humeris imponant, & ad caulam Christi portent. Veri Episcopi cæli omnes iniurias, & inclementiam elementorum patienter ferre tenentur. Veri Pastores non cum Simone, superbo cogitationum flatu per aëra remigantur; sed flectunt genua, & præcipites deijciunt Simones. *Rectorem te posuerunt*, ait Deus, *noli extolli; esto in illis, quasi vnus ex illis.* Gg. Graue quidem hoc est, ait Bernardus, si ego in cauerna latens, & sub modio fumigans, tamen ventos euitare nequeo, & instar arundinis huc illuc agitor: quid persona super montem, super candelabrum posita? Hh. Verus Pastor sæpiùs illud Gregorij in mentem, & memoriã reuocat; rationes crescere donorum, cùm augentur dona. Ii. Geminum dedit Spiritum Deus Heliæ? cũ

Digitized by Google

G. H. fænore, & augmento expectat. Duo elargitus est talenta? expectat alia itidem duo. Si quinaria? alia eodem numero in extremo repetet die. Eliminabit mancipium illud nequam, quod inertiæ deditum, vel in terram, vel in strophiolum sepelijt prærogatiuas. Deus, vt Plutarchus ait, Geometriæ studio, & calculorum figuris, & numeris oblectatur. Trepidè ad tribunal stabit, quisquis computum, & rationes reddere nequit ad vltimum centussem.

I. K. *ad Tim. 3.* L. *Ambros. epist. 30.* M. *Aug. tom. 2. epist. 31.* N. *Hieron. epist. 54.* O. *Ita habet ad Episcopos aliquos Galliæ, vt legere est in tom. 1. Concilior.* P. *Ita scribit in epistola ad Diaconum nomine Amarum.* Q. *Prosper lib. 3. de vita contemplat. cap. 31.* R. *Zachar. 4.* S. *Vincentius in serm. de S. Augustino.* T. *De hoc Eudon. de Angelis in vita S. August. lib. 5. cap. 7.* V. *primo diuinar. Institut. cap. 22.* X. *in epist. 2. ad Corinth.* Y. *In præfation. super Euangel. S. Ioan.* Z. *Genes. 27. cap.* Aa. *Plutar. in Polit.* Bb. *Genes. 31.* Cc. *1. Reg. 17.* Dd. *Augustin lib. de 12. abusib. c. 12.* Ee. *Ioan. 10. cap.* Ff. *Genes. 13. num. 7.* Gg. *Eccles. 32. vers. 1.* Hh *Bernardus epist. 42.* Ii. *Gregor. homil. 9. super Matth. 9 cap.*

I III. Arduum ergo humeris imponitur negotium, cælitusque, & per summam gratiam datur, ita inungi. Fæcundiora astra quicquid dignitatis vspiam est, depluunt; inde sceptra Regum, diademata Principum, togæ Senatorum; inde tiaræ Antistitum, litui Pastorum, libri Doctorum, calices Sacerdotum, virgæ censoriæ magistratuum. Si clues ingenio, si scientiæ nomine clares, si infulis, & gemmis fulges, si rectura potestate præemines, si morbos conclamante naturâ abstergis, si sceptro & regno potiris? à cælo habes. Plenum cornucopiæ cælestis gratia effudit in AVGVSTINVM. Sceptra gestauit, quæ dedit Honorius Imperator, qui se cum suis eius authoritati subiecit. Mitrâ claruit, quam non tantùm Megalius capiti imposuit; sed & multi Coëpiscopi suas deposuerunt Infulas, & AVGVSTINO consecrârunt. Gratiam medendi habuit, dum naturam triumphauit, & miracula patrauit.

Nihil mentionis faciam de libris, quos Ecclesiæ Doctor suo Marte euulgauit. Nihil de alijs donis Spiritus Sancti, quæ omnia Deo in acceptis retulit, & ad fontem suum flumina deriuauit; vnde in culcitra obærati equitis, quam de auctionali hasta Augustus emit, minimè dormitit, sed vigili semper oculo tabulas *accepti* & *expensi* inter sese contulit; ne olim vel ignauiæ damnaretur, si quæstum nullum ex tot mercibus cælo datis fe-

tis feciſſet; aut ſuperbiæ, ſi in hac fœnoratione lucrum ſibi omne adſcripſiſſet, quaſi proprijs viribus multa lucratus eſſet talenta. Quemadmodum de cæleſtibus prærogatiuis nequicquam vanæ gloriæ nundinatus eſt; (*quid enim habes, quod non accepiſti? Et ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 1. 1.) ita humanam poteſtatem nullius auctoritatis hîc eſſe voluit, neque paſſus eſt, vt ſpiritualia diſpenſaret: & meritò. Nam non grauiùs animaduertit æternum Numen, quàm in illos, qui Capitum Eccleſiæ auctoritatem violare attentant, aut in Sacris ſibi poteſtatem vendicare volunt. In ſeditione Chore quinquaginta primores ſupra ducentos, vindice igne, ſunt abſumpti; & ob murmur in Moſen, & Aaron, quatuordecim millia, & ſeptingentos flamma cæleſtis deleuit. M m. Dathan, & Abiron repentè dehiſcente terrâ, cum ſuis tabernaculis abſorpti, viui ad inferos deſcenderunt. Æmula Maria, leprâ quaſi niue, percuſſa eſt, &c. Vt ita maximo iure Eccleſiaſticæ vindex immunitatis fuerit. AVGVSTINVS. L

Verùm ad precandi veniamus ſtudium. *Cùm videro quempiam*, ait Chryſoſtomus, *non amantem orandi ſtudium, nec huius rei feruidâ, vehementiq; curâ teneri; continuò mihi palam eſt, eum nihil egregiæ dotis in animo habere.* Videamus, quantum ignem in ſuis precibus habuerit AVGVSTINVS. Epitheta, & elogia, quibus orationem commendat, ſatis ſuperque docent, quanto in pretio habuerit: vocat enim Orationem, animæ ſanctæ præſidium, Angelo bono ſolatium, diabolo ſupplicium, Deo obſequium, columnam virtutum, Deitatis ſcalam; Angelorum cognatam, fundamentum Fidei; vt haud abſurdè ex ſolis his titulis, hoc ſchemate, quod vides, orationem effigiauerimus. Angelico eſt habitu, nudis pedibus, complicatis, & alatis manibus, quam infra ſuis mille nocendi artibus impedire infernalis præſtigiator pro viribus adlaborat. Quid enim non deſcriberemus illam, in Angelicâ ſpecie, quæ eſt nutrix caſtitatis, & in terreſtri corpore incorporea operatio, conſiſtentia animæ ante Deum? N n Et quid non incedat nudis pedibus? Eſt Oratio Sacerdos cultûs diuini. Si gentiles Græci idolorum Sacerdotes nudis pedibus faciebant; O o ſi Moſes iuſſus eſt calceos ponere in Sanctis Sanctorum precaturus; P p quid Chriſtianæ mentes cum M

Deo colloquium instituturæ non calceos deponant? Curas, aio, domesticas, vagabundas cogitationes, sollicitudines terrenas. Hac etiam potissimum de causa Angeli pinguntur nudis pedibus, & discalceati. Puris, & alatis est manibus. Cain, non exaudietur oratio tua, quia manus tuæ sanguine plenæ sunt; nec tua, Simon, quia muneribus prægrauatæ sunt, nec ascendere possunt.

Tartareus ille Ludio quas non scenas pingit, & quæ theatra ponit, vt animus inter precandum euagetur? Vidit D. Macarius vndique per Ecclesiam quondam Æthiopes discurrere, & volare, Fratribusque infestè illudere. Vidit, his oculos ad somnum comprimere, illis digitum in os inserere, vt inertet oscitarent; alijs Venerum imagines obiectare, alijs ædificij structuram dictare; denique multis ceruicibus inerrare. Abigendæ sunt tales volucres cum Abraham à victimis nostris, &c. & attentissimo animo perseuerandum. Quod non tam docuit, quàm fecit, precandi studio deditissimus Episcopus AVGVSTINVS. Docuit, comentans in Psalmos: » *Quàm multi sonant voce, & corde muti sunt? Et quàm multi tacent labijs, &* » *clamant affectu?* RR. Et alio in loco: *Attendat quisque seipsum, & videat,* » *quanta agantur in corde humano, quemadmodum plerq; orationes impediantur* » *varijs cogitationibus, ita vt vix cor stet ad Deum suum; & vult se tenere, vt stet,* » *& quodammodo fugit à se, nec inuenit cancellos, quibus se includat, aut obices* » *quosdam, quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus*, &c. Re ipsâ autem docuit. Locuples testimonium sunt libri tredecim Confessionum, in quorum singulis non tantùm libris, sed & » capitibus ardentissima vota ad Deum fundit. *O Amor*, ait, *qui sem-* » *per ardes, & nunquam extingueris, Charitas Deus meus, accende me.* SS. Et: » *O æterna Veritas, & vera Charitas, & chara æternitas! tu es Deus meus, ad te* » *suspiro nocte, & die.* Tc. *Ecce, dum mens mea tibi suspirat, & tuam ineffabilem* » *pietatem meditatur, ipsâ carnis sarcinâ minus grauor, cogitationum tumultus* » *cessat, pondus mortalitatis & miseriarum more solito non hebetat; silent cuncta,* » *tranquilla sunt omnia, cor ardet, memoria viget, intellectus lucet, & totus spiri-* » *tus ex desiderio visionis tuæ accensus inuisibilium amore rapi se videt.* Vides, vt effundat animam suam! Vt occulta cordis referat! Vt totum se in Deum transferat! Vt turbam omnem corde excludat?

Inter precandi studium tanto gaudio delibutus est, vt totas noctes in peruigilijs Sanctorum excubauerit, & sequenti diluculo po-

culo populum pro cathedra docuerit. vu. Frequenter inter orandum Deo commendabat amicos, quos in adolescentia erroris sui socios habuit. Frequenter sibi indignatus est, cum corde vndante, non vndare oculos. *Miserum me,* ait quodam loco, *quoniam sic indurauit cor meum, vt oculi mei indesinenter non producant fluuiina lacrymarum, dum seruus sermocinatur cum Domino suo, homo cum Deo, creatura cum Creatore, qui factus est ex limo cum eo, qui omnia fecit ex nihilo. Si enim Angeli te adorantes, & laudantes tremunt mirâ exultatione repleti: ego peccator dum tibi assisto, dum tibi laudes dico, cur non corde paueo? vultu palleo? labijs tremo? toto corpore inhorresco? sicq; obortis lacrimis coram te indesinenter lugeo? Volo, sed non valeo, quia nequeo, quod desidero.* xx Cùm fatalem sibi diem instare cerneret totis decem diebus huic Diuæ (Orationi) vacabat, & Deum totus anhelans, neminem admisit, nisi medicos corporis & animæ. Piaculares Dauidis psalmos describi curauit, & paginas parieti affigi, quos ad vltimum spiritum legit, & inter legendum vberrimè sæpe fleuit.

Ll. *1. ad Corint. 4. vers. 7.* Mm. *Num. 16.* Nn. *Cassian. de Oratione.* Oo. *Testatur Procop.* Pp. *Exod. 3 vers. 5.* Qq. *Genes. 18 vers. 12.* Rr. *Aug. in psal. 119.* Ss. *lib. 10. Confess. cap. 29.* Tt. *lib. meditation. cap. 21.* Vu. *Colligitur ex concione contra Iudæos in sexto tomo.* Xx. *Vide Abraham. Bzouium in concionib. quadrag. Concione 25.*

PERIO.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS DVODECIMÆ.

I. AVGVSTINI FRV-GALIS MENSA. II. IN MEN-SA COLLOQVIVM. III. REGVLARIS DISCIPLINA, ET TEMPERANTIA. IV. Conuiuiorum mala, & pestes.

1

QVæ Christianæ Doctrinæ Professor Paulus virtutum elogia in Episcopis desiderat, A. ea abundè cumulata in AVGVSTINO conspiciebantur. Nullâ arbiter oculus vnquam infamiâ Antistitem nostrum notare potuit; ita omnia ad modestiam, vitæque innocentiam exterior etiam disciplina composuit. Optimi patrisfamilias munere functus est. Non superbè, non præferuidè, non fastuosè; sed demissè, sine bile, & comiter cum suis egit. Doctrinâ erat tam præcellenti, vt hodieque sacræ cathedræ, & celeberrimæ Academiæ ab hoc ore, & calamo eruditi summoperè aueant. Quam frugalis autem fuerit victus ratio, quam in hospites simul munificus, nunc dictis est dicere.

2 Ingluuiem, atque [illegible] valde dedecere Episcopum, Episcopus noster nouit, qui non tantum Epulones, & congios, lurcones, helluones, & si quid simillimum bestiarum est, à sua quadrâ ceu pestilentes hues longissimè abesse voluit; sed & cum suis ad sumenda dapes non aliter accessit, quàm ægri ad medica catapotia. *Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Nequaquam voluptatem, sed necessitatem quæsiuit. Scio religiosas Ascetas certum sibi, suique dimensum, & annonam præscripsisse sanctis legibus. Ita Benedictus in singulos dies panis libram vnam (paupertem annonam, & leue pondus ventris famelici) & heminam vini concessit; nec vltra limites istos sitarchiam passus est. 3 Illud, credo, Eze-



Digitized by Google



do, Ezechielis ſecutus, cuius iſtæ menſales leges: *Cibus tuus, quo veſcêris, erit in pondere; viginti ſtateres in die ..... & aquam cum menſura bibes, ſextam partem hin.* Hæc ſuis temporibus bona. AVGVSTINVS tamen indulgeri tantum corpori voluit, quantum valetudini ſatis eſſet. Non abnuo interea certis legibus etiam ipſi menſam ſtetiſſe. Sic enim Poſſidius adſtruit: *Deſtinatam ſingulis vini menſuram; quæ, ſi ab vno illorum peccatum aliquid eſſet, imminuta eſſet,* c. Pro ratione tamen temporis, & hoſpitum, lautior crebrò menſa fuit; ita tamen perpetuò vt temperantia menſæ condimentum fuerit.

Et mirum eſt, in quantas anguſtias redactus fuerit, quoties triclinium ingreſſus eſt AVGVSTINVS, ne plus ſtomachus appeteret, quàm quod ratio concederet; dum in incerto fluctuauit, vtrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium peteret, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppeteret? ne nimirum valetudo obtentu ſalutis, obumbraret negotium voluptatis, ſed ad mandram brutum ſuum appetitum loro temperantiæ deſtinaret. Parùm fuit omnem ciborum luxum, eorundemque oblectamenta cauere, niſi etiam immoderatam ad viliſſimi pretij cibos orexim ſtudioſè enecaret; non neſcius, Eſau leui lenticulâ ſuperatum; Dauidem ob aquæ deſiderium à ſe ipſo reprehenſum; & Seruatorem noſtrum in pane tentatum.

Interea non quidem eam normam, ac regulam, quam Sancti olim Hilariones, Pauli, & Antonij, alijque ſolitudinis Incolæ tenuerunt, in ſuo Epiſcopali ſymbolo habuit: exceſſit enim ea abſtinentiæ ratio pænè naturæ facultatem. Sic D. Hieronymus de Hilarione refert; quòd à decimo quinto anno quindecim tantùm caricas poſt Solis occaſum comederit; à vicesimo primo anno vſque ad viceſimum ſeptimum, tribus annis dimidium lentis ſextarium madefactum aquâ frigidâ, alijs tribus panem aridum cum ſale & aquâ; à vigeſimo ſeptimo vſque ad trigeſimum herbas agreſtes, & virgultorum quorundam radices crudas; à trigeſimo primo vſque ad trigeſimum quintum ſex vncias hordeacei panis, & coctum modicè olus abſque oleo habuerit in cibum: qui ſentiens caligare oculos ſuos, & totum corpus puniceâ quâdam ſcabredine contrahi, ad ſuperiorem

riorem victum oleum adiecerit, & vsque ad sexagesimum vitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrerit gradu, nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, & cuiuslibet rei gustans: inde cùm se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à sexagesimo quarto anno vsque ad octuagesimum pænè abstinuit. D Simile ferè in vita D. Pauli idem Hieronymus abstinentiæ exemplum declarat. Affine de alijs multis; vt de Serapione, de Palæmone, de Ethuuino, &c. memoriæ veteres.

Verùm nihilominus moderatè obsonia instruxit AVGVSTINVS, vt testaretur naturam paucis contentam. Et licet, vt Hieronymus testis, antiqui Ægyptij Sacerdotes semper abstinuerint carnibus; quin vero ouis, ac lacte, (quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant) præter olera tamen, & legumina plerumque carnem habuit, tum ob hospites, quos illustres, humilesque indiscriminatim humanissimè suscepit, tum maximè ob infirmos, quibus magnâ curâ, vt citò conualescerent, prospectum iuit. Nimirum omne illud comêdit, quod famem sedat; bibit, quod sitim extinguit; neque vnquam carnium esum detestatus est, ceu immundum quidpiam. ita clarum quodam loco testimonium dicit. E *Scio Heliam cibo carnis refectum; Ioannem incredibili abstinentiâ præditum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum.* Vinum semper habuit, quo tamen secundùm Pauli consilium, admodum parcè vsus est. Hospites tantâ humanitate suscepit, quantâ vix Angelos Abraham; velut ipsum in hospitibus Deum; quos modestè ad buccellam panis inuitauit quidem, licet semper splendidum instruxerit, frugale tamẽ more suo conuiuium. Quo promeritus est, vt Christum ipsum mendicantis specie habuerit semel conuiuam; de quo postea.

A. *Epist 1. ad Timoth. cap. 3. & ad Tit. cap. 1.* B. *S Augustinus in lib. 10 Conf cap 31.* C. *Benedictus in Regula cap. 39.* D. *D. Hieron. in eius vita.* E. *Lib. 10. Confess. c. 31.*

B II. Ad mensam vel silebant omnes, vel de rebus salutem, remque publicam concernentibus modestè conferebant; aut C etiam legebant ex sacro libello. Seuerissimè interdixit, ne inquenquam absentem sinistrè proferretur; vnde teste Possidonio in eius vita, hoc sequens distichon suæ mensæ adscribi voluit:

Quisquis

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam;
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Est enim lingua detractoris, vt Bernardus ait, vipera ferocissima, quæ ceu lancea vno ictu tres penetrat; occidit animam dicentis, audientis, & famam, de cuius honore detrahis. Lingua nimirum carpentium gladius acutus. Omnes detractores ita auersatus est, vt maluerit carere prandio, quàm eius generis sarcasmos, & scommata audire in alios, quod reipsâ ostendit. Cùm Coepiscopi quidam, familiarissimi cætera, in mensa sinistrè in alios dicerent, tam durè reprehendit, vt cum stomacho aut delendos illos versus de mensâ, aut se de media refectione ad cubiculum suum iturum responderit; nam plerumque malos esse illos, qui de alijs pessimè loquerentur. Vnde Philosophorum quidam, cùm in aurem alij susurrarent: *Ecce sinistrè hi de te loquuntur: Credo*, respondit, *sed sinistri animi, & mali.* Titus, & Vespasianus in tantum detractores exosi sunt, vt in amphitheatro publicè virgis cædi, & circumduci iuberent in aliorum ruborem. Malorum est, malè iudicare, & dicere.

Deinde noster mensæ Dictator non tantùm pessimæ vitæ homines, sed præterea asymbolos à suo symbolo, omnes mimos, adulatores, aretalogos, longissimè semouit; sciuit siquidē hanc pestem omnia approbare, improbare, pro arbitrio dominorum. Ita Clinophus Macedonis Philippi parasitus, vt Athenæus refert, claudum se finxit, quòd Philippus os fractum haberet, sed & os, oculosq; itidem contorquebat, Domini gestus imitans. Laudat palpo, quæ laudas; negat, quod negas; ait, quod ais: & pro cœnulâ, tui seruit animi motibus. Sarciunt, resarciunt diffluentes voluptates, quibus genus hominibus nullū sub cælo animal nocentius est. Inimici hominis domestici qui loquuntur placentia, & os aureſq; oblinunt, qui velut hirundines vernante tempore adsunt, hyberhante auolant. Dum tibi adspirat Felicitatis Ver, adhærent velut vmbræ magnæ corporibus magnis; quamprimùm aduersitatis hiems ingruit, fugiunt tempestatum procellas. Sunt amici, sed qui cum fumigante foco nascuntur, & moriuntur. Ollares fratres, quorum Deus Venter est, & ara Gastrimargia, cui *faciunt*. Anaxilaus Philoso-

phus interrogatus de parasitastris; Vermibus, dixit, similes esse, qui triticum nacti non priùs discedunt, quàm reddiderint vacuum. F Bion Sapientum septem vnus, ex tripode consultus, quodnam esset animal maximè noxium? Respondit: Si de feris interrogatio esset? Tyrannus; si de mitibus? Adulator: G qui Plauti mente, ad instar muris semper rodit alienum cibum, nilque metuit magis, quàm triste domicœnium. Frequentant hi Laudicœni curias, inuisunt Optimates, assurgunt, subsequuntur; & norunt illud poëticum:

Et si nullus erit pulvis, tamen excute nullum.

Hæc disciplina fuit mensæ AVGVSTINIANÆ, qui comedit, ne esuriret, sed & ne satur esset, omni castigatâ bulimiâ; qui bibit, ne sitiret, sed & ne vino incalesceret. Colloquium, aut lectio sacra condiebat cibos; & spiritum, si quà dormituriebat, magno spiritu, & diuino calore excitauit: (in cœnobijs desijmus sub mensa morem disputandi, solâ lectione, aut alto silentio contenti.) Hospites quamuis omnes admiserit, exclusit tamen Epicureos, Venereos, Epulones, Palpones, Moriones; qui vel turpia in medium conferre consueuerunt, vel iocos, facetiasque vendere, stultitiamque exercere non erubuerunt; quibus iam aulæ Principes non tantùm delectantur, sed & plenæ sunt.

F. *Theophrastus apud Francisc. Labatam V. Adulatio. propositio. 2.* G. *Diogenes Laert. lib. 1. cap. 6. ex Plutarcho.*

F III. Bibit, & comêdit ergo ad mensuram, naturam, castigationem; quem dubito, an inuinium, an verò hydropotam nominem; ita inter vtrumque nec aquam bibit, nec vinum; & inferiorem, brutumque hominem intrà sepimentum coarctauit, plagis flagelliscque recalcitrantem bestiam obiurgauit, G & inter supplicia, rigoremque in officio continuit. Nimirum luxurianti, & calcibus suis impetenti frena sunt injcienda equulo, capistrum induendum dentibus, &, quà malè excurrat, arctè in præsepio custodiendus. Ipsi nos nostri hostes sumus, & insidias in sinu circumferimus, & eodem vestimento nobiscum tegimus, eodē cubili componimus, eâdem dignamur mensâ antagonistam Carnem; dumq; fouemus, pascimus, defendimus; quid nisi resistit spiritui? quid nisi bellum lethale duarum quasi gentium in nobis accendimus? Supplantet

plantet à teneris Iacob Isaacum; nec enim infrequens apud Sanctos hoc duellum, nec sacris Tabulis prohibitum; vim faciendã esse effreni carni, solâ antiqui intellectûs acie perspexerunt, qui ideò omnes lautitias obstinatè sibi interdixêre, ne animi imperium corpus delicatè saginatum respueret.

Phocion filium suum Phocum, qui plura solito obsonia coëmerat, ita grauiter obiurgauit, vt comminatus fuerit; si plura, quàm secundùm naturam comederet, vel ingurgitaret, ipsum dignas luiturũ pœnas. Caij Fannij Consulis tabulis cautum est, ne quid apud Romanos volucrum, præter vnam gallinam, quæ altilis non esset, apponeretur, & singulis cœnis domesticis denos asses præfiniuit; ventri malè saburrato, & stomacho latranti leuem sitarchiam. Et apud eosdem intemperantiæ datum est ientaculum, prandium, aut merendam sumere; solâ contenti cœnâ erant. Marcus Cato epulas ad cœnam ex foro triginta comparabat assibus; idque se facere aiebat Reipublicæ causâ; quo corpus suum esset ad perferendam militiam robustum. Sed & sobrij erant Romani: nam vt taceam Apollonium Tyaneum apud Philostratum; semper aquam hic bibit, docuitque aquæ potores somnum leuem capere, neq; vertigines pati. Nobilis inter Romanos Cato vinum in prætura, & consulatu idem, quod & operæ, bibebat: cumq; in Hispaniam nauigaret (vnde postea cum triumpho redijt,) non aliud bibit vinũ, quàm remiges. H Romanis mulieribus temetum vel gustâsse capitale fuit; vnde Cato ideò propinquos feminis osculum dare solitos, ait, vt scirent, an temetum olerent. (hoc tum nomen erat vino, ait Plinius Secundus, vnde & Temulentia.) Maius est, quod subiungitur. Femina quædam cùm vinum bibisset è dolio, interfecta fuste fuit à marito, isq; cædis à Romulo absolutus fuisse dicitur. I Alia, quòd loculos tantùm, in quibus erant cellæ vinariæ claues, aperuisset, à suis inedià mori coacta est. Audiant hanc disciplinam Meroës nostrates, merobibæ Plautinianæ, H quæ vinum dilutum non bibunt, sed immixtum, merumque merum. Pescennius niger non tantùm sapientiæ, & consiliorum Magistris, sed & militibus vinolentiam interdixit: nam cùm in expeditione Ægyptiaca vinum milites ab eo peterent: *Nilum habetis*, respondit, *& vinum quæritis?* L

Digitized by Google

H. *Plin. Secundus lib. 14. cap. 13.* I. *Plin. loc. citat.* L. *Bzovius Dom. 14 post Trinit. Conc. 2.*

IV. In tenebras veſtrum ruborem Bacchici nepotes. Quid enim paſſim in potationibus, in cõuiuijs, in ſigmatibus, in ſymbolis, in epulis (quæ non epulæ, ſed congiaria hodie potiùs nominanda ſunt) non peccatis? quantâ modeſtiâ, quantâ temperantiâ, ſi Dijs placet! quàm incompoſitis, inurbanis, ruſticis planè moribus aſſidetur? Viuere tantùm videmini, vt edatis, aut bibatis. Hîc rodunt canes oſſa dente maligno. Hîc effutiunt inaniloqui affanias, quos expelli curauit AVGVSTINVS vt canes; hîc inuitant ad æquales hauſtus; hîc alteri ad alteros ringuntur, vt canes ad macellum. Hîc ſcabit aſinus aſinum, & mutato ſubitò ingenio infeſtis pedibus recalcitrant. Hîc cùm Bacchus, aut Nepotulus eius ampiruat, Thyrſigeri redantruant. Hîc etſi Sirenes inter potandum cantillent; nullus tamen Vlyſſes aures alligat malo; nullus aurem ſepit ſpinis, vt Syrtes præteruectus euadat. Hîc anheli ingentia cymbia, & deauratas lintres pro vitris corripiunt, ad oſtentationem virium, ac planè infundunt, vt ſtatim effundant; rurſumque hauriunt, idque iterum, tertiumque, tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam effundi illa non poſſint, niſi per humanum corpus. M Hîc ſedent Lucij Piſones, qui biduum & binoctium perpotationem continuare poſſunt. Nec deſunt minores Catones, qui cum amicis tota nocte ad auroram vſque bibunt; quibus duos libros anticatones Cæſar meritò ſcribat. Adſunt & plurimi, qui optima fide in epotando binos etiam congios reſpondent, nec reſpirant: digni Ciceronis Marci filij, ventripotentes, qui merentur ſuo ſepulchro hanc epigraphen: *Potuimus & multum vinum potare, & hoc probè ferre.* Sed *ducunt hi in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendunt.* N.

Scimus, quid inter conuiuium ſplendidiſſimum Regi Balthaſari contigerit. O Scimus, quid Epuloni; qui inter exquiſitiſſima fercula mortuus eſt, & ſepultus in inferno. P Scimus, quid bonus Noë à filijs ſit perpeſſus, dum reuelata ſunt, quæ natura occulta voluit. Q Quin & animi, non corporis ſecretiſſima myſteria reuelat vinum. Bonoſus Dux recondita à legatis Regum Barbarorum expiſcatus eſt ſæpiſſimè, dum cyathos inter & legatos abſtemius ſedit. Sed & conuiuia fortu-

nas, vi-

Digitized by Google

nas, vireſque corporis deperdunt: non enim hîc Cleopatræ conuiuium commemorabo, in quo duæ gemmæ liquatæ vno hauſtu à Marco Antonio ſunt abſumptæ, quæ æſtimabantur 250000. coronatorum. Antonius Geta, Conſul Romanus conuiuium inſtruxit, in quo tot miſſus erant, quot literæ in alphabeto; & in quolibet miſſu tot fercula eduliorum ab eâdem incipientium litera. R Conuiuio, ceu philtro certiſſimo hebeſcit acies, obfuſcatur fax rationis, & mira hebetudo, ſtuporq; cerebrum occupat. Hoc deſædat pulchram hominis ſpeciem, quod Hippocrates in aphoriſmis docet. S Et niſi citò ablatione ſanguinis imminuatur crapula; in paralyſin, & peſſima morborum genera erumpere, ait, Conuiuia. Oritur ex nimia crapulâ pallor, & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus, labentes pedes, furiales ſomni, inquies nocturna, portentoſa libido. Prodeunt ex ore grauſolentes halitus, oritur omnium obliuio, mors memoriæ, prudentiæ, & mentis. Adde damna temporis, & conſcientiæ. In prouerbio eſt, mortem in olla eſſe; mors etiam in cantharo eſt; nam & vas vini eſt olla mortis. Quotuſquiſque eſt, qui in hoc feretro non efferatur?

In vaſta illa ſolitudine, quam Hebræi inerrabant, locus quidam indigitatus eſt titulo illo formoſo: *Sepulchra Concupiſcentiæ*: quòd ſcilicet illic delicias Iudæi concupierint. An calices non ſepulchra Concupiſcentiæ vocem? in quos à delicijs mortui nos ipſos inferimus, & velut in tumulos recondimus? Viden' tu pulchram proceſſionem, quò te pocula non ferunt? Epicuræus porculus, (hederatus Bacchulus) effertur à Venere, Morbo, Paupertate, & Diſcordiâ (indiuiduis comitibus) ſed miſerâ quadrigâ. Vbi magis Venus, quàm in vinis? L

Vt Venus in vinis, ignis in igne furit.

Secundùm Apoſtolum, in vino luxuria eſt. Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus tantis ardoribus æſtuat, quàm medullæ iuueniles vino plenæ, & dapibus inflammatæ, inquit S. Hieronymus ad Furiam. T Molleſcit animæ fortitudo, & eius pudicitia conſtupratur à frequentatis conuiuijs. Fruſtra ſimulas ſaluâ pudicitiâ te delicijs affluere poſſe. Interrogauit olim Diogenes Iuuenem quendam: Quo progrederetur? Inuitatus, reſpondit, ad conuiuium. Cui ille: Abi, ſed peior hercle remeabis,

Digitized by Google

Bacchus, vt supra etiam memini, incurabilibus implicat morbis; pallore, tremore, chiragrâ, podagrâ, & quibus non? Dein quid magis fortunas exhaurit, quàm vinum, quod haurimus? Quot decoxit ampla patrimonia, quot laticlauia, quot vrbes, & regna? Multi ostiatim colligunt stipem, qui antea reditus ex prouincijs. Multi fortunarum naufragium fecerunt, qui in Bacchico mari vela panderunt. Denique quot armauit Bacchus dextras, & florentissimas respublicas, tranquillatemque euertit? Vt meritò Alphonsus Arragoniæ Rex quæsitus, cur adeò ebrietatem detestaretur? Responderit, Se probè callere, furorem, & libidinem ebrietatis filias esse. Appositè ad hoc argumentum Anacharsis pronunciauit: Primum calicem esse sanitatis, secundum voluptatis, tertium insaniæ. Primùm dictus Alphonsus cùm à suis quæreretur, cur vini expers viueret; aut vino dilutissimo contra aulicorum mores vteretur? Vino, respondit, obscurari Sapientiam. Et Spartiatæ dixerunt; se ideò parcissimè bibere, ne pro se alij, sed illi potiùs pro alijs consultent. Terribile est, quod AVGVSTINVS noster de filio cuiusdam Cyrilli Hipponensis refert: quem cùm pater negligeret corrigere, & ille sæpiùs inebriaretur, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit. Vnde Hugo Victorinus: Ebrietatem vocat matrem libidinum, furoris generatricem, petulantiæ magistram. Memorat Seneca de quodam conciue, cui nomen Pacuuius; qui Syriam cum vsu suam fecisset, atque vino se sepelijsset, quasi sibi parentaret, sic in cubile ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur; *Βιβίωμεν, βιβίωμεν*: nullo non die se extulit. v

Tu ergo cùm mensæ accumbis, dic tibi cum Seneca: *Maior sum, & ad maiora natus, quàm vt sim mancipium corporis mei.* x Nolo mihi cum Spartanorum Laonida dici: *Prande hic, tanquam apud Inferos cœnaturus.* Non equidem mihi tanti præstino delicatum, & vinosum prandium. Non emo mihi tanti pœnitere, non tanti perdices, capones, ceruos: non tanti peregrina vina: non ero inter bibulos, quos sugillat Amos Propheta: y *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* Atque vt claudam; leges hic descriptas, lege, latas olim in amplissimo virtutum se-

natu

natu pro sanitatis hauſtibus; quas inuenies in Gaſtrimargia Alphabeti diabolici.

I.

Qui plus Bacchi naturæ dat, quam capiat, pandiculans vt morio, hic insepultabilis esto.

Qui verò ex sano insanus per olidum Bacchum sit, hunc ligni querni, aut abiegni trabibus, vt mos est, claudito.

Qui nec sic obedit; huic, o lictor, fascibus virgisq; corium describito. Seu stupidus sit, intellectum recipiet; sin ingeniosus, amplius haud sic bibet.

Qui eclipsin omnium sensuum patitur, ad tectum ius habet.

II.

Princeps, aut Dominus pro sanitate sua vè grandibus poculis beluarine permittito.

Prouocans ad sanitatis hauſtum iram Principis, magè Numinis formidato.

Prouocatus impiè, palæstram pie defugito. Quæstuosi in mortem ne sitio, hic in tempore, ibi in æuitate.

III.

Qui sanitati Principis prælibâsit, aut patroni; propriam haud amittito.

Qui dolo malo alterum inebriâsit; in cippo, rhammo senticosa, nerue bubali molliter vinctor.

Qui homo est, terminum hominis non exaret, beluam se non effingat.

Qui faxit, vitam hominis amittito, eundemq; ad furcam feralem raptato.

IV.

Si ad sanitatem bibis, non adeò probo; si faxis, homo esto. Sit gnomon tuus Ratio, regina Virtus præsideto. Contrà Turcam congreditor gladio, non in Christi militem turpi poculo. Ibi vincere, laudis est; hic infamiæ, vincere. Peccatum est, tu sanius es peccare cane, vel insanus es.

V.

Si amicus est hospes, vim alteri amico bibendo non faxit. Si faxit, antestator; ni quietus sit, vinum in terram fundito Si nec sic cesset, amicum in inimicum mutato. Si magis magnum Deum lædere vis, quam hominem, capital esto. Si magis damnare pulchram animam tuam, quam saluare vis, capital esto. 2

Satiùs est ergo, & salubriùs Christiano Conuiuæ, ita comedere, aut bibere, vt non oneretur corpus, nec libertas animæ prægrauetur. Grande piaculum apud Iudæos erat, suillam degustasse; vnde etiamnum omni porcinâ religiosissimo peccato abstinent Iudæi. Causam indagare superuacaneum est. An fortassis

taſſis ideò, vt nonnulli ſentiunt. Aa quod porcorum proprium ſit, decuſſas ex arbore glandes vorare, at in decuſſorem nec ſemel ſuſpicere, ingratitudinis maximâ notâ? quos longiſſimè catelli ſuperant, qui de menſa dominorum proiectis offis recurſant ad illos, & caudâ adblandiuntur, nouãmque merentur gratiam, dum de veteri non ſint ingrati. An ideò, vt alij nonnulli, Bb quod dum porci roſtris terram primitus exarârunt, veſtigium arationis impreſſerint, & vomeris opus ſubminiſtrauerint; & hoc ob nomen tanquam arationis magiſtros ſunt reueriti? An ideò, quod probabilius, ſuillam abominati ſunt Iudæi; quòd abhorreant maximè à vitiligine & leprâ, quas putant eſu harum carnium adſciſci? Quicquid ſit, nefas erat porcinam deguſtâſſe. Quam quidem ego religionem improbo. *Omnia enim munda mundis, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.*

M Cc Sed ne porcorum more in voluptatum, & luxuriæ cœnum delabamur, & vix ſemel reſpiciamus ad cœlum. Sed prohibeo, ne macello ſaginemur, vt porci; vt poſt cibos expectemus interitum. *Eſca ventri; & venter eſcis. Deus autem & hunc, & illam deſtruet.* Dd. Sed ne varijs nidoribus fument patinæ, & expletâ eſurie captiui à vitijs trahamur. Ne, inquam, impatientiam gulæ vomitu mederi opus ſit; & quod turN piter ingeſſimus, turpiùs egeramus. Verùm abſtinentiſſimas imitemur apiculas, quæ florum tantùm halitum quaſi delibant, nec quidquam, quod ad vitium voluptatis, aut deliciarum ardorem pertinet, vel extremè deguſtant: quæ dum ſobrietati impenſiſſimè ſtudent, mellificant vberrimè: quæ aculeum dum ſtringunt, in Bacchi, aut Veneris nepotes acerrimè armant.

Si te non Chriſtianæ Leges, ſi te non antiquorum continentiæ ad frugaliorem menſam redigunt; at doceant bruta animalia, quæ priùs verberibus enecaueris, quàm vltra ſatietatem vorent. Cogitâ, magno voluptates omnibus ſtetiſſe, & magno dolore emptas. Cogita, morbis obnoxios proſcriptione, & iuſtitio conuiuiorum conualuiſſe. Cogita, quod Ebrietas perdiderat ſæpiſſimè, reperiſſe inediam. Inuênit Avgvstinvs in menſâ ſeipſum, quem in theatris ami-

tris amiſerat, ſed mensâ ſobriâ: & quem mater carnis tantis laboribus vix tandem reperit, Abſtinentia mater virtutum in officio, & ſui obſequela dein' ſemper retinuit.

M. *Plin. Secund. lib. 15. cap. 22.* N. *Iobi 21. verſ. 13.* O. *Daniel. 5. verſ. 6.* P. *Luc. 16.* Q. *Geneſ. 9.* R. *Teſte Spartano in Nucleo Beſſ. Dom. 4. Quadrag. part. 3.* S. *lib. 2. aphoriſmor. 44.* T. *Epiſt. 10. de ſeruanda viduitat.* V. *Bzouius in Dom. 1. poſt Trinit.* X. *Epiſt. 66.* Y. *Cap. 6. verſ. 3.* Z. *Ioan. Nieſs, verb. Gaſtrimarg.* Aa. *Apud S. Polycarp. in epiſt. ad Philippens.* Bb. *Plutarch. lib. 5. Sympoſior. q. 5.* & *alij.* Cc. *ad Titum cap. 1. verſ. 15.* Dd. *1. Corinth. 6.*

PERIO-

Digitized by Google


PERIOCHE ICONIS DECIMÆ TERTIÆ.

I. AVGVSTINVS LINGVAM, ET STYLVM STRINGIT ADVERSVS HÆRETICOS. II. QVAM CONSTENT SIBI CATHOLICI. III. QVAM discordes sint Hæretici in summis Fidei capitibus. IV. Quem [illegible] timor in [illegible] Sacris.

SIngulare idemtidem studium AVGVSTINVS adhibuit, vt discussa errorum nocte clarus Catholicæ Veritatis dies illuceseeret, & hæreticorum dogmatum erroribus, morumque corruptelis emendandis industrie occurreret. Erant eà tempestate multæ passim dispalatæ nefariorum hominum Sectæ, quæ Colonias magno incremento per vicinum illum plerumque orbem transportarant. Prodibat ex schola Donati, Manis, Pelagij, magna farragoe garrulorum Orci præconum, qui rudes, & simplex vulgus subdolè nimium deceperunt. Aduersus hos impauidus assurrexit AVGVSTINVS; illorumque in pernitiem audaci pede properauit. Hanc illi audaciam (seu fortitudinem magis dixeris) sacra cathedra, cui summo cum imperio præsedit, tum eximia doctrina, quâ omnibus facilè excelluit; & verò conscientiæ syntereſis iniecerunt. Videbat namque muneris esse sui, si non in herba Hæreses suffocare, certè in messe pessundare, & ceu vulpinis caudis hæc zizania exurere. Quemadmodum boni Principis est, purgare regnum suum prædonibus, & hostibus pacis publicæ; sic boni Pastoris, lupos à caulis arcere. Ita Hercules olim tyrannos, & gigantes vim omnibus inferentes partim fugauit, occidit partim. Nec nesciebant Sectarij id ab AVGVSTINO vnicè agi, vt per ignominiam solo proscriberentur,



Digitized by Google


BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

rentur, & cum libris, & liberis in exilium relegarentur: iam dudum fabam, & supplicium tergis ab illo suis cudi, quò penitissimè perirent; calamum acui, ceu telum, quo iugularentur. Nec per somnium hunc Panicum timorem aluerunt; quippe quanto maximè potuit labore, vbique persecutus est Sectariorum nationes AVGVSTINVS, & non tam laborauit, vt secularis Potestas gladio, quàm ille verbo debellaret. Pro aris, & focis nullus tam audacter pugnare potuit, quàm hic noster pro orthodoxâ Ecclesiâ. Docebat intemeratè non tantùm in priuatis palæstris; sed & in publico ambone Christi dogmata; maximeque contra Donatistas, Manichæos, & Pelagianos stylum suum tam acriter strinxit, tam ingenti spiritus magnitudine, vt auditores oppidò commoti, & admirarentur linguæ vim in aduersas partes potentem, & vbique locorum dicendi laudem euulgarent. Ita breui Numinis clementiâ factum est, vt postliminiò Ecclesia Africana ad vitam, & vigorem rediret, quæ dudum efferentibus Hæreticis alto sabulo sepulta iacebat. A

Multus est Rupertus, B Pierius, Prosper, plerique docti omnes, in laudandâ virtute AVGVSTINIANA; quâ contra paradoxas Synagogas valuit. Atque profectò vniuersa Catholicorum acies iam olim antesignanum sibi delegit aduersus hæreticas phalanges. Enimuerò vt strictim quid dicam, quod alij fusissimè, ad solum Pelagium euertendum natus credi potuit AVGVSTINVS; ita ferreo animo, quoad vixit, huic Lernæ posthumus Hercules obuiauit. Prudenter, ait Petrus Ribadeneira, C est ab Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus animaduersum: quo die in Britannia Pelagius natus est, vt tenebras errorum mundo offunderet; eodem ipso die Ecclesiæ Lumen AVGVSTINVM in Africa emicuisse, vt impij ac nefarij hominis caliginem depelleret, & vniuersam Ecclesiam luce suâ collustraret.

Cæterùm is est Pelagius, qui Britanniâ oriundus, primis in annis eximiarum fuit virtutum. Adolescens duxerat vxorem, sed primo nuptiarum die sponsæ persuasit, vt castitatem secum illibatam custodiret, & fratrem se potius, quàm maritum amaret. Habuit adolescens multas alias præter hanc temperantiam dotes, quæ pariter cum ea, vt ait Theodoretus, D velut choros duce-

ros ducebant; ac propterea communi omnium consensu ad Præsulatum Laodicensem ascendit. Concilio Antiocheno sub Iouiano Imperatore ob præclaram doctrinam interfuit, & Concilio Thyanensi sub eodem regnante, Catholicæque Fidei subscripsit. E Dein' ob præclaros vitæ institutæ splendores à Valente Imperatore in exilium in Arabiam pulsus est. F Denique diu à Theodosio Imperatore egregiè laudatus est. G Hic, inquam, Pelagius, qui Sidus erat sui orbis, Hæresi postea fædè occœcatus est, & turpiter desciuit, magnoque ex ingenio magnas procudit Hæreses; quas licet tectè, & sub ouinâ pelle (habitu Monachi) hinc inde disseminaret, & instar Protei diuersas ex pietate formas superimponeret, ne, qualis esset, deprehendi posset; innotuit tamen denique nonnullis Ægypti Eremicolis, quibuscum diutiùs versatus est sub Annum 405. H Ad hunc eodem anno Isidorus in hanc formulam perscripsit:

„ *Cani effusi sunt in Ephraim, & ipse ignorauit.* I *Vitiosis nimirum affectio-*
„ *nibus iuueneſcens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem in-*
„ *uexit, & tamen rigidum, atque inflexum animum habes, ex alio Monasterio*
„ *ad aliud subinde migras, atque omnium mensas perscrutaris, & exploras.*
„ *Quamobrem si tibi carnium nidor, atque obsoniorum condimentum curæ est;*
„ *ijs, qui magistratus gerunt, potiùs blandire, atque Vrbium caminos vestiga.*

Hæc ad Pelagium vagum Monachum.

Vagationis autem Pelagianæ haud putatur fuisse causa pecunias absumendi; sed pateram venenatæ Hæresis propinandi, quam passim seminauit; & longè, lateque occultâ facie, & alieno nomine diuulgauit: ita vafrè, vt personam pro ratione locorum sæpenumero mutaret, & cùm sanctis sanctulus peræquè apparere conatus esset. I Siquidem vbi in Ægypto innotuit, contulit se in Vrbem, & colore quarundâ necessariarum quæstionum, dogmatum ibi impiorum venena sparsit. Erat in disputationibus frequens, captabatque vndique occasionem Hæresis suæ propagandæ, & propugnandæ. Vnde aliquanto tempore sanctissimis etiam viris imposuit, (Paulino & AVGVSTINO) à quibus magno in honore habebatur; quia clandestinis instar colubri vestigijs irrepserat; atque vt ipse sub sanctitatis pallio lateret occultus, proposuit per suum præconem Cælestium Theses, & in ijs Hæreses diuendidit. Verùm vt omnia tandem sub lucem veniunt, quæ densissimæ etiam

noctes

noctes occuluerunt; ita breui etiam AVGVSTINO, totique orbi innotuit vafrities Pelagij, dum epistolam illam, paræneticam nouæ Christi Sponsæ gratulaturus virginale, quasi flammeum misit; quæ epistola (ceu liber potiùs) tale exordium habet ad Demetriadem: M *Si summo ingenio, pariq; fretus scientia*, &c. In qua epistola tametsi nomen pro antiquo dolo tacuerit, facilè tamen ex alijs scriptis partum esse Pelagianum collegit AVGVSTINVS. Inde igitur ne Demetriadi haustum ex epistolæ illius lectione venenum mortem afferret, è vestigio propinauit aliud epistolium, quo sparsas in illo Pelagij libro Hæreses satis crassâ liturâ deleuit.

Nec AVGVSTINO satis fuit conscripta schismata Pelagij confutâsse, sed addidit multa alia, industriúsque fuit in dissoluendis illius erroribus. Scripsit primò librum aduersus Pelagium, & Cælestium de gratia Christi: Libros de peccatorum meritis, & remissione; de Baptismo paruulorum; epistolam ad Marcellinum. Quin Possidius triginta tractatus editos à sancto AVGVSTINO contra Pelagianos affirmat, & per annos fermè decem laborasse contra eundem, quamuis in primis libris tacuerit nomen Pelagianorum, sic enim facilius corrigi posse sperabat. N Porrò Pelagius mirâ in vrbe arte blanditus est nobilibus viduis; vt eas deciperet, & hoc nomine grauissimè etiam obiurgatus est ab Hieronymo, qui itidem tres totos libros contra eiusdem Hæreses scripsit; O & libro tertio inter alia sic habet: *Non erubescis dicere pietatem, quæ nusquam reperitur in terra, & veritatem, quæ vbique peregrina sit; in illa potissimum commorari ..... Docere est hoc, an vocidere? Leuare de terra, aut precipitare de cælo? Id mulierculæ vitio dare, quod Angeli non audeant vsurpare?* Sed ad rem.

Admonuit AVGVSTINVS S. Paulinum, ne amicus esset Pelagio. P Admonuit Episcopos Palæstinæ, ne versipelli monstro crederent. Q Narrat Possidius, Pelagianos per vniuersum deinde orbem damnatos à Summis Pontificibus in magnam Ecclesiæ dignitatem. Et hæc omnia ferè studio, & labore AVGVSTINI peracta: de quo negotio etiam auctor illustris

Eugippius in fronte Milleloquij: *Inter magnos*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ Doctores præclarum fuisse, & esse* AVGVSTINVM *quis ignorat Episcopum?* Quem diuinâ eruditione mirabilem, tum omnes orthodoxi in toto terrarum orbe venerantur, præcipuè tamen Apostolicæ Sedis Antistites scripta eius auctoritate suâ firmantes, tanto maiori studio simpliciter amplexi sunt, quanto ampliori solatio eis se vsos esse testantur: nam contra multos hostes Ecclesiæ dimicantes, & maximè contra versipelles inimicos gratiæ Dei doctrinâ eius instructi semper exiterè victores. r Hac potissimùm ex causa damnatum in Synodo Diospolitanâ, & malè iterum absolutum in Palæstina Pelagium reclamârunt Episcopi Africani; inter quos primus erat AVGVSTINVS, à quo magnam partem Hæreses sunt detectæ; & quemadmodum in oriente ab Hieronymo exagitatæ, sic in Occidente ab AVGVSTINO magnâ cum ignominiâ sunt expulsæ. Dogmata passim in scriptis AVGVSTINIANIS, & tribus libris Hieronymianis inuenies; inter alia non agnouit peccatum originale; solum id, quod quis legit, credendum censuit; traditiones & Apostolicas constitutiones damnauit; quem in hoc sedulò imitantur hodie Zvvinglius, Oecolampadius, Caluinus, Beza, &c.

Prognata est inde (vt Zizania magno semper proventu crescunt) Secta Semipelagianorum Massilienium Presbyterorum, qui tametsi stomachum totum in AVGVSTINVM ciecerint, ita tamen & hoc monstrum breui fatalem clauam accepit, vt caput nunquam potuerit satis erigere. Vsus est AVGVSTINI doctrinâ contra Faustum, Cassianum, multosque inimicos Gratiæ, & liberi arbitrij tum ipse Fulgentius, Prosper, Cæsarius Arelatensis Episcopus, Papa Hormisda, aliaque Ecclesiæ Lumina. Vnicum testimonium S. Prosperi satis esto. » *Omnium nostrum*, inquit, *fatigatio in tuæ Charitatis & Scientiæ vigore* » *sperat. Adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis.* s Si quis plura desideret, consulat Hilarium, t Hieronymum, v Baronium; x qui prolixè loquuntur, & magnis meritis AVGVSTINVM pugnantem contra Semipelagianos extollunt.

Nunc

Nunc verò quantum scripserit aduersus Manichæos, satis cuique liquet. Vt Doctor gentium ex Phariſæis phariſaicam, Conſtantinus Imperator ex gentilibus gentilitiam deſtructurus inſaniam aſſumptus eſt; ita AVGVSTINVS ex Manichæis ad Manichæiſmum penitùs penituſque conuellendum natus eſt. Triginta adeò libros numerant luci datos contra Fauſtum Manichæum; qui id ſuis cum AVGVSTINO congreſſionibus effecit, vt nullus amplius cum eodem pro Manichæorum parte in arenam deſcendere vellet. Profectò innumeri ex Manichæis ad Eccleſiam orthodoxam ſtudio, & labore AVGVSTINI venerunt. Y Contra Manichæos (verba Caſſiodori ſunt) ita feruore pietatis incanduit AVGVSTINVS, vt diligentiùs, atque viuaciùs aduerſum eos dixerit, quàm contra alias Hæreſes diſputauerit. Z De anteſignano huius Maniæ, deque nefandis Scitis ſupradictum ſatis; nunc ad Donatiſtas.'

Donatiſtæ peruerſum hominum genus, à nefario quodam Donato nomen, ſeu, ſi malis, ignominiam ſortiti; non tantùm impia docebant, ſed & flagitioſiſſima quæque deſignabant. Dogma palmarium fuit; in Africâ ſolùm veram eſſe Eccleſiam; Romanam non Chriſti, ſed inueteratoris inferi eſſe: omnia ſacroſancta Sacramenta nullius vſus, aut frugis eſſe, ſi ab impijs Sacerdotibus miniſtrarentur: Fonte Baptiſmatis tinctos à Catholicis, eſſe iteratò luſtrandos: Sacrum Chriſma velut amuream olei conculcabant, & ocreas hôc inungebant; altaria diruebant; calices confringebant; ſacros vertices radebant. Neque hîc ſtetit ipſorum inſania: nefariâ manu adoriebantur Catholicos tantâ impietate, vt facinora eorum tabulis, & mulctis Imperatorum fuerint coërcenda: nam publicâ cæde graſſabantur, & ſacras adeò Inſulas, & adyta nefariè temerabant, rapinas agebant, occidebant, inſidiabantur. Nihil hîc dicam, quid in ſacras tentauerint Virgines, quid in Sacroſanctam Euchariſtiam, quid in Iura, & Immunitates Eccleſiaſticas, de quibus copioſiſſimè Cæſar Baronius; ita vt meritò plurimæ leges fuerint latæ, quibus audaciæ Donatiſtarum occurrerunt Imperatores.

Porrò nihil magis Africa optauit vnquam, quàm hanc Hæreticorum ſuperbiam publicis diſputationibus deijci. Sumopere verò Hipponenſes ciues præ ceteris Solem orthodoxum in hanc noctem petierunt, certiſſimoque ſperârunt à S. AVGVSTINO diem tenebris dari poſſe. Verùm pro vulpino ingenio detrectabant Donatiſtæ publica certamina, varioſque colores, alia atque alia cauſati prætenderunt ſubterfugiendi; nam dicebant dedecere Donatiſtas cum infamibus, & ſceleroſis ſedere, qualis audiret AVGVSTINVS, omneſque Catholici. Aa Quòd ſi interdum cum AVGVSTINO congreſſi ſunt, relicto Fidei negotio proſequebantur diuinum eius ingenium, & admirabile diſputandi acumen.

Tandem verò publicè in certamen deſcendit AVGVSTINVS cum Fortunio, Donatiſtarum Epiſcopo; ſed iterum Donatiſtæ, qui partibus Fortunij ſtuduerunt, remoras iniecerunt, turbârunt Notarios, & tumultuario ſtrepitu arbitros; vt AVGVSTINVS neceſſe habuerit diſputationem procraſtinare in aliud tempus, vbi pacatiora eſſent omnia. Bb. Demùm verò cùm nullibi locorum collatio publica fieri poſſet, ob nimiam audendi licentiam, & peruicaciam Donatiſtarum, appellârunt Africani tribunal Honorij Imperatoris, & auxilium rogârunt, quo poſſet illa non minùs exoptata, quàm rei Chriſtianæ admodum proficua in Fidei cauſa diſceptatio inceptari feliciter, & tranquillè finiri. Motus hoc libello ſupplici Imperator, miſit ſummâ cum poteſtate prænobilem & Spectabilem Notarium Marcellinum (huic AVGVSTINVS poſtea Libros de Ciuitate Dei inſcripſit:) qui Donatiſtas Imperatoriâ authoritate ad rudem compelleret (quod poſt multas reluctationes, variaſque ambages anno ſequenti factum eſt.) Locus diſputationi deſtinatus in thermis Gargilianis amplus, lucidus, in meditullio Carthaginis. Nam abhorrebant Donatiſtæ Catholicorum Baſilicas, in quibus Carthaginenſes aliàs Synodi habebantur; & indigitabant eas Sathanæ ſynagogas. Cæterùm ex vniuerſa Africa nobili ſatellitio vnâ omnes Epiſcopi Donatiſtæ Carthaginem ſunt ingreſſi, tantâ pompâ, vt tam magnæ ciuitatis oculos in ſe cũ ſtupore conuerterent. Numerata ſunt nomina in ſubſcriptionibus ducenta ſeptuaginta nouem; atq;

ne Ca-

Digitized by Google

ne Catholicis cenſerentur inferiores, plures ſe, quàm quadringentos eſſe numero falsò iactabant; detentos ceteros domi diuerſis corporis morbis obnoxios. Sed inanis fuit hæc eorum prorſus oſtentatio, quippe tantùm centum, & nonaginta nouem adeſſe ſunt inuenti, & centum cum viginti domi morbis detentos repertum eſt. Catholicorum aderant ducenti ſupra octoginta ſex; cùm fermè centum, & viginti domi ſenectute, & morbis præpediti remanſiſſent; qui licet Donatiſtis ſuperiores numero eſſent, vt euitarent tamen oſtentationem, non vnà ſimul, ſed ſeorſim ſinguli Carthaginem commigrârunt.

Statâ die, antequam initium datum eſt diſputationi, legem rogauit Marcellinus, vt ad tumultum ex tanta Epiſcoporum frequentiâ obortiri ſolitum, auertendum, ex vnaquaque parte decem & octo deligerentur, quibus negotium omne incumberet, & partes principes committerentur; quorum officia ita inter ſe partirentur, vt ſeptem in diſputationem deſcenderent, quatuor reliqui actis cum fide conſcribendis præeſſent. Ex Donatiſtarum partibus Palæſtritæ fuerunt Primianus Epiſcopus Carthaginenſis, Emeritus Epiſcopus Cæſareæ Mauritaniæ, Gaudentius Epiſcopus Tamugadenſis, Petillianus Donatiſtarum diſertiſſimus; reliqui tres, vt & ſeptem conſiliarij, & quatuor ſecretarij quinam fuerint, incompertum hactenus eſt; ſicut & incogniti ſeptem Epiſcopi ad theſes oppugnandas à Catholicis deſignati, præter Aurelium Carthaginenſem, Alipium Tagaſtenſem, AVGVSTINVM Hipponenſem Epiſcopum. cc.

Poſt inducias ſex dierũ, quas nexuerunt Donatiſtæ, & multa diludia; diſputatio cœpta eſt, & tam acriter totos tres dies à Catholicis defenſata res Chriſtiana, vt Donatiſtæ facilè neruis argumentorum inciſis, tanquam leuis armaturæ milites actum egerint; quippe ſeſe victos vnâ omnes profeſſi ſunt, quantumuis noluerint hoc alios reſcire. Cæterùm ſententia non potuit contra illos ferri, niſi nocte; quam ideoq; inualidam fuiſſe obgannierunt poſtea, in quos tamen argutè, vt ſolet, AVGVSTINVS: *Nocte finita cauſa eſt, vt nox finiretur erroris; nocte dicta ſententia eſt; ſed fulgens lumine veritatis.* Dd. „

Verùm vt nullus ſuos libenter fatetur errores; ita & improbum

probum, hoc hominum genus fugiebat confundi, Marcellinumque disputationis præsidem, & Imperatoris à latere Legatum per calumniam cauillis, & diuerbijs traducebant; à Catholicis nempe fuisse circumuentum, muneribus corruptum, sibi vim illatam ex eo, quòd vno conclaui inuiti conclusi essent. Verùm inania, & ridenda potius, quam refellenda Donatistarum sunt hæc effugia. Quomodo enim corruptus, aut circumuentus Marcellinus, cùm dicta vtrinque diligentissimo calamo sint excepta, & fide publicâ munita, hodieque conseruentur in archiuis ad perpetuam rei memoriam, fidem facturа posteris? Et quæ illata iniuria est, quòd vtræque partes in vno conclaui disputarint? An fortè Catholici in suis Basilicis, & Donatistæ in thermis consistere, & mutuò argumenta resumere, & conuellere potuerunt? Iterum, vt meritò, AVGVSTINVS ruborem fronti indit Donatistis: „ *Iti & nos eramus;* „ respondit: EE *aut vtrisque facta est iniuria, aut vtrisque adhibita dili-* „ *gentia ..... Aut quomodo erat carcer, vbi erat & Iudex? Postremò clausos* „ *fuisse nos nesciebamus, qui simul intus eramus. Ipsi* (Donatistas intelligit) „ *vnde sciunt? nisi quia fugere fortasse voluerunt.*

Hæc disputatio exordium felix, finemq; ausspicatissimum cepit studio & operâ solius fere AVGVSTINI, promouente Christianissimo Imperatore Honorio, assistente tribuno Marcellino, Anno Christiano 411. Scribit de hac disputatione Paulus Orosius hac solâ inuectam pacem esse publicam in Africam, multosque Circumcelliones eiuratâ hæresi in nostra transijsse castra. FF Innumera relinquo, quæ contra Donatistas egit AVGVSTINVS testantur gesta cum Emerito, cum Gaudentio, Cresconio, Petilliano, alijs multis. Vnde cuiuis pronum est iudicare, quantus zelus Homini fuerit, Christianam propagandi Libertatem.

A. *Lib. de vitâ August. cap. 7.* B. *In epist. ad Ruffin. de S. Aug. agens.* C. *In vitâ S. Ignatij Loiolæ, lib 2. cap. 18.* D. *Lib. 4. cap. 12. Baronius Anno Christi 370.* E. *Idem Anno Christi 363. & c. 365. ex Sozom. lib. 6. cap. 4.* F. *Theodoretus lib. 4. cap. 12.* G. *Baron. Anno Christi 381.* H. *Isidor. in tom. 5. Baronij sub Anno Christi 405.* I. *Oseæ cap. 7.* L. *Apud Baron. tom. 5.* M. *In Augustini tom. 2. in append. epist. 7.* N. *Possid. in vit. Aug.* O. *Hieron. in lib. contra Hæres. Pelagij.* P. *S. Aug. epist. 105.* Q. *Epist. 252.* R. *Ludou. de Angel. de vita, & Laudib. Aug. cap. 14.* S. *Prosper in epist. ad Augustin.* T. *Hilar. in epist. ad August.* V. *Lib. 3. aduersus Pelagian. in fin.* X. *In appendice ad tom. 10.* Y. *Ibidem.* Z. *Primo diuinar. Institution. cap. 22.*

Digitized by Google

cap. 22. Aa. *Aug. epist. 166.* Bb. *epist. 163.* Cc. *Baron. tom. 5. hic.* Dd. *Lib. ad Donatum, post collat. cap 35.* Ee. *Ibidem.* Ff. *Lib. 7. cap. 42.*

II. Hæc ferè sola vnica digladiatio litteraria tanti fuit, vt Malleum Hæreticorum totus pænè orbis nominauerit AVGVSTINVM; quippe qui eodem ictu magnâ vi brachia tollens, non tantùm antiqui nominis Hæresiarchas, sed & posteros nouitios (Lutheranos, inquam, & Zvvinglianos, &c.) tam validè confudit, vt etiamnum miserè sudent sub eius incude. Enimuerò moderni in omnibus suis dogmatibus sese Manichæis, & Donatistis apprimè conformant; nam & ipsi negant Romanocatholicam esse veram Ecclesiam; & mirè, vt postea tangam, res sacras profanant, & confundunt. Sed euanidè laborant omnes, qui tenebris *Veritatem* inuoluere studeant; suo sese *Illa* vbique lumine prodit, & eò clariùs, quò tenebricosiùs occulitur. Disputat AVGVSTINVS aperto Veritatis, & A
Euangeliorum libro, & sacræ Paginæ sensa clarè significat iuxta Seruatoris mandatum: *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Gg Neque sibi soli sapuit, aut credidit; sed eum sensum B
Scripturæ tenuit semper, quem suptemæ Mitræ (quæ magisterio Diuini Pneumatis errare non possunt) per tot annorum centurias, continuâ serie velut concatenato nexu nobis tradiderunt, & pro quo in omnibus Oecumenicis Synodis veneranda Patrum antiquitas legitimè coacta pronunciauit, scriptisque suis, ceu accenso lumine nobis dilucidè ostenderunt; quam veritatem & illi, licet doctissimi, non sine multis ad Deum fusis precibus, cum enixâ animi demissione obtinuêre. Vidit noster *Videns* solùm æthereum esse oculum, qui omnia D
ex vero intelligat, & videat, etsi abstrusissima in libris; maluitque vt Cicero cum Platone (sanctis Patribus) errare, quàm cum alijs vera dicere. Vidit contrà Laruam, & meras insanias E
in Hæreticorum pagellis, & ideò nasturtium illis dedit. Vidit & Aquila sublimis in raptu olim clausum librum septem munitum signaculis; Hh & copiosissimè fleuit; quem tamen po- F
stea aperiendum à quibusdam esse intellexit, sed non perinde ab omnibus; verùm quibus Deus reuelare dignatus fuerit: qui Liber non ita clausus est, vt dolendum summoperè, nisi Hæreticis sit; qui peruersè & lippis legunt oculis, cum cæci sint & superbi;

Digitized by Google

perbi; vt qui veram Ecclesiam contemnunt, & Ethnicorum, publicanorumque nomine veniunt.

Amabò, sodes, nisi grauatè est, paucis accipe, quàm impiè faciant, qui Catholicoromanam Ecclesiam contemnunt? Quæ sola Petræ illi innixa est, quam nulla ætas, nulla machina cuniculari potest, in qua omnis generis, sexûs, ætatis, statûs homines, sanctitate vitæ singulari, & miraculis etiàm post funera, Superûm & inferorum suffragijs clarent; quæ ob locorum, temporum vniuersitatem antiquitùs iam est Catholica appellata, eoque nomine tanquam proprio, & peculiari hodieque gaudet, in qua tanta concordia, in tanto personarum & linguarum discrimine, in tam multis, longeque dissitis totius orbis partibus, per tot Olympiades, vnius Summi Pastoris ductu, & auspicijs sine vlla dogmatum mutatione tranquillè hactenus egimus, vbi claues scientiæ, & reprobationis, quæ reserant, & obserant, æterni Thesauri cimmelium; quæ, inquam, regnum cælorum aperiunt, & claudunt.

C g. *Matth. 10 num. 27.* Hh. *Apocal. cap. 5.*

III. Quò sinceriùs Orthodoxi conueniunt, hoc iniquiùs discrepant Sectarij, & tam longè à sese abeunt, vt quidem in via sese offendant, sed non sine offensaculis, qui plura sibi capita fingunt, quàm Poëtastri oculos Argo; & tot oculos se habere somniant in transpiciendis Scripturæ sensibus, quot Briareus ventres Sed inter tot capita Hæreticorum, nec vnum est, cui cerebrum sit; & cum tot oculis densissimè hallucinantur; tametsi enim Nostrates sonorùm latrent Hæretici: *Ego quidem Caluini, ego autem Lutheri:* cui, quæso, horum vel vnicàm solam concessit hanc prærogatiuam: *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam?* Ii. An Excucullato, & Pseudomonacho Martino Islebij? Vel Ioanni Extanonico Sodomitico Nouiomagi? Aut alibi alijs huius farinæ nefrendibus? Volue centesimùm, reuolue sacros Marci, cæterorumq; cælestis Cancellariæ Præsidum libros, & nec apicem de horum somnijs inuenies. Super solum palustre, & ventorum ludibrium (arenam) fabricam suam struunt. O blennos, bardos, stolidos cæmentarios, quas sublicas, & quàm luteum negotiū moliuntur? Nihil Petrinum, aut solidum, quicquid extra Petri Petram in sabulo

Hæreseos

Hæreſeos ædificatur. Nonne implebitur illud Prophetæ Ezechielis? *Et ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis: dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura, quia caſurus ſit; erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem: ſiquidem ecce cecidit paries.* Ll Nunquid pulchram Vxorij vrbem extruunt? Noua ædificia adhuc humida facilè deſtruuntur. Nunquid egregij Baccones, dicetur vobis? *Vbi eſt litura, quam liniſtis?* Mm. Vetus verbum eſt, non duraturam vllam Hæreſin vltra annos centum cum omnibus ſuis dogmatibus.

Deinde, mea forenſia pecora, (proletarios Præcones alloquor) quis vobis, ô concionales rabulæ, claues ad æterna adyta obſeranda, reſeranda tradidit? Quis vos ædiles ſummâ cum poteſtate regijs opibus præfecit? Nihil, quod ſciam, apud Cælitum Regem inſigne habetis; præter ceteros vel infra omnes mediaſtinos abiecti eſtis. Næ ille infra delirum ſit, qui claues commendet ijs, quos nouerit adulterâ olim, & malâ fide ablatâ claui æternùm clauſa aperuiſſe Monaſteria. Scitis, credo, quid velim: qui non tantùm ſacratas Sanctimoniales, ſed & vaſa tam ſanctis vſibus deputata, piceatis manibus profanâſtis. H Scilicet dum ſuadæ Veneres claudicantibus in Fide Vulcanis placent; dum pupuli pumili creſcunt; dum Sirenes ſuauiter occentant; dum caro non coarctari, ſed impunè exſpatiari, dum quilibet Libertinus eſſe vult, ſus deque vertuntur omnia, vt meritò Diogenes Cynicus, teſte Laertio, ſepeliri voluerit pronus, & non, vt omnes, ſupinus; nam aiebat, olim ab indoctis Athenas gubernandas, & cùm ima ſummis vertentur, ſe etiam reſupinandum. Nn. Quid moderni Hæretici aliud faciunt? Nonne ima & ipſi ſummis, & hæc imis vertunt? Septem eſſe Sacramenta nos verè affirmamus; at negant illi prorſus; & Martinus vnum duntaxat hodie, Oo cras tria ſtatuit. Pp Caluinus ſuis Oraculum; duo eſſe; Philippus Melanchthon nunc duo, pòſt tria, tum deinde quatuor, quin demum quinque affirmat. Nos verum Chriſti Corpus in Euchariſtia proni adoramus; illi tot ſententias hîc variant, vt in octoginta, aut etiam plures interpretationes planiſſima Chriſti Verba trahant; & tot quidem ſoli Lutherani Paniſtæ. Quòd ſi quis

Caluini

Caluini deliria, aut Zvvinglij diuerbia adnumeret, quanta colliget mendaciorum plaustra? Qq Nos piaculares Flammas timemus, illi velut fictos & pictos ignes rident.

Ii. *Matth. 16. vers. 18.* Ll. *Ezech 13. vers. 11.* Mm. *Ibidem.* Nn. *Laert. in vita Diogen.* Oo. *Libro ad VValdens.* Pp. *Lib. de Captiuit. Babylon.* Qq. *Gregor. de Valent. secunda secund. quæst. 3. de Pontif. §. 4. & 5.*

IV. Quin imò desipiunt maximè, cùm maximè sapiunt. Hieronymus cum Paulo, Matrimonio, & meritò, Virginitatem præfert; illi cum Iouinianis nec hilo antistare clamant, & omnia Castimoniæ vota non tantùm damnant, sed Deo dicatas virgines è choro in torum, de aris in haras suas trahunt. Ieiunia, exomologeses statis temporibus Veneranda Antiquitas præcepit; illi non tantùm antiquant, sed scabiosis dicterijs impiè proscindunt; & has conscientiæ, illa corporis torturas per ignominiam nominant.

Nos cælo assertas animas, & in Beatorum, aut Sanctorum syllabum relatas, cultu publico cernui veneramur; ita egregiè nobis præiuerunt Athanasius, Hilarius, AVGVSTINVS, alij: isti decinerandum os in cælum ponunt, & maligno dente rodunt: Rr ceu nuper quidam duos non admodùm pridem Sanctissimos viros, de vtroque orbe optimè meritos, Ignatium, & Xauerium sceleratissimè inquinauit; dum illum claudicantem Loiolam, & Iesuiticæ Sectæ deastrum appellauit, cui Deus Pater vnâ cum Filio suo in raptu quodam phantastico apparuerit; hunc (Xauerium) nouum Indiæ Apostolum ab Antichristo, non Christo emissum. Timent cum infidelibus, ne Sancti Dij nostri efficiantur, & dum Deum adorare nolunt, seruos cogantur venerari. Ss Scurrilia alia multa spurco, & inhonesto ore iecta in diuos alios, maximè in Franciscum, & Bennonem pudet recensere. Tt.

Nos Pontificem Romanum legitimum, perpetuumque Petri Successorem esse sentimus, senseruntque nobiscum hactenus omnes Catholici: illi autem ad hoc decretum durâ cerui ce, & incircumcisis cordibus, & auribus semper Spiritui Sancto resistunt, sicut Patres eorum. Vu & tantùm non insaniunt; ita tonant, & fulminant; sed priùs gigantes in montibus Ossæ suum cælo Iouem deijcient, quàm suâ hi cathedrâ Pontificem. Et quàm modestè nepos Tummius in Caput nostrum pronun-

Digitized by Google

pronunciat? certè tam grauiter lædit Caput nostrum, vt meritò Corpus totum, & singula membra doleant, dum Pontificem nostrum Pyrotectonem, Romanensem Deastrum, Harpyiam, Simoniacarum technarum, fraudum, impostrarum, & rapinarum reum blasphemè appellat. xx dum alio in loco Europæ Latronem, Prædonem publicum, Raptorem pessimum, maximum. yy Sed quid mirum, qui Ecclesiam ipsam Laidem, & Thaidem Romanam appellitat, Bestiam & Meretricem Romanam, quæ, quia cum Regibus, & Principibus Orbis fornicata est, abominabili scabie, & venereâ luce ita infecta sit, vt non iniuriâ Deus eam auersetur, & detestetur. Iterum honestis auribus non obgerenda taceo, & dignior charta est, quàm quæ tam impuro calamo deuirginetur. Nos diuinas opes ex inexhausto ærario, Indulgentias, aio, gratis manibus amplectimur; illi sceleratissimorum Pontificum fraudes nulli vnquam profuturas obganniunt, & frustra plumbo, aut membranæ gratiam IESV Christi includi calumniantur. zz. Iterum Tummius suum Khemnitium, & Caluinum egregiè imitatur; verba eius sunt: *Magnus ille Antichristus Occidentalis Romanus, Vrbanus VIII. Anno hoc instante à Christo nato 1625. iterum instituet, & celebrabit in nomine Patris, cuius primogenitus est, nundinas Antichristianas, in ipsis mercesque suas idololatricas, & horrendas exponet vbi Christianos. Et quidem dubito, quin innumerum hominum numerum fraudibus, & impostoris sui sit decepturus, illosq; auro, argento, omniq; lapide pretioso (quod Deus illi male vertat) fraudulenter, tanquam impostor insignis emuncturus. Redit enim (quod infelix, infaustumq; illi sit) Annus Iubileus Antichristianus, quo Baaliticus hic maximus Sacerdos Indulgentias sacras toti Orbi vendit, & pro auaritia sua, quæ claret, cum Prædecessoribus suis inexplebili siti ..... auarus anhelat*, &c. aa.

Nos Aras magnificè vestimus, Sanctorum Icones, & Oratoria pretiosè affabre ornamus, & tum demum Reges Christiani se splendere existimant, cum splendent ista; nos statuas Cælitum religiosè veneramur; illi contra, profanant templa, imagines, & simulacra non tantum Sanctorum, sed & ipsius Christi Patientis locomouent, fædè demoliuntur, & cum dolabris, & bipennibus populantur omnia aut ferro, aut flammâ deuastantes, & vel ipsorum pulueraria in puluerem decinerant.

Nos ar-

Nos argenteos, aureos calices, omnemque prectosissimè templi supellectilem regio planè ornatu instruimus; illi destruunt, & ni rei pretio, vel operis artificio parcerent, calices & sericæ vestes, odio Religionis, iam pridem funebrem rogum habuissent. Itaque nostra illa Sacra captendulis, muscipulis clepunt, discuntque aureo hamo piscari; quæ deinde pretio nundinantur, & sub hastâ vendunt, dicuntque: *Dicite Pontifices, in Sacris quid facit aurum?* Quis fur debebat olim quadruplũ restituere, & Bouis quintuplum. B Lex pro aureis Calicibus non erat lata, quia paludati Vulturij etiam inter ipsos Pharisæos non erant visi, quemadmodum hodie in laxè follicantibus manicis vendibiles proclamatores sese abscondunt. Piso, & Gabinius Imperatores auariores, quàm sanctiores à Marco Tullio lepidè paludati Vulturij dicti sunt; haud aliter nominâsset modernos Ministros, qui omnia preciosa furtiuè illiciunt, & nulla Sacra aduertunt; dumq; omnes sacras Paginas diligentissimè excutiunt, non inueniunt tamen, aut non meminerunt Heliodorum illum, illum, inquàm, qui hæreticarum Harpyiarum more, templi thesauris auidissimè imminebat, cui duo Iuuenes, virtute decori exinopinatò aduenerunt, & Accipitrem egregiè flagris exceperunt. C Rem præclaram Stentores isti cum Herostrato præstare putant, dum templum non Dianæ Ephesinæ, incendunt, sed templum DEI viuis dum sancta profanant, Scripturã adulterant, Aras diruunt, imagines demoliuntur, & immortale nomen ex his egregijs facinoribus sibi faciunt. Sed quid merentur? Scio legem, quæ sacrilegos igni adiudicat. Egregios Euangelicos! Illine homines, non dico Christiani, qui ita Euangeliũ, & Crucem erubescunt, vt hanc eliminent, illud adulterent? Quid videmus in Hæreticorum templis? Id quod illi apud Machabæos. D. Viderunt sanctificationem desertam, altare profanatum, portas exustas, & pastophoria diruta.

Ita exturbant Iconoclastæ templis sanctorum Imagines, ne Cælites suorum factorum memoriam illis excitent, aut ad suam prouocent imitationem. Scribit Salustius de bello Iugurthino se audiuisse Quintum Maximum, & Publium Scipionem dicentes; cum maiorũ imagines intuerentur, vehementissimè animum sibi ad virtutem accendi, & memoria rerum gestarum eam fa-

eam famam egregijs virisin pectore crescere. Sunt enim Imagines rerum vicariæ, à quibus ad res præclarè gerendas excitamur. Sed malunt Hæretici facinorosos sub oculos statuere, vt eorum facta imitentur. Sic Anno 1566. Lutherani, & Caluiniani in celeberrimi emporij Antuerpiani templo, Deiparæ Virgini sacro, omnibus Christi, ac Sanctorum Imaginibus impiè confractis, exustis, profanatis: improbi tamen latronis Christum blasphemè alloquentis statuæ pepercerunt, eamque pristino loco palã donârunt. E. An non Veneris, Iouis, Martis, &c. statuas plerique Hæreticorum conclauibus suis excipiunt? An non Caluini effigiem sculpi, publicéq; per compita erigi Geneua vidit? & ipse patienter Caluinus tulit? F Quare nos Christi, & Cælitum sculptas Icones seu genuflexione, seu capitis nudatione non afficiamus? Quando apud omnes pro comperto habetur, imaginum honores transire ad prototypon. Rideant ad conditoria Sanctorum cereos accendi, & dicant superstitionem sapere; scimus tamen in veteri lege ante vmbratilem Arcam lumen arsisse. Subsannent statuas in supplicationibus circumferri; scimus nos Arcam summâ pompâ inter festos applausus circumlatam.

Deniq; Christianam nos demissionem, publicamq; pacem oramus; illi magno typho superbiæ bella, horrida bella denunciant, & pace calcatâ præceps ferrum quisque in Catholicos stringit. Quàm enim crudeles omnes Tragœdi, choragi, quàm factiosi in pulpitis Stentores? Fædum Augiæ stabulum numerat Hieronymus aduersus Vigilantium. Fatetur tamen inter omnes Cerberos, Stymphalidas, triformem Geryonem, pestilentissimam Hydram Hæresin esse. G Quod illi itaque in nos nullo iure, sed mero odio dicaciter iaciunt, nos maximo iure in eosdem retorquemus, & Hæresin vocamus Meretricem illam Babylonicam, Danielis Bestiam septicipitem, terribilem, quæ dentes ferreos ostendit, cornibus decem horret, ore ebullit ingentia. H O bellam Belluam, crudelitatem, & sæuitiem sanguinariam! Non capra capræ, non seta setæ similior, quàm Hæresis huic Bestiæ. Quid enim? Crudeliores Scythis sunt omnes Sectarij. Mitissimas Oues pellunt in Ægyptum, & Fidem ipsam à Germania in Indiam Non inuenit Ecclesia cum Christo diuersoriũ aut vix in Germania? Sustinet. Lapidibus obruitur;

Se abſcondit. Figitur in cruce? Orat pro perſequentibus. Imitatur Antigonum Regem; qui cùm aliquos de ſe obtrectantes audijſſet, clementer indulſit, & hoc tantùm addidit: Apagite longiùs, ne vos Rex audiat. Sed etſi nos non clamemus, ſanguis Abeli effuſi à te, ô Meretrix, clamabit. Sed etſi ſanguinarios finibus noſtris non eijciamus, Cain tamen à facie terræ, & conſpectu Deus eijciet, non mitior erit in te, quam eadem Erynnis vexat. Sanguinem Sanctorum in calice geris, hunc ſitis, hunc anhelas, hunc propinas, & cum Iudæis clamas: *Sanguis eorum ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Quid aliud in libris tuis doces, quã Libertatem, licentiam, petulantiã? Veſtis te coccino, & pingis ſtibio; ſed hoc à medicis diſce, fucatam citiùs faciem corrugari, & fædè illitum calliblepharon dilatare oculos; vt meritò non ad ſolam Synagogam, ſed ad omnẽ Hæreſin Hieremias dixiſſe videatur: 1 *Cùm veſtieris te coccino, & pinxeris ſtibio, fruſtra componeris.* Depone laruam, pallenti faciei colorem facis, mortuale ſimulacrum videmus, etſi cum Gyge te abſcondas. Deprauatum eſt, quicquid ſcribis, legere poſſumus; muſculis, piſciculis, auiculis muſcipulæ, tendiculæ, retia ponuntur; naſſas; & inſidias videmus, & calicem, quem propinas, non bibimus. Atheniẽſes potione veneni ſontes ſolebãt necare, quo genere mõrtis Socrates interijt.

M Pacatiora ſunt omnia in Eccleſiâ noſtrâ, & meliora. Sedet illa cum ſupremâ poteſtate, & rumpant ilia inferæ phalanges, gentes, hæretici; ſcabellum tamen ſunt, & pro meritis calcantur. Magnâ concordiâ tota Patrum antiquitas cum illa ſemper vixit, dumque Caluinus damnat Valentinum Gentilem Trinitarium; dum Zvvingliani nouos Arianos exurunt in Angliâ; dum Beza hæreticos a ciuili magiſtratu puniendos clamat; dũ

N alternis Hæreſes in ſeſe arietant odijs; Concordia Eccleſiæ olituã, ſignũ pacis oſtendit, & indiſſolubili ſparto faſces ſuas coniungunt, & ceu duæ concordes Columbæ tranquillè dies viuunt. Eſt animal Columba eo viſus acumine, vt in aquâ hoſtis aduentum ante ſe longè ſpeculetur; ſic præuidit Eccleſia: *Scio, quod poſt me intrabunt lupi rapaces.* In Columba non ſimplicitatis tantùm ſanctæ imago clara relucet, ſed & caſtimoniæ coniugalis: relucet & in Eccleſia; nam IESVM Sponſum agnoſcit, in hunc ſolum intendit oculos, huic fidem ſuã præſtat. Deinde Columba

in petra

Digitized by Google

in petra nidum extruit; in Petra Ecclesia sita est. Illa alienos pullos nutrit; etiam Ecclesia ad vnum Ouile omnes cogere laborat. Illa pura seligit grana; ista sanam doctrinam cum prudenti oculo: illa felle caret, rostro non lædit, iuxta limpidissimos fontes habitat, gregatim volat; nec Ecclesia habet aculeum, aut fel; iuxta limpidissimam Scripturarum interpretationem habitat, & cum multis Patribus sentit. Ità in Ecclesia concordiâ res paruæ creuerunt. In Hæresi discordiâ maximæ sunt dilapsæ.


De Scylluro Rege ferunt, moriturum octoginta suos, quos habebat, filios, vocasse, & coram fasciculo sagittarum constituto præcepisse, vt omnes simul sagittas vnâ colligatas frangerent; quod cùm fieri posse negarent, vnicuique diuisim singulas sagittas frangendas exhibuit; quòd cùm illi facilè præstarent: *Audite*, inquit, *Filij; ita & vos concordes inuincibiles eritis; & discordes facili negotio vincemini.* Hanc in vltimis suis tabulis legem tulit Christus, dum suis nil, nisi Pacem, & Concordiam ex testamento reliquit: *Pacem do vobis; pacem relinquo vobis.* Agesilaus Lacedæmoniorum Rex interrogatus, cur ciuitates muris, mœnibusq; carerent? Respondisse fertur: *Quia Lacedæmonij inter se concordes sunt, quibus Concordia pro muris est.* Et Catholicis pro vallis est Concordia, quæ tuta etiam aduersus inferas phalanges stabit. Quorundam Philosophorum sententia est, ex discordiam, & contrarietatem rerum omnium fuisse principium; interitū verò concordiam. Esto, quòd per contrarietatem qualitatum natura conseruetur; illa tamen pessum abibit, quamprimùm contrarijs itura est vijs, quamprimùm in contraria scindetur. Præclarè admodum egit Thrasybulus; quòd reconciliatâ pace legem tulerit, ne quis anteactarum rerum accusaretur, néue multaretur; eamque illi *Legem oblivionis* appellârunt. Christianè. Huic pro tantis meritis corona à populo data est, facta ex duabus virgulis oleaginis. Omnium iniuriarum & Ecclesia obliuiscitur; quid ergo mirum, si Concordia Oliuam præbeat?

Deinde non effrons, nec omni pudore exuto in audaciam prolabitur Ecclesia, sed inter spem, & timorem crescit, dum recordatur toties ob leges neglectas punitum esse orbem; timore Dei refrenari impetus, & incitari ad omne bonum; illum

tandem beatum esse hominem, qui semper esset pauidus: cum Iona dicit: M *Hebræa ego sum, & Deum cæli timeo.* Nouit, Timorem Dei, initium esse sapientiæ: nouit Timorem Dei dare in aduersis constantiam, vnde tot Martyres Timore Dei superârunt tormenta: nouit, Timorem Dei parere fauorem, & omnia bona: nouit, Misericordiam Dei à progenie in progenies timentibus eum. Discite, effrontes Hæretici, timere Deum, & ad Ecclesiam veram redibitis.

R r. *Vid. Ioann. Caluin. lib 3. Instit. cap. 20. §. 2. Lutherum passim.* S s. *Apud Euseb. lib. 8. Ecclesiasticar. historiar. cap. 6.* T t. *In agnost lib 3. Biderman.* V u. *Actor 7. vers. 51.* X x. *In igne fatuo. pag. 10. & 11.* Y y. *Thum. in Papa Antichr.* Z z. *Luther. art. 18. Caluin. lib 3. Instit. cap. 5. §. 5. Khemnit. in sess. 25. Conc. Tridetit.* A. *Thummius in disquisit. Theolog. de Iubilæo Antichrist.* B. *Exodi 22.* C. *2. Machab. cap. 3. vers. 26.* D. *1. Machab. cap. 4. vers. 38.* E. *Vide Hæreticum Quare per Catholicum Quia, Henrici Lancell. 29 Quare.* F. *Ibidem.* G. *Hieron. aduersus Vigilant. num. 3.* H. *Daniel. 7. Hierem. cap. 5. lib. 1. Physicorum.*

Digitized by Google





INSIDIIS SECVRVS ABIT, CVI MENS PIA: SEMPER
DISPEREVNT, LAQVEOS QVI POSVÊRE, MALI.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS DECIMÆQVARTÆ.

I. HÆRETICI INSIDIANTVR AVGVSTINO VARIIS MODIS. II. SED ANGELIS SVIS DEVS MANDAVIT, VT CVSTODIRENT INSONTEM in omnibus vijs. III. Crudelis genius Hæreticorum. IV. Et Veritas illis odiosa.

I.

NOn abnuo Hæreticos, vt pestilentissimam luem, fugiendos, quorum venenum, quod egerunt, velut gangræna serpit. Scio, cur fugerit Cerinthum Ioannes, cur balneum totis pedibus ingredi abnuerit, in quo Hæresiarcha lauabat; ne scilicet domus ab inquilino infesta corrueret, quod & factum est. Samosateni Catholici, vt habet tripartita Historia, A aquam omnem ex balneo procul effundi, nouamque inferri curârunt, priusquàm lauarent; eò quòd Eunomius prior illâ fuerit lotus. Hæc minimè abs re. Quid enim agnellus cum lupis commercij habeat? Quid aliud à carbonario expectes, si intres cum illo in officinam, quàm vt à contubernio denigreris? *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Punicum est prouerbium, teste ipso nostro AVGVSTINO: *Pestilentia ad ostium pulsat, & numum rogat: duos illi projce, ne ingrediatur, vel propter fores diutius moretur.* Et meo quidem iudicio, nihil potest esse pestilentius Hæresi; quæ hoc insuper laborat malo, vt vbique palabunda ostiatim erret, & ni foribus vi proturbes, magnâ impudentiâ ingreditur, maiori crudelitate grassatur.

Est Hæresis fornicaria illa Mulier, à qua inuisenda Salomon deterret: *Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* B Sed hæc sellulariæ plebi dicta sunto, quæ Hæreticorum

ticorum strophas nullâ ratione expendere, aut trutinare, vel ad Lydium lapidem examinare sine præsentissimo præcipitij discrimine potest. Secus iudicium esto de Ecclesiæ Doctoribus, quorum partes primæ, aut certè non postremæ aduersus sectarios omni operâ conniti; & pro iuratâ Ecclesiæ Romanæ fide nihil contentius velle, quàm vt vel gladio verbi diuini, vel igne Spiritus Sancti Hydræ illius capita identidem infelici auctu recrescentia penitissimè detruncentur.

Gnauum sese hîc Entellum contrà Daretem AVGVSTINVS ostendit, qui non tantùm stylo, & calamo serio pugnauit, ratione vicit; sed & tabulis, atque legibus Imperatorum præfractos Donatistas eò adegit, vt postquam scelestos hos abuti Catholicorum modestiâ edoctus est, atque deteriores euadere, (cùm toties apud Africanæ prouinciæ magistratum prò illis detentis in vinculis rogaret;) tandem seculari potentiâ retundendam illorum pertinaciam scripserit. Hoc nomine nominatiores quidam denis auri libris mulctabantur, & locus Hæreticorum seruiens conuenticulis, redactus est in fiscum. C Secutus in hoc Christum Seruatorem, qui & ipse terroribus sæpe homines mouit ad Fidei rudimenta. Nonne Paulus tremens, ac stupens dixit: *Domine, quid me vis facere?* D Nonne apud Lucam compulit intrare? Enimuerò ipsa ratio suadet, gladio, aliaue potestate posse Hæreticos in Fidei negotio ab Imperatoribus, & Regibus ad Romanam Fidem cogi. Cùm in omni republica potestas sit, quâ timore pœnæ ad officium præstandum refractarij cogantur subditi. Quare Catholicæ Ecclesiæ, quæ apud Danielem E ordinatissimum Regnum nominatur, meritò hæc potestas deesse non potest, qua Apostatas, & Hæreticos, qui Fidem Ecclesiæ per Baptismum aliquando dederunt, vel cogat datam iteratò testari, vel puniat ob desertam. F

Testantur hoc ipsum confœderati Hæreticorum, inter quos Erasmus Roterodamus, qui in epistola ad Fratres Germaniæ inferioris, & Frisiæ, &c. *Quis ingenij*, inquit, *tam mitis, & boni, qui non quamprimum arma sumenda putet in eos, qui professi saluificum Euangelion IESV Christi, viuant tamen ipsi flagitiosissime, & confundant, inuertant, perdantq; seditiose omnia, optimis pessimos sufficiant, soluant potestatem Principum, plebem in optimos quosque arment, subinde tumultus excitent, ad*

arma

armæ identidem nullis de cauſis procurrant, foueant ſceleratiſſimos, ſint in bonos meri Phalarides, omnem Religionem aboleant, vt certiſſimus expectetur Paganiſmus? Sed ſuo loco plura.

AVGVSTINVS quamdiu ſpes aliqua affulſit, Fidei noſtræ firmandæ,& Hæreſibus conuellendis indefeſſam nauauit operam, cùm diſputationibus publicis, tum euulgatis libris. Quamdiu Epiſcopus fuit, ſemper impauidus ſtetit ad quoſcunque inſultus aduerſariorum excipiendos, nihilque aliud laborauit, quàm vt ſolidis rationibus omnia mendacia in Fidei arcanis iugularet. Exinde factum eſt, vt ad eius dicta, maximè Donatiſtæ, ſedulò auſcultarent; & ad ſuos pſeudoantiſtites vel Hippone, vel alibi agentes deferrent; ad eum planè modum, quo profligata plebs Lutheranorum templa noſtra frequentant, vt pro ſuggeſtu dicta à noſtris, ſuis dein præconibus referant, & odia proſeminent: ita pro ambone quæcunque perorauit AVGVSTINVS, ea omnia illi in ſuis concionabulis examinarunt; ſed, vt nefrendes ſolent, omnia in ſequiorem partem diſtorſerunt; non vt aliquid confutarent, ſed vt ſtolidè coram ſuis triumpharent, omnibuſque inuectiuis tribunitio furore in AVGVSTINVM debacchantur. Ob hoc paſſim ſarcaſmi, & dicteria ſpargebantur; quam ille tamen maledicendi libidinem non aliter vindicatum iuit, quàm modeſtiſſimâ purgatione, vel ad ſolennem diſputationem inuitatione: ibi enim perſonam, & laruam mendacijs detrahi poſſe, quæque ſanior eſſet, oſtendi. Eius ergò ſæpe ad illos litteras exarauit, quibus in arenam pellicere eſt conatus; illi autem cauſæ ſuæ diffiſi, controuerſiaſque aſpernati, nunquam reſcripſerunt; ſed cum ſupercilio & dente ſeductorem, deceptoremque criminabantur: quin verò vt lupum impunè occidendum in defenſionem gregis ſui; atque quod magis impium eſt, eum qui AVGVSTINVM è medio tolleret, citra omne dubium, aiebant, ob hoc egregium factum omnibus ſuis noxijs à Deo eximendum. Ridete leges. Sic olim Athenienſes ſe ciuitatem purgare ſuam dicebant, cum ex illuſtribus viris quempiam oſtraciſmo eiecißent. Hi poſt interrogati ab Ariſtide, quo ſuo merito ſe tali afficerent iniuria & ciuitate pellerent? Reſponderunt: ferre ſe non poſſe, vnumque bonum Ariſtidem dici. G.

Ita proscriptus est AVGVSTINVS à Donatistis, & publicis tabulis capite census; qui si interrogarentur, quare non tantum ostracismo, nec per decennium, nec ex vnica vrbe, sed ex orbe in perpetuum eijcere attentarent? non aliter vtique obuiarent, quam ferre se non posse vbique AVGVSTINVM doctum dici, & sibi saniora velle proponere. Sed ô stolidos caudices, hominesque prorsus nauci; quibus alios graue est bonos esse, vt optimis velint pessime esse! ad similem plane modum olim Iudæi ferrei Chrysostomum suum Angelico vultu loquentem, cum aspicere non potuissent, stridebant dentibus, & lapideis manibus irruerunt in eum. Volauit saxeus imber, & sepultus est Stephanus sub aceruum Mercurij. H Ita quò vehementius & sanctius AVGVSTINVS dixit; hôc Donatistæ maiori insurrexerunt odio, & crassius semper in calumnias abiuerunt, vt tantùm non ad insaniam sint redacti. Non iam occultè insidiari, sed publicè nassas struere, & argutis reticulorum captendulis implagare hominem adlaborabant; vt non tot Hercules Iunonis odijs agitatus habuerit persecutores; nec tot Troiani fluctuum procellas ob raptum Ganymedis Phrygis, & repudium à ministerio Iouis; nec tot procos olim Penelopes. Sed non ita scitè, vt ex voto vnquam cesserint insidiæ.

A. *Tripartita historia lib. 7. cap 16.* B. *Proverb. 5. versu 8.* C. *Colligitur ex Augustini Epistola 127. & alijs locis.* D. *Actorum. 9. versu. 6.* E. *Danielis 2. versu. 44.* F. *Citato loco in hæretico Quare Henrici Lancelotti.* G. *Sabellicus lib. 4 cap. 9.* H. *Actorum. 12. num. 59.*

II. Quemadmodum Echinus inter aculeatas setas in medio adlatrantium canum immunis abit; ita AVGVSTINVS innocentiæ velamine tectus, inter hæreticorum rabiem hostilesque fraudes tutus vndique fuit; clypeo namque impenetra-
B bili obumbrabat *Veritas*, & cælestis genius fortiori panoplia protelabat: loricâ varijs inter sese ansulis connexis contextâ erat obarmatus defensor, caput galea protectus & cassidem, quamuis inuisus. Nonne omnes administratorij spiritus in ministerium sunt missi? I. Etiam Iosue vidit in castris Ierichuntinis Angelum euaginato gladio in auxilium accinctum. L. Dum orabat Elisæus aduertit eius puer cum stupore montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Eli-
C sæi. M Nimirum *scuto circumdabit te veritas* pro veritate pugnantem. Sæ-

tem. Sæpenumero Donatistarum fex impftoba, lixæ & nihili homines (Circumcelliones intelligo) vias omnes obsederunt, & occultè ex insidijs expectârunt cum bombardis, sagittis, & hoc genus alijs telis, dum AVGVSTINVM offenderent, &, si quâ possent, hanc opimam hostiam suo furori litarent. N Sed euanidis excubijs: quantumuis enim in illum tanquam scopum præfixum collimârint, Andabatarum tamen more veluti clausi essent oculi, vel linteis impediti crassioribus, ita nihil viderunt, nec scopum suum attigerunt. Ridiculè sanè, & quos rideat iterum Diogenes: Hic cum olim animaduerteret quendam imperitè iaculantem, vt erat facetus, proximè palum, cui orbis infixus erat, consedit; & quid ita luderet interroganti: ne fortè, respondit, me ferias, quidvis enim citius percuties quam scopum. o Pari ratione laniſtæ Circumcelliones seipsos citiùs læserunt, quam palum, quem sibi ante oculos constituerunt, AVGVSTINVM aio, à quo cæleste Numen procul omne infortunium auerruncauit.

Potuêre duo Ephebuli cælestes iniectâ manu medio ex incendio Pentapoleos vi senioremLoth educere? 2. Potuit alius intempesta nocte 185000. Assyriorum profligare? Q. Potuit tertius rabiem Leonum compescere, ne sæuiret in infontem Danielem? R. Et quartus ceu Martia Bellona hastam manu vehens ante castra Iudæ præcedere, & classico ad prælium intuitare dareque victoriam? Quid desperandum de AVGVSTINO, qui & ipse pro Deo pugnauit? Misti hæretici, frustra sagittas mittitis; in vos ipsos certum magno vulnere cancrigradu reuersuras. *Non est brevior via ad interitum, quam contra cælum & sanctos belligerare.* Docuit hoc omnis conatus infelix prorsus Antagonistarum; qui quoties Religionem ex orbe proscribere sunt conati, toties ipsi dictatore solum vertere de iique sunt coacti. *Angelis suis mandauit Deus*, de Fide & Religione; quin & de AVGVSTINO, quem quoties occidere molibantur, toties superi de via abduxerunt, ne recta claudem incideret. Iuuat vnicum commemorasse.

Quodam die Circumcelliones certò acceperant, hâc non alia transiturum AVGVSTINVM à quodam in Fidei negotio accersitum; ibi, vt vnquam cautissime locare insidias, & omni telorum

telorum genere instructi expectare hostem gratulabundi cœperunt. Quo vadis AVGVSTINE, funus breui futurus? Effugere tantam expectationem & tot oculos non potes. Sed supinè & hic dolus cessit. Vernula ille, qui accersitum venerat, & honoris gratia AVGVSTINVM comitabatur, occultè sed Diuino ductu de via aberrauit, alioque itinere ad ædes heri sui deflexit. Perdurabant interim nefarij illi in suis stationibus ad multam noctem, eousque, dum euasisse hostem suum laqueos incogitantem & insciũ intellexerunt. *Narrauerunt vt absconderent laqueos, dixerunt quis videbit eos?* Sed stolidi tenebriones seri estis, à diuino omnia arbitrante oculo dudum visi estis. *In stipulam versi sunt lapides funda.* ¶ Nempe vigilat cælum in suorum innocentiam; & confundit superbiam contra se euntium, & destruit molem Giganteam turris Babel.

Hieronymus in Isaiam auctor est; primis seculis huic turri quatuor millium passuum iam altæ, Nemrodianos cogitasse tantam celsitudinem superimponere, ad quam diluuium, si rediret; non iterum ascendere posset, & ita nomen suum celebrarent. Vanitatem & superbiam horum fabrorum! Quid enim aliud significauit tam insana ad cælum vsque structura? Quis alius scopus conatûs improbi fuit, quam ambitiosa cupido famæ æternandæ? Sed confudit Deus idioma Hebræum (quod vnicum fuisse tam ante quam post diluuium vsque ad fabricam turris Babel, sanior Doctorum sententia affirmat) & commiscuit linguas, vt singuli alias loquerentur; vnus Græcam, alter Latinam, tertius Germanicam, quartus Sclauonicam, &c. Atque dum vanè & superbè Nemrodiani credidêrunt à nullo hanc machinam præpediri posse; risit stultam eorum præsidentiam Deus, & leui flatu eorum opus dissipauit, confusione linguarum; vt vno petente latercs, alter præberet cæmentum; hoc petente trullam, alter porrigeret sportam, &c. Ita inuicem sese irritârunt, ab opere cessârunt, & in aliena sola commigrârunt. ¶ Surrexit iam olim hæresiarcharum impia moles, sed tumidè hodie Nemrodiani posteri altius ascendunt, atque fundatæ super Ecclesiam petræ nouas parauxeses astruere laborant; sed *fulminant celsas æthera turres*, & confundit Deus linguas.

Digitized by Google

linguas, vt sua ipsi dogmata non intelligant, dum plerique hæretici iam Machiauellizant. Sed ad AVGVSTINVM.

Omnia mouendo nihil tamen promouerunt in AVGVSTINVM hæretici, & quem inaniſſimo concilio laborabant occidere, illum Deus prouidentiſſimo conſilio vbique occuluit. Aiunt Hamilcarem cum filio ſuo Hannibale perpetuo odio in Romanos excanduiſſe, ita quidem vt Hannibal nondum decennis puer ad aras Iouis iurârit: nunquam ſe in amicitia cum Romanis futurum. Plus quam Hamilcar aut Hannibal in Romanos, Donatiſtæ conſpirârunt in caput AVGVSTINI. Et Deum bonum, quot factiones rebelles Iugurthæ inſtituerunt! Magnum tamen diſcrimen inter illos & hos interceſſit; quia vnus Hannibal multos Romanos internecioni dedit, plurimi Donatiſtæ nec vnum AVGVSTINVM occidere potuerunt. Occidere autem? nec vincere; quin imo nec hiſcere ſunt auſi; ſed dicente illo ſicut Scarabei coram auium regina Aquila, aut formicæ coram Elephanto occulta latibula quærunt & trepidant; ita hîc vnus poſt alterum ſe ſe ſubduxerunt, & muti penitus in infames ſuos ſpecus profecti ſunt.

Nihil aſtutia ergo etiam annoſiſſimæ vulpis ad Leonis magnanimitatem, nihil vafrities hæreticorum ad ingenium AVGVSTINI. Qui omne antea iugum velut generoſi Bucephali excuſſerunt, ad huius Alexandri oſtenſam tantum virgam humiles ſe pronârunt: & ſicut ad iratam Iouis frontem totum intremiſcere aiunt Olympum; ita ad huius leuiſſimum ſonitum animus & pedes illorum vacillârunt. Sed quid Alexandri in memoriam venit? generosè olim ille (an ſuperbè?) noluit vnquam in certamen deſcendere & in gymnade currere, niſi cum regibus. AVGVSTINVS autem etſi Achilles aut Entellus non reſpuit tamen Troilos vel Daretes, qui ſagaci ingenio & timido omnia dicta & argumenta illius non aliter quam vterum Troiani equi formidarunt. Ignaui milites, quos vmbra facilè occiderit, qui omnia vera vt laruale ſimulacrum & terriculamentum nocturnum fugiunt, ad eum fere modum, quo miſes ille, qui vmbra gladij occiſus dicitur. Cuius hoc legitur Epitaphium. v.

Hunc

Hunc gladij manifesta virum subito vmbra necauit,
Egit & extremas in Phlegethontis aquas.
Tu quicunque huius pertransis militis vrnam
Offendas, moneo, ne pede, neue strepas.
Te timidus minimam si senserit edere tussim,
Protinus ex ipso diffugiet tumulo.

Solem putabam vmbram facere; at hîc vmbra vmbram? Quamuis & ipsi heterodoxi vmbræ sint, non quidem vt parasitastri mensarum, sed solis & veritatis. Magnum dissidium inter philosophos est, dum de chimæris altercantur. Nisi me ratio omnis fallit; omnes hæresiarchæ chimæræ sunt.

Fertur alicubi chimæram visam, sed fides penes auditores esto. Obambulabat ergo Landishuti spectrum nocturnum, hâc imagine: caput fistula rusticantis cum coriaceo sacco; aures vespertilio; anteriorem corporis partem exuuijs & aspectu magnanimus Leo; tergora gibbosus Camelus; pedes priores raptu victitantia animalia; posteriores, pedes hominis soleis ligneis crassisque internodijs subligati. Schema hæreticum. Mira enim dulcedine attrahunt suos auditores, noctuambulones vbique impingunt, cæcique ductores improuidos secum animos ad noctem æternam trahunt. Et quam minaces aspectu Leones? Si, quæ illis verba, res essent, iam dudum fulminata Ecclesia esset. Sed cito ad instar incuruorum Camelorum deficiunt, & ad terrestria declinant. Ceterum quamuis raptu plerique viuant (etiam raptu Proserpinæ) carnis tamen illecebræ velut nodi arctissime constringunt; vt auolare plerumque cum rapinis non possint, sed finem cum luda in laqueis accipiunt; & quia funes peccatorum circumplexi sunt eos, nunquam se se enodare poterunt.

I. *Hebræ. 1. vers. 14.* L. *Iosue. 5.* M. *2. Regum 6.* N. *Possidius in vita Augustini. cap. 12.* O. *Ex Diogene Laertio.* P. *Geneseos 13. numero 6.* Q. *4. Regum 19. versu 35.* R. *Danielis 6. versu 22.* S. *Iobi 4.* T. *Hieronymus in cap. 4. Isaiæ. Augustin. lib. 18. de Ciuitate Dei. cap. 4. Cornelius à Lapide in Genes. cap. 11. versu 6. & 7.* V. *Ioannes Nieser in suo alphabeto diabolico.*

III. Rebellium quidem sectariorum vires egregiè olim eneruatæ sunt; sed illæ tamen post infelici auctu repullulârunt. Nam tametsi satis truncatæ sint, & omnem fere partem demortuæ, more tamen serpentium faciunt sectæ hodie pleræque, dum obtritis capitibus infensè demum caudâ minantur. Du-

dum

dum quidem hæreſeos caput contritum eſt per *Malleum* noſtrum; ſed illa hodie eò ferius minas intentat, quò magis in extremo quaſi caudæ volumine virus omne colligit. Ferunt Pantheram homini vehementer infeſtam, ita quidem, vt ſi occidere illum nequeat, ſimulacro & imagini eius inſultet. Non minoris crudelitatis belluæ Donatiſtæ; qui dum in AVGVSTINVM non potuerunt ſatis ſæuire, in Deum & ceteros ſacratiores homines ſtomachos ſuos vbique effuderunt. Vide ſis enim quàm in hos fuerint pij & religioſi? non vel vitium impietatis defuit. Sed ſatis de illis.

Hos egregie imitantur neôterici noſtri, ne à maioribus degenerare videantur; vt etiam gentilium tyrannorum immanitatem multis interuallis poſt ſe relinquant. Quemadmodum Scorpionis tota vis eſt, hamatile ſpiculum figere, & ſine ſenſu vulnera & venena ſpargere, interim in facie blandus non tam eſſe, quam in cauda lethalis; ita recentium hæreticorum totum negotium eſt, aculeum oris & calami, ſed & gladium ſtringere, & venena ſuorum dogmatum diffundere quamuis venâ ſatis ſubtili, nec prius figere aculeum, quam carnem prurigine titillare docti. Nonne immaniter gladium Lutherus Anno M. D. XX. euaginauit in omnes orthodoxos? dum librum audaci & nouo ſtilo euulgauit, in quo Romanum Pontificem, Purpuratos Patres, omnes Præſules interficiendos, atque in eorum ſanguine manus lauandas impiè ſcribit. x. Hoc eſt Scorpionis aculeum vincere, qui gladiolum ſuum quo iugulat, occultè ſtringit & ſine tumultu occidit, ita vt nullus ſicam hanc fatalem eſſe arbitretur prius, quàm ſentiat. Nimis craſsè & crudeliter Martinus, qui tam ſanguinariâ rubricâ ſcribit, vt characteres iſtos quiſque non aliter quam potentia inferorum amuleta religioſe formidet. Atque profectò maximam vim hi characteres habuerunt, quippe ab omnibus abunde compertum eſt, quantam cladem orbi Chriſtiano per ruſticos rebelles inuexerit? quam contra principes & nobiles animos ignobilem vulgum armauerit Lutherus? vt in ſola Franconia arces & Monaſteria ducenta & nonaginta fuerint euerſa, innumeri ſine numero Deo dicati myſtæ & Cœnobitæ trucidati. Y.

In Anglia Monaſteriorum & locorum ſacrorum dena millia in profanos vſus ceſſere, vt Petri ſucceſſor ibi non tantum profanus & Laicus Rex; ſed, ô propudium! impuriſſima Thais Eliſabetha illa fuerit! In Gallia altaria deſtructa, templa incendijs deformata. Quid dico? ſupra decem millia loca ſacra euerſa, & quæ non penitus deſtructa, in equiria & ſpeluncas latronibus ceſſerunt; Monaſteria plus quam ſexcenta ſolo æquata, plurima igne conſumpta, ſacratiſſima hoſtia pedibus contrita, porcis obiecta, ſacro oleo cocta, & (lingua horret dicere) cui vſui non deputata?

In tumultu Gallico ad ſex millia presbyterorum, ex quibus ter mille religioſi, crudelibus ſupplicijs ſunt addicti. Conſtat quibuſdam pellem detractam, qui octauo & nono demum die in tanta laniena ad inſaniam redacti ſpiritum exhalarunt. Pars æneorum machinarum oris alligati, accenſo puluere tormentario in fruſta diſtracti. Pars lardo peruncti miſſo igne arſerunt: Alij verubus affixi, alij clauis ferreis in abraſam capitis
L partem adactis extincti. Z. Presbyteri cuiuſdam ventrem ferro apertum viuentiſque aluo auenam atque hordeum ingeſtum, equis pabulum & præſepium; pluribus nares detruncatas, oculos erutos eâdem tempeſtate legimus.

Quam non Belgica Prouincia inſaniam hanc hæreticorum hodieque deplorat? Vbi tot hominum ſtrages factæ, templorum & Cœnobiorum ſpoliationes, ſacræ ſupellectilis gemmeæ, aureæ, argenteæ direptiones, ſacrorum temerationes, ſanctimonialium per ſummam ignominiam conſtuprationes? Cædes per totum illum orbem ambulauit, & integros ſanguine libros impleuit. Inter alios crudelius deſæuijt Comes quidam à Maria dictus. Hic Religioſos potiſſimum de familia Franciſci in Hollandia tam truculenter & temerè habuit, vt ipſi etiam furijs nuda narratio injiceret ſtuporẽ. Poſt plurimas & patientiſſimè latas iniurias ſancti hi martyres in oppidũ Brilã amandati, & ibi ludibrioſè luto conſpurcati ambire infame patibulum cuiuſdã nefarij fuſtigationibus ſunt coacti, quibus calo quidam alius
L perludibrium vexillum prætulit, & multum ſubſtomachans & ſubſannans illuſit: atq; vt nihil crudelitatis omitteretur, cõpulſi ſunt vere ſtigmatici retrogrado gradu circuire & celeberrimum

illud

illud Ecclesiæ odarium, quo saluemus Reginam misericordiæ Matrem, decantare; qui omnes dein concubiâ nocte de trâbibus suspensi & enecti sunt. Nec dum satis; Tigres istæ etiam in mortuos diu crudeles fuerunt, nares & aures detruncârunt, ventres diffiderunt, & inde quidquid potuerunt adipis euulserunt, idque per prouinciam vbique diuendiderunt. A a. Accidit alia tempestate, vt Seruatoris cruci suffixi imaginem in templo Gorgomiensi more Christiano erectam abstulerint & patibulo suffixerint. O temeratæ religionis pœnas sanguine pendant. B b.

Scribit Lipsius esse Reges quosdam, qui è patibulo suspendant imagines eorum, quos viuos habere nequeunt. Ita Euangelici Christiani Christi imaginem è patibulo suspendunt, quem viuum cum Iudæis suspendere non possunt. Sed iterum in seipsos, dum in alios volunt, sæuiunt; Enimuero fucus etiam dum icit hominem, exaculeatus moritur; & Lupum, aiunt, dum hominem vorat, in rabiem verti, tamque diu per tesqua aberrare, dum occidatur; sic isti post exercitam in Christianum nomen rabiem, carnificem conscientiam, habent, abditas in pectore furias & multiplicem Caini fratricidæ pœnam; nempe diras omnes à cœlo, eiectionem à terrâ, frontem vultûs diuini, erroneam & fugacem conuersationem, tremorem totius corporis. Deinde dum sperant se à fundamentis euulsuros petram Christi, frustra insudant operi; quippe ab hoc ludicro conatu ingentia Ecclesia bona accipit. Vt pila & palma, quo magis deprimuntur, eo altius exurgunt; ita, dum ingruunt tempestates, dum Eurus & Notus ruunt, dũ intonant poli & micat ignibus æther; naucleri ad sidera supplices tendunt palmas & vota ingeminant, inque tristibus confugiunt ad cælum; ita vitijs per fluctus via præcluditur, Laurea promeretur, amor exploratur. Opponat tantum Ecclesia infractas vires, ostentet imperterritum animum, timidi erunt antagonistæ, & Leporem sinu circumferent: verbo audaculi, animo meticulosi. M

X. *Testis est Cochlæus in speculo crudelitatis cap. 26.* Y. *Ibidem.* Z. *cap. 25.* A a. *Crudelitatis theatrum.* B b. *Ibidem.*

IV. Gens est Lybiæ malesana ex lunaticorũ credo numero,

quæ ſolis ortum & occaſum diris excipit; torrentiſque plagæ vſta ſidere odit omnem lucem. Frùſtra lippiens catellus Lunam adlatrat; pergit illa in ſuo curſu; & mortalibus lumen diſpenſat. Ægris odioſa lux eſt oculis, quæ puris eſt amabilis. Sed clarius dicam. Vt oculis male infectis omnis ſplendor odio eſt; ita veritas male agentibus. Scilicet tempus volans prodit omnia, & ardenti face tenebras illuſtrat Veritas, laruatamque, ſerò licet, pietatem, in apertum trahit & pedibus terit.

Hippocrates Epiſtola ad Philopœmenem veritatem depingit mundiſſimo mulieris cultu, cuius oculorum orbes tam puro nitent iubare, vt cum aſtrorum fulgore certent. Quid ita fulget, ais, veritas? quia virtutis mater eſt. Prodit Plutarchus; quod Romani parentem veritatis habuerint Saturnum. An quod Philoſophi iudicant χρόνον χρόνος, hoc eſt, Saturnum tempus eſſe? Non abs re; veritas enim tempore inuenitur. An illud potius, quod Saturnus iuſtiſſimus mortalium fuiſſe dicatur? vtrumque recte; prouerbium enim eſt: Veritatem in lucem adducit dies. Nemo tamen arbitretur me de veritate hæreticorum aſſerere velle. Nam apud illos verum eſt, quod ſcribit Democritus: *Veritatem in putei fundo delitere*. Habent veteres memoriæ Epaminondam adeò veritatis diligentem fuiſſe, vt ne ioco quidem mentiretur.

Raro, nec per iocum verum hæretici dicunt, ita omnia ſunt in fraudem compoſita; & ob hanc cauſam *Eccleſiæ Nota Veritas eſt*, hæreſeos autem *mendacium*. Quas enim in rebus & verbis non ſtruunt technas? Ingenua paret facie hæreſis, & ad oſcula blandâ; ſed poſt tergum furtim abſconditus gladius oſtendit ingenium: mira Suada pellicit, vt procos ſeducat. Quemadmodum Ioab inter amicos amplexus Abner atque Amaſan Iſraëlitarum fortiſſimos Duces confixit & euitauit. c c. Ita ſub ſymbolis charitatis obtruncat illa animas ceterà bonas, ſed incautas. Manibus Scorpiones inerrant, & vndique caſſes & retia paruulis in via ponunt vulpes Machiauelli. Homini à Scorpione icto remedio eſt Scorpionum cinis. Dicite Machaones quid hæreticis proſit? Nonne ſi comburerentur, &

tur, & posthumi biberent cinerem, desinerent insanire ab illis icti? Capite nobis Christiani venatores, vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas; quia denudant radices, quia palmites abrodunt, quia cortices morsicant, quia noxio dente atque halitu viroso inficiũt & amburunt, quia botros maturos abliguriunt.

Longum foret per ætates singulas discurrere, & hæreticos, vulpes esse annosas, ostendere. Certè ante mille præter propter annos vixerunt, & temporibus AVGVSTINI demoliti sunt vineam Christianã Arriani, Donatistæ, Manichæi, Nestoriani, &c, quos ille ipse cum Hieronymis, Ambrosijs, alijsque est insecutus. Nostra pene ætate ante paucas Olympiades plus quam vulpes, velut singulares feri depasti sunt Ecclesiam Lutherus, Caluinus, &c. quos Eckij, Caietani, Bellarmini, alijque inuictissimi pugiles prostrauerunt. Sed non ita, vt adhuc vane garrire, desinant, & quosuis ad confugem vitiorum inuitent, vt ad prostibulum licentiæ secum maleferiati sedeant. Quotquot adagia ex vulpis versutia malitiosa nata, quotquot de vulpe Apologi, ea cuncta hæreticis tam facilè accommodari possunt, quam facilè vulpes comest pyrum. Hoc tantum dolendum, plures hodie vulpes discurrere, quam quibus alligandis sufficiens sit Samson, qui celeriter tamen trecentas cepit. Nempe non vulpes, sed anguis latet in herba. Imo chamæleon, qui, vt aliqui volunt, tametsi sæpius colorem muter, candorem tamen & ruborem induere nescit, quorum hic verecundiæ, ille sinceritatis putatur indicina. Etsi in omnes colores aduersarij se transformant, effrontes tamen ruborem nesciunt, neque sinceritatis aut aperti ingenij vnciam habent. Omnia tecta & ex fraude confecta.

Alia exaduersus apud vere Catholicos omnia; nullus dolus, versutiæ nullæ, strophæ nullæ, sed omnia nuda, aperta. Gladium quidem & illi portant, sed iustitiæ & libertatis, sed non post tergum; verum publicè & cum gladio pacis oliuam, vt ita cor flammeum meritò sit, nescium vtique fraudis, & igne diuino consumens odia.

At timidos & vulpinantes desinamus Circumcelliones & ad sinceri animi AVGVSTINVM veniamus; hic inter alia virtutũ decora FORTITVDINE cum primis claruit. Sicut ex vngue rectè

Leonem, & ex Leoninis exuuijs fortia cognoscimus pectora; ita ex tot victorijs, quas ab hæreticis reportauit, fortiter AVGVSTINVS pugnasse pro Romana Ecclesia dignoscitur; quippe & huius fuit, non tantum fortia pati, sed & agere, & velut columna ex quatuor Cardinalibus vna totam Ecclesiæ molem sustentare.

Lucius Siccius Dentatus centies vicies præliatus dicitur, quadraginta quinq; cicatrices aduerso corpore tulisse, nullam in tergo, Spolia insuper cepisse triginta quatuor, donatus hastis puris duodeuiginti, phaleris viginti quinque, torquibus tribus & octoginta, armillis centum sexaginta, coronis viginti sex; ciuicis quatuordecim, aureis octo, muralibus tribus, obsidionali vna. Dd. Magna hæc; sed nihil ad AVGVSTINI trophæa, cui coronas immortales & innumeras nectunt ciues cælestes, vt qui non strauerit quinque tantum millia hostium, sed innumeram vnus multitudinem. Africa Donatistas exegit, ni fi potes numerum. Pelagianos diuinæ inimicos gratiæ inuictis argumentorum vmbonibus resupinauit. Manichæorum laqueos, quibus & ipse quondam compeditus fuerat, dissoluit. Ebrios Circumcellionum greges funditus profligauit. Africanis Ecclesijs plus quam in tenebris Cimmerijs sepultis clarissimæ veritatis faces intulit. Verbo. Omnibus hæreticis mortem intulit, quibus (si resipiscere voluissent) tanquam catulis mortuis inspirare vitam Leo inuictissimus potuisset. Sed iaceant mortui sine vitæ excitabit illos olim Leo de tribu Iuda.

Lib. 2. Regum, 20. Dd. *Plinius secundus lib. 7. naturalis hist. cap. 28.*

Digitized by Google



PRONVS ADI TRINAM TIMIDÆ PIETATIS ABYSSVM.
QVANTVS HOMO, VT CAPIAT, QVI CAPIT OMNE, DEVM!

Johan. Wanderiss. Schul. fec.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS DECIMÆQVINTÆ.

I. AVGVSTINVS QVÆRIT ANXIE DEVM IN CREATVRIS. II. CONSIDERAT ALTISSIMAM TRIADEM. III. EIVS IN HOC NEgotio modestia, animi quies & silentium.

NOn mirum est, tantæ formidini impijs consiliabulis AVGVSTINVM fuisse, qui profanis iuxta ac sacris literis apprime imbutus, eò sublimitatis denique in Diuina Sapientia euectus est, vt nothi omnes oculi ad ipsius illustres radios etiamnum nictent. Et huic tamen Medicastri quidam comparari volunt; indignum ratus, si tantum sibi ingenium & lumen Deus non dedisset. Sed apage impurum Martinum, etiam ipse, quem Angelicum Doctorem nominamus, & quem omnes admirantur Academiæ, nimio quantum suspexit hunc nostrum, seu in scientijs Deum, seu Dei scium; ipsiusque vestigijs inhærendo tantum in sublimiori doctrina apud posteritatem consecutus est nomen, quantum non alius vllus.

Atque vt clarissima AVGVSTINIANI ingenij pleraque miracula silentio inuoluam, profundo vestigio arcana Deitatis est ingressus, & quod omnem humanum captum excedit, quodque mortali bolide ob altitudinem abyssi metiri nullus vnquam potuit, hoc aggressus est ille eâ felicitate, vt S. Paulmus scribat: Diuino amore inflammatum, & quasi Seraphin coniunctum fuisse Diuinissimæ TRINITATI. Otiosa, si placet, volue manu libros; & reperies quantus Philosophus & Theologus fuerit? vt non immerito nonnemo ipsum Aquilæ comparauerit, quæ tam alte sursum remigat, vt subterfugiat

sequentis aciem oculi. Quisquis hunc nostrum Theologum de TRINITATE, de GRATIA, aliisque huius nominis materijs legit, attonito & siderato pede subsistere cogitur, sublimeque volantem non tam intellectu sequi, quam admirari.

Baptismi adhuc candidatus, rudis omnia in diuinioribus, demisse creaturas inuestigauit, vt inueniret denique, cui postremò se substerneret. Obambulauit ergo cogitationibus terram quandoque, & peruidit cum *sapientissimo* magnificentissimas ædes, Architectorum ingenia, arces Parcias, Corinthos inexpugnabiles, septem mundi miracula: vidit famosissimarum gemmarum pretium, colores, artem, Naturam, mortalium vanitatis partem non postremam: vidit druitem auri, argenti, cupri, metallorum omnium supellectilem: Circensia spectacula, Romana amphitheatra, gladiatorum pulueres, prælia Elephantorum, Leonum, Pardorum: histrionum & ludiorum facetias, fidium cantus, Lyræ sonos, Tibiæ choreas, pedum strepitus: vidit auri fodinas (cuius ergo etiam Sol derelinquitur) fertilia aruorum, læta vindemiarum, amæna viridariorum; & admiranti interrogantique: num forsè tot elegantijs ornata, terra Deus esset? respondit alma tellus: se verò minimè Deam nuncupari vel esse; sed particulam eorum vix sensilem, quæ creasset Deus.

A

Ingressus post hæc mare & abyssos vrinauit, vertitque se cum Euripi fluxu & refluxu, dumque viuaria Ostreorum, Balenarum, Cetorum, Murenarum, Testudinum, Thymallorum, dum, inquam, Hortensium vnicam Murenam ita dilexisse vidit, vt extinctam impendiò luxerit; dum accepit Antoniam, Murenam itidem suam aureis inauribus coluisse, aquas interrogauit: num essent quem quæreret? Sed Neptunus illico cum incolis suis prout potuit, respondit: Se ab exordio mundi creatum, & congregationes aquarum vocatas à Deo suo maria.

Adijt post hæc auras flabiles, & vento cogitationum in æthem elapsus, vidit quæ Deus de thesauris suis produxit: Fauonium ab occidente æquinoctiali dulcissimo spiramine flantem; Subsolanum ab Oriente æquinoctiali contraria aura obuiantem, flatum Aquilonis à septentrione; Noti à meridie, Cæciam ab Oriente æstiuali, Eurum ab hiemali; Africum ab Occidente

cidente hiemali, Corum ab æstiuali; vidit, in quâ, in aëre volucres in latiori & liberiori patriâ, quàm pisces habent; admiratusque illecebras gulæ & aurium, pingues Turdos, loquaces Picas, Psitacos Augustos Cæsares salutantes, Coruos è sutrina in publicum euolare solitos, Tiberiumque Romanumque populum nominare edoctos magna plebis gratiâ. A. Gementes Turtures, Phœnices ex Arabia vnicos, canoras Luscinias, pientissimas Ciconias, Falcones aucupes, Gryphes venatores, Miluos fures, Merulas dulcisonas, & si quid præterea, cum stupore interrogauit: num forte aëri diuinitas inesset? Sed indignanti cum fremitu ex Æolo procurrentes venti responderunt: fallitur Anaximanes, non sumus Deus; superius ascendendum est.

Quid faceret AVGVSTINVS? Ascendit ergò vt iussus erat, & perditis fere oculis tamdiu ascendit, quousque ignitas sphæras, lucentes globos (diaphanas illas machinas) quantum potuit, aspexit; & iam pene cœlum & stellas adorasset, ni stellæ se quoque immundas esse in oculis Dei, respondissent; iret, & tam vilem flatum Dei non adoraret. Descendit dein in seipsum, & admirabilem ingenij facultatem; amplissima memoriæ prætoria; voluntatis pernicissimum volatum, omniaque quibus interior constat homo cum diligentia contemplatus, nec illa Deum suum esse aduertit; multumque in sinum collacrimatus: *quid ergo quæro*, ait, *cum Deum meum quæro? & quid amo, cum Deum meum amo? Non speciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, non dulces melodias, non florum & aromatum suaueolentiam, non membra acceptabilia carnis amplexibus; non hæc amo, cum Deum meum amo; & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus, & vbi sonat, quod non rapit tempus, & vbi olet, quod non spargit flatus, & vbi sapit, quod non minuit edacitas, & vbi hæret, quod non diuellit satietas; hoc amo cum Deum meum amo.* Et quid est hoc AVGVSTINE? Deus in se supra te, cui tametsi nusquam locus, recedis tamen & accedis; qui præsidet consilijs tuis, & consulenti respondet liquidè, quamuis non liquidè omnes audiant: omnes quidem, quando volunt, consulunt, sed non semper quod volunt audiunt. B.

Hac ratione in & ex creatis tandem inuentus est Deus: nam omnia,

omnia, ſicut à Deo viuere & eſſe inceperunt; ita perfectiſſimo circino & circulo ad eundem deſinunt; vt mirari ſubeat, quando altius cogito, nihil errare à Deo ſuo, niſi hominem conſueuiſſe. Vidit Solarem orbem AVGVSTINVS quot diebus occubuum, qui tamen occaſu ſuo meminit Dei, dum ſtatis horis ad miniſterium ſuum redit, lumenque mortalibus diſpenſat; vidit ipſos, qui errare dicuntur, Planetas, non pilum aberrare à ſua ſtatione; vidit omnia ſidera certo ire, redire curſu, & in officio ſtare. Vidit ipſa bruta animantia non adeo obbruteſcere, vt non intelligant magiſtrâ naturâ, in quem intendant, cui obediendum. Scilicet dum Paſſer pipit, & Miluus lipit, dum Taurus mugit, & Leo rugit, dum Turtures quærendo gemunt, & Lynces orcando fremunt, dum coruus crocitat, Gallina glocitat, dum Cignus drenſat, Hirundo trinſat, dum Tigris roncat, & Vrſus vncat, dum Porci grunniunt, & Vulpes ganniunt, vocibus quibus poſſunt, loquuntur: Deum ſui authorem eſſe, dum à naturali genio nunquam abeunt. Ex hac Homeri catenâ aureo tramite ad Deum ſuum aſcendit.

Quin & diuerſa quæ Deus produxit, oſtendunt vnum tamen Deum. Conſiderauit Arimaſpos vno oculo in fronte media inſignes. C. & in illo vno oculo ſatis Deum vidit. Aſpexit alios in Albania glauca oculorum acie, à pueritia ſtatim canos, qui noctu plus quàm interdiu cernant, & admiratus eſt Dei potentiam, quoſdam clarius videre noctu quam die. D. Vidit alios in Triballis & Illyrijs, qui pupillas binas in ſingulis oculis haberent. E. & exoſculatus eſt naturantis Dei ingenium, qui hîc denique dicere poteſt: *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Vidit Satyros in Subſolanis Indorum montibus pernicisſima animalia, qui quadrupedes licet, recte tamen currerent humana effigie, nec propter velocitatem, niſi ſenes, aut ægri capi poſſent. F. Vidit alios auerſis poſt crura plantis eximiæ itidem velocitatis, qui paſſim cum feris vagarentur; alios in altero oculorum geminam pupillam, in altero Equi effigiem habentes. Alios Sciopodas, qui in maiori æſtu humi iacerent reſupini, vmbraque ſe pedum protegerent. Vidit Aſtomorum gentem, qui inori ſunt toto corpore hirti, halitu viuentes, & odore quem naribus trahunt. Vidit Triſpithamæos, Pigmæos,

gmæos (quos à Gruibus infestari aiunt) insidere magno exercitu arietum & caprarum dorsis, armatos sagittis, vt oua pullosque alitum eorum consumerent. Vidit in monte, cui nomen Milo, homines esse auersis plantis octonos digitos in singulis pedibus habentes. G. Aliud dein genus hominum capitibus caninis ferarum pellibus velatum, qui pro voce latratum ederent, anguibus armatum, venatu & aucupio vesci solitum. Vidit innumera alia, & ingeniosam demiratus naturam, detectamque per hanc potentiam Dei adorans, profundissime est philosophatus, ita quidem, vt non prius quieuerit, quam inuento Deo; quem ex creaturis ceu vestigijs esse certò deprehendit.

A. *Franciscus Petrarcha de remedijs vtriusque fortunæ.* B. *Omnia ex lib. 10. Confessionum Augustini ex varijs capitibus.* C. *Authores sunt Herodotus in Melpomene, Aristeas, &c. apud Plinium lib. 7. naturalis historiæ cap. 1. num. 2.* D. *Plinius loco citato num. 5.* E. *Isigonus. De quibus etiam Ouidius 1. de Amore: Oculis quoque pupula duplex Fulminat, & geminum lumen in orbe mouet.* F. *Pausanias lib. 1.* G. *Megasthenes apud citatum.*

II. Quanto autem vado torrens Deitatis profundescere coeperit, tua erit existimatio. Quippe si Aristodemus triginta adeo annis in contemplandâ Apis naturâ desudauit, & cum summis difficultatibus vix modicum quiddam inuênit; si Aristoteles summus naturæ rimator quod Euripi septenos indies fluxus & refluxus capere non posset, dixit, in Euripum se præcipitans: *ergo tute me cape.* H. Quam laborasse credis Deicolam nostrum in inquirendo Deum suum, qui in immensum sine termino excurrit? Qui, vt philosophatur S. Gregorius: intra omnia, extra omnia, infra omnia: qui superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans, nec aliâ parte superior, aliâ inferior, aut aliâ parte exterior, aliâ interior, sed vnus & idem totus vbique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circundando penetrans, penetrando circundans. I.

Rogatus olim Simonides Poëta à tyranno Hierone: quis Deus esset, aut qualis? deliberandi spatium diem sibi vnum postulauit; illo elapso bidui intercapedinem petijt, cumque sæpius alios ex alijs dies procrastinaret, rogauit Hiero, cur id faceret?

ret? *Quia*, respondit, *quanto diutius rem considero, tanto mihi accidit ob-scurior.* Non aliò, quàm ad hanc abyssum cogitationum spectat fumus ille Isaiæ; vidit Seraphinos circumsistentes Deum, & festiuè acclamantes tergeminum *Sanctus*; vbi à fundamentis commota sunt superliminaria cardinum, & domus repleta est fumo. L. Nam in Deo cognoscendo etiam Angelica caligant ingenia.

Fumus iste etiam oculos AVGVSTINI obsepsit: hic enim dum miro desiderio Trinitatis cognoscendæ teneretur, aggressus est iuxta Centum cellas cogitationes suas in Trinitatem C mittere, libroſque illos, quos omnes hodie tam reuerenter suspiciunt, de Trinitate elucubrare. Verum vt vsuuenit, altius fortassis ascendere voluit, quam decebat, qui ob hoc ab Angelo monitus est, vt retrogrederetur parumper & subsisteret. Res in hunc maxime modum contigisse fertur. Nec meum est examinare historiæ veritatem. Sufficit locupletes testes huic negotio adstipulari. Speculabundus in diuina Vnitrinitate propter littus deambulauit AVGVSTINVS; dumque altius conceptibus pro ingenio suo indulgeret, conspicuum sese dedit quidam puerulus cœlo demissus, qui & ipse ad marginem littoris D consedit, &, AVGVSTINVM contra, cœpit in angustum alueolum guttulas ex mari haustas paruo siphunculo destillare; & hoc tam officiosè, vt AVGVSTINVM, quamuis serio rei suæ intentum labor iste aduerterit; qui stupidus substitit primo, & quid hæc tibi negotiatio, ait, paruule? Hôc, quod vides, respondet, cochleari vastum mihi hodie mare exhauriendum, & in hunc non cubitalem puteum deriuandum. At frustra tentas amabo puellule, tam multorum tu fluminum Oceanum in hunc scrobiculum includere; citius gigantea moles spithamæi hominis vestes induet; citius musca Elephantum glutiet. Hîc adolescentulus: quid ergo tu, subiecit, in tantam Trinitatis altitudinem vrinaris? citius hæc fossula vastum sorbebit mare, quam Trinitatem tuum ingenium. Dixit & disparuit.

Habes AVGVSTINE, satis salsè paruulus dixit ad mare salsum. Sed quid habes? *Puteus altus est, & in quo haurias, non habes.* M. Reliquit ergo imperfectum opus; verùm quia in mentem venerat, iussum olim Ezechielem, vt torrentem inuaderet: N.

Redijt

Redijt in grauiori tum ætate, vbi & demissior animus huic sacratissimæ inuestigationi perneceſſarius fuit, absolutque eâ modestiâ & submissione, vt quisquis libros illos legit, abunde intelligat, sæpius vrinatorem substitisse & intumescente aquâ cum Ezechiele relegisse iter, sibique illud Herculianum acclamasse: *Non vltra.* O.

Ceterum ad tam sublimem cognitionem quasi manuduxit diuinorum contemplatio, quæ illi admodum perfamiliaris erat. Nescio enim quantopere hæc intellectum nostrum nobiliret, & singularem in modum mentem ipsam (vnde tanquam à fonte promanat) irradiet, certè quo magis animus in supera fertur, eo nobilior euadit; & hoc fere à sensibus differt mens rationalis, vt illi à vehementiâ obiecti sui, in quod tendunt, haud parum lædantur; ista vero maximè perficiatur. Ita acriorem obtutum videmus luminis & splendoris magnitudine obcæcari, auditum sonitus vehementiâ obtundi, &c. Intellectum vero vtique nobilissimam facultatem, magnitudine & rei intellectæ excellentiâ illustrari.

Postquam Lycurgus ille Moises quadraginta diebus in monte cum Deo est locutus, tanto interius lumine ex isto commercio illustratus est, vt etiam exterior facies vehementissimas strictvras euibrârit, & Hebræi tanto iubare perculsi lumen hoc sustinere non potuerint; & ob hoc radij isti cornua dicti sunt, quia ita siderabant oculos aspectantium, vt quasi cornibus feriri & transfigi viderentur. P.

Verùm nihil adeo mirum est illuminatissimi intellectus Thomam Aquinatem fuisse; quia nimium deditus erat supernæ contemplationi, & quem meditatio quandoque ita absorbuit, vt ardentem subinde candelam manu tenens non aduerteret exusta illa cremare digitos, neque postea cognouisset, nisi cum dolor plagæq; testes tormenti monuissent. O quam contemptae res est homo, nisi supra humana se erexerit! *equidem*, ait Seneca, Q. *Tunc naturæ gratias ago, cum disco quis naturæ auctor sit & custos, an totus in se intendat, an ad nos respiciat aliquando.* Et post paululum: *O quam ridiculi sunt mortalium termini! Punctum est illud in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo disponitis regna: Sursum ingentia spa-*

tia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem admittitur animus noſter, cum illa tetigit, alitur, creſcit, ac veluti vinculis liberatus in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis ſuæ homo, quod illum diuina delectent, nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis. Atque ſi, vt Cicero ait, animorum ingeniorumque noſtrorum naturale quaſi quoddam pabulum conſideratio naturæ eſt, doctoque homini ac erudito cogitatio ſit viuere, quàm verius hoc ipſum de cogitante diuina pronuntio, maximè ſi Chriſtiana accedant alia adiumenta?

H. *In compendio Beſſei dominica 4. quadrageſimæ parte 1. num. 1.* I. *S. Gregorius lib. 2 moralium cap. 12.* L. *Iſaiæ 8.* M. *Ioannis 4. num. 11.* N. *Ezechielis cap. 47.* O. *conſtat ex lib. 2. retractationum & Epiſtola 102. ad Aurelium.* P. *Exodi 34.* Q. *Seneca lib. 1. naturalium quæſtionum in præfatione.*

E III. Cuius generis maximè ſunt *demiſſio animi* regina illa virtutum, cuius alioqui omnes actus nubes penetrant, quam religioſi Humilitatem nominamus: Et ſolitudo, ſeu *ſilentium*. Harum enim virtutum ſeu brachijs fulta, ſeu alis nixa mens feliciſſimè aſcendit, & ſublatæ in cœlum ſordeſcit, quidquid ſplendet mundo. Vidit Abraham quidem diuiniſſimam Triadem, ſed in conualle Mambre; & prouolutus genibus religioſe Deum adorauit. R. Quid tu aſcendis, & altis ſpiritibus tumidè in cœlo circumuolas? *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & reuelaſti ea paruulis.* S.

Vento ſuperbiæ afflatus Arrius Trinitatem inueſtigare tentauit, ſed turpiter cecidit, quia ſuperbè aſcendit; dum minorem Filium Patre edixit, dum creaturam nominauit, tametſi nobiliſſimam. Non minori ſpiritu vias inuias tentauit blaſphemus Macedonius; ſed & iſte factus alis priuus infeliciter præceps ijt, dum Sanctiſſimum Pneuma meram creaturam eſſe, vanè garriuit. Denique & Sabellium in cœlum ventus abripuit; ſed eâdem ille ruinâ fulminatus cecidit, dum Trinitatis diſtinctionem negauit, dum fatetur, quæ terram infra, & quæ cœlum ſupra; dum maiorem, quàm pro homine ſapientiam ſapuit. Elephantes, ait Lipſius, etſi amnibus impensè delectentur, haud temere tamen ingredi, ita cauente natura, cum inſcij ſint natandi. T. Quid ergo hæreticos ingenij flatus in aëra ſublimat volandi neſcios? *Si quiſpiam* (AVGVSTINVS loquitur) *extra nutritorias cunas ſuperbâ imbecillitate ſe extenderit, heu*

cadet

cadet miserè. *Domine Deus miserere, ne implumem pullum concalcent, qui transeunt viam: & mitte Angelum tuum, qui eum reponat in nido, vt viuat donec volet.* V.

Ex alto cœlo altissimus Angelus in huius mundi imâ ità præceps deiectus est, vt tanquam fulgetrum de cœlo ceciderit; quia partiario honore cum Deo coli affectauit, & sibi puluinaria quoque proferri, aras q; extrui voluit. Sed miserum numen! Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, quomodo corruisti in terram? Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, in cœlum conscendisti, super astra Dei exaltasti solium, super altitudinem nubium, & similis esse voluisti Altissimo. X. Sed sublatus in altum es, vt rueres grauissimè. Sic Phaethon magna suisque viribus inconuenientia superbè meditatus est, ignemque vomentes alipedes Solis petijt; sed haud innoxia vectura deportatus; intonuit breui Iupiter, & fulminatum aurigam animâ rotisque exuit. Y. Sed & Icarus Dædalum imitari parentem voluit, at quia superbis pennarum vehiculis medium non tenuit, miraculi vicem; miseriæ spectaculum factus est. Vt Lucifer è cœlo, vt Phaethon è curru; ita ex naui Ecclesiæ gens hæreticorum naufraga turpiter cadit; siquidem & isti à Lucifero didicerunt nulli sua subijcere, nulli cedere, nulli secundi esse. Et à Phaethonte hauserunt, maiorum & antiquitatis monita contemnere, & antiquas disciplinas cachinno explodere.

Demississimè interim AVGVSTINVS in omnibus altis se habuit, qui sua non tantũ aliorum iudicio libenter subijcere, sed meram infantiam dicere assueuit; qui, cum doctissimus esset, infimum tamen & postremum se æstimauit, sæpeq; illud sibi occentauit: *non potes* AVGVSTINE *capere, paruulus es; vide, ne cum volare implumis volueris, non sit illa aura libertatis, sed casus temeritatis.* Z. Ne quæso incalceatus in montem ascende. Auetis fortassis modestiæ huius insignis documenta? Quædã tantùm in medium proferã, & ex itinere veluti libabo. *Si ex me quæratur*, ait, Aa. *Quomodo Adami peccatum in omnes transferatur? Hoc respondeo: hoc & alia multa me ignorare confiteor.* Cum ab Honorato alio tempore de insigni sua notitia sumis encomijs euehereturr, ista rescripsit: *tantum abfum ab eo, quod putasti nihil me latere; vt nihil in Epistola tua legerim tristius. Quia & apertissime falsum est, & miror quia hoc te latet, quod non solum in innumera-*

bilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sacris scripturis multo nescia plura quam scio. Bb. Quæsitus super illa Iacobi. 2. *Quicunq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*: postquam suo more auguste disputauit, subiunxit tamen & scripsit Hieronymo in hæc verba. *Si quo alio modo exponi melius posse nouit tua dilectio, per Dominum obsecro vt id nobiscum communicare digneris.*

Quomodo fœdifragus Martinus dixisset, si sententiam suam explicare simili in negotio rogatus esset? Idem credo quod alicubi in præfatione in Epistolam Pauli ad Romanos: Caue tibi ab omnibus doctoribus, qui aliter hæc verba sumunt, quicunque tandem illi sint, etiamsi Origenes, Ambrosius, AVGVSTINVS, vel his similes aut etiam maiores essent. Cc. ... Nihil te moueat authoritas hominum, sed tanquam pestem fuge omnes. Qui alio itidem in loco: ratione meæ doctrinæ sum Diabolo, Cæsari, Regibus, Principibus, & toti mundo nimis nimis nimis elatus, fidens, & superbus. Hic sto: hic prouoco, hic superbio, nec pili facerem, si mille AVGVSTINI contra me essent. Dd. En spiritum & diabolicas cristas hominis, quam toto cœlo contrarius it sanctis, doctissimis sed & modestissimis.

Passim seipsum AVGVSTINVS inscitiæ arguit, maximè circa mysterium sanctissimæ Trinitatis, ita enim loquitur in lib. 1, de Trinitate: *nec pigebit, si cubi hæsito, quærere; nec pudebit, si cubi erro, discere.* Ee. & alibi: *Si requiris à me, quomodo vno nomine tres appellantur? nescio, & libere me nescire profiteor; sed in hoc Christianus sum, quia vnum Deum in Trinitate confiteor.* Ff. Vis aliud testimonium? accipe illud ex Epistola ad Volusianum: *tanta est Christianarum, inquit, profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere; non quo ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate, sed tum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua rectè pieq; non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaq; non solum in verbis, quibus ista ducta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod Scriptura quodam loco habet.* Gg. *Cum consummauerit homo, tunc incipiet.* Hh. Hic mi Lector vide quid distent

boni

boni malis! tanta eruditione erat AVGVSTINVS, quanta nullus alius; sed & humilitas respondit doctrinæ. Contrà inerudita plebs præconum nequissimorum tumidè iactat, omnia se mysteria ad apicem intelligere, & in arcano Trinitatis illa etiam audire, quæ Iupiter in aurem dixit Iunoni. Sed audiant ab AVGVSTINO, qui plus, quàm vident, se videre autumant, suisque solum oculis credunt: *ex eo*, inquit, *quod vides, crede quod non vides: ne sis ingratus ei, qui te fecit videre, vnde possis credere, quod nondum potes videre. Rationale animal te fecit Deus, præposuit te peioribus, ne vtaris oculis vt pecus tantum. Erige rationalem aspectum, vtere oculis vt homo.* ri. Sed in ventum cadunt monita; aures superbi non habent, vt audiant; supra captum suum qui meditatur, illi resistit Deus vt superbo, humilibus dans gratiam. Quemadmodum arbores inclines & humiles, quas fructus prægrauant, agricolas delectant; sic Deum anima demissa, cui abunde gratiarum.

Alterum quod meditationem impendiò promouet, est solitudo & silentium, secessus quidam animi. Ibi non habent oculi, quibus mentem impediant, nec aures, quibus interstrepant, verùm collectis viribus sese ipsum excedens animus in cœlum & Deum rapitur. Plato, Demosthenes alijque, vt abdita naturæ penetrarent, sese abdiderunt, & in illa præcipue loca concluserunt, vnde nulla audiri vox, nihilque prospici potuit. Sapienter & pro ingenio illorum. Amat enim caro turbas & plateas, fabulas & circos; at animus pars diuinitatis solitudinem & silentium. Magnus Arsenius in aula erat, vt esset olim magnus in cælo, audijt graue è cælo imperium: *Arseni fuge, tace, quiesce.*

In silentio rubus ardens visus est, quem flammâ suâ non depastus est ignis. LL. Patriarcha Iacob noctu in summo silentio scalam illam & Angelos vidit. MM. Helias in solitudine Deum. NN. Quæsiuit mellitissimum dilectũ sponsa, sed quem tam anxie diu quæsiuit, non inuênit. Quid ita? Quia per vicos & plateas quæsiuit. Paululum verò cum deflexisset turbam custodum ciuitatis, inuênit quẽ quæsiuit. OO. Quid tu quæris Deum in vrbe, vbi vana stabulat gloria? Quid in opiparâ mensâ vbi adulatio? Quid in circulis, vbi infamatio? Quid inter homines, vbi æmulatio? Exi parumper ciuitatem, quin & custodes

ciuitatis (corporis tui sensus) celeri pede cum sponsa transi: expectent famuli sensus cum corpore asino, tu ascende in montem cum dilecto puero (ratione & intelligentia) Pp. Alto in silentio pergendum est ad Deum, silenter pulsandum nostri ostium, dum silent omnia, & expectandus dilectus, quoad ipse velit. Pythagoras quinquenni silentio discipulos suos obstrinxit priusquam in schola loqui concessisset; toto illo tempore Samiâ lege silentio auctorati ab ore præceptoris pendebant, & audiendis, auditisque retinendis operam dabant, vt sapientiam inciperent non præsumptuosa garrulitate, sed decenti modestia & taciturnitate.

Si quando Deus sapientiam suam in nos deriuare vult, silenter hoc facit. Ergo bonum est præstolari cum silentio. *Audi tacens & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Qq. Nihil Deus & natura frustrà agere dicuntur: videmus hoc in volubili nostra lingua, quam Deus tantis clatris sepiuit. Non sufficit, illam faucibus velut in antro profundo recondere, sed frequentem aliam custodiam addidit: nonne enim neruulis, subtilibus quidem illis, velut retinaculis captiua detinetur? Nonne ossea dentium sepe quasi crate ferrea vallatur, & duobus labris veluti valuis seu pontibus ductilibus concluditur, vt inde Etheocleam simultatem, quæ inter linguam & quietem animi intercedit, intelligas? Necessum est vacantem Deo animam non tantum non extremo strepitu impediri, sed neque vocem penitus audire, sed & omnes solicitudines foras excludere: *Sedebit homo solitarius & tacebit, & leuabit se super se.* At quid silentio cum fidibus? Psallocitharista fortassis choros canit? Scimus magnum negotium silentio cum fidibus; in decachordo psalterio solus & silens carmina sua meditatus est Dauid. Instrumenta musica, vt concordia vocum audiatur, silentium exposcunt, & attentas aures. Nihil cum fidibus Graculo ob streperam garrulitatem.

I His duobus innixa fulcris subleuat se se contemplatiua anima terris longè post se relictis, & in meditatione exardescit ignis cum ingenti exundantis gaudij dulcedine. Dum *Humilis & Silens* ad pedes Domini Maria sedet, audit, quæ non licet homini loqui; interim in operis domesticis Martha tu-

tha tumultuatur. In ſilentio felix Maria procul negotijs bibit ambroſiam ipſo Deo pocillatore. Dum ſolicita Martha, aliæque matresfamilias anxie quærunt quæ mundi ſunt, quomodo rem œconomicam probè adminiſtrent, quomodo liberos informent & educent; ſedet ſoror, Domini ſecura & diuina ſuſpicit. Dum Martha benigne pauperes paſcit, domi recipit hoſpites, veſtit nudos, erigit afflictos, viſit decumbentes, ſepelit mortuos, bene quidem horas impendit, ſed diſcurrit tamen, & longius à magiſtro abit: melius ſoror ſedet & diſcurrentem ſororio affectu ridet. Dum Martha Mariam neglecti officij velut deſidiæ incuſat, excuſat Dominus, & Mariam delegiſſe optimam partem demonſtrat. Dum Martha pulchra quidem Lia eſt, lippit tamen præ ſorore oculis cedit; pulchritudine illi, quæ tota pulchra eſt, in qua nec macula. Fœcunda quidem Lia, ſed in filijs quos cum dolore parit; fœcundior Maria in virtutibus, quas obſtetrice diuinitate parit. L


Quamuis felix illa domus ſit, vbi Martha & Maria ſuaui ſocietate degunt; ſic enim Ezechiel vidit RR. Animalia, quæ habebant manus ſub pennis, hoc eſt, actioni æque paratas, ac contemplationi; felicior tamen domus illa eſt, vbi de Maria ſoror conqueritur, vbi rerum diuinarum contemplatio ita dominatur, vt de illa actio externa veluti conqueratur. Infelix illud contubernium, vbi Maria de Martha querelas introducit; eò quòd nullum tempus diuinis, ſolùm verò rebus externis impendatur. Tales familias rexit AVGVSTINVS, in quibus Marthæ quidem etiam erant, ſed plures Mariæ; vbi ſatius fuit contemplantem vitam amplecti, dum per obedientiam & charitatem licuit, quàm agentem ſectari. Id quod & docuit. ſſ. *Otium*, inquit, *ſanctum quærit charitas veritatis, negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, intuendæ vacandum eſt veritati* Non ſint in monaſterijs meræ Marthæ; vidit enim Ioannes in cœli regione volantem aquilam, quæ habitantibus in terra tertium væ inclamauit. TT. Animi religioſi partes ſunt, verſari in cœlo, & extatico raptu ferri ad Deum.

Digitized by Google

R. *Geneſis 18. verſu 1.* S. *Matthæi 11. verſu 25.* T. *Iuſtus Lipſius Epiſtola 66. centuriæ primæ* V. *Auguſtinus lib. 12. Confeſſ. cap. 27.* X. *Iſaiæ 4.* Y. *Ouidius in Metamorph.* Z. *Auguſtinus de verbis Domini.* Aa. *Idem Epiſtola 29.* Bb. *Idem Epiſtola ad Honoratum 116.* Cc. *Georgius Stengelius in altera parte Parenеſis cap. 33. num 9.* Dd. *Idem ibidem cap. 11. num. 8.* Ee. *Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 2.* Ff. *Idem Epiſtola 189. de tempore.* Gg. *Eccleſiaſtici. 18.* Hh. *Auguſtinus Epiſtola 3. ad Voluſianum.* Ii. *Idem homilia 32.* Ll. *Exodi 3.* Mm. *Geneſis 18.* Nn. *3. Regum 19.* Oo. *Canticorum 3. verſu 4.* Pp. *Geneſis 22. verſu 5.* Qq. *Eccleſiaſtici 32. verſu 14.* Rr. *Ezechielis 1.* Sſ. *Auguſtinus lib. 19. de ciuitate Dei cap. 19.* Tt. *Apocalipſis 18.*

PERIO-

Digitized by Google





CVLTA IVMENT NIMIVM, NIMIVM QVOQVE SORDIDA VILENT:
INTER VTRVMQVE PLACENT, QVI POSVÊRE MODVM.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS DECIMÆ SEXTÆ.

I. VESTIS AVGVSTINO NEC PRETIOSA NEC ABIECTA. II. INCESSVS ET RELIQVI CORPORIS MOTVS AD MODESTIAM COMPOSITI. III. Nec diuitiis petenda instructa domus. IV. Ad hanc exteriorem disciplinam ducit honestas morum [illegible].

QUOD quod in [illegible] eadem plausibiliter præditum est, hoc verius in AVGVSTINVM referetur. *Nil tunc actu factuque in domo tua neque auditur neque cernitur. Quod si qui aliquando improbiores existunt (difficile enim est in maximâ familiâ ad præscriptum cunctos innocenter degere) ex malis tu bonos, ex bonis optimos facis.* Et hæc tandem illa domus cura est, quam ab Episcopis desiderat Apostolus. Optimi patrisfamilias munere fungitur ille, qui domesticos suos præclaris informat legibus, nequa ab exteris familiæ labes aspergi possit. Ceterum ad corrigendos æui excedentis mores, magnum adiumentum à cultus modestia proficiscitur. Inde est, quod haud leuem coniecturam Paulus de gubernandæ Ecclesiæ industria sumpserit, si œconomiæ rectitudinem dexteritas quem commendet. Et *nemo*, ait S. Chrysostomus, *virtutem sibi suam satis esse ad salutem putet. Si vitam suam rite disponat, non arbitretur, sibi nihil deesse, fallitur enim.* A. Siquidem mores & studia dominorum non raro ex cultu indole iudicantur.

Post internum itaque animi mundum, proximum habuit AVGVSTINVS totam œconomiam ita ad modestiam componere, vt ne oculum quidem obuiantis Zoili lederet; cumque apprimè sciret ad omnem virtutem exteriorem, corporis cultum quasi manu ducere; callidè non minus quàm sapienter prospe-

Digitized by Google

prospexit, vt vestis, totaque supellex non præquàm elegans, non nimis sordida; vt incessus non citior nec tardior; motus corporis non fractiores nec molliores; vt, inquam, omnia essent, quæ exemplo potius quàm offendiculo forent, ne aut in diuinas leges, aut iura naturæ peccaret. Sciunt, qui in verba sui magistri iurârunt, qualem canonem de amictus moderatione sanxerit AVGVSTINVS: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.* B. Et hanc, quam docuit modestiam, ad vnquem ille prudè obseruauit; ita enim habet: *Fateor, de pretiosa veste erubesco, & ideo, cum mihi datur, vendo eam, vt, quia vestis non potest esse communis, pretium sit commune.* C. Hoc ipsum describit Possidius in eius vita: vestis eius & calceamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum. D. Medium enim tenuit, neque in dextram, neque in sinistram declinauit.

Modestia secundum mentem AVGVSTINI E vtique dicta est à modo, sicut à temperie, temperantia; vbi ergo modus est, atque temperies, nec plus est quidquam, nec minus. Turpe est, laudem ex vestibus emere; sicut fœdum est sapienti, cum animum habeat, captare laudes ex corpore. S. Hieronymus Eustochium olim suam, quis probandus esset vestitus, docuit, sic enim loquitur: *Vestis nec satis sit munda, nec sordida, & nulla diuersitate notabilis; ne ad te obuiam prodeuntium turba consistat, & digito monstreris.* F.

Vt AVGVSTINO pretiosa, sic & sordida indumenta displicuerunt: nam plerumq; hæc virtutis colore, auaritiæ Schema præseferunt. Ridiculum & plenum dedecoris est, referto marsupio, quòd sudarium orariumque non habeas, ait itidem Hieronymus. Atque nihil adeo interest, siue pullas nos, siue candidas geramus vestes, quia hic quærendus est calor non color; necessitas, non pretium; vtilitas, non subtilitas. Remedium est, sæpe cogitare bonos mores esse ornatum hominis, & modestiam etiam in vestibus commendari. Hinc virtutem aliqui depinxerunt candida syndone indutam & purâ, sola verecundia ornatam; vitium contra superfluâ & variâ veste, atque alieno colore multùm superbiens.

Verùm tametsi prudenter Spartani solis meretricibus floridas

cidas syntheses & aureum mundum gestare permiserint, vt hac ratione à probis mulieribus ornatûs studium auferrent; non improbanda tamen est diuersa amictûs ratio; natu alius est ornatus militis, alius senatoris; mulierum non ille, qui Sacerdotum. Sic viri principes, vt comitatu & alijs; ita veste plerumque spectabiliores rectè incedunt, vt à plebe differant. Sic Apostolus feminis aliquem luxum concessit, sed illac tenùs, vt placeant viris suis. Sic alius vestitus erat Philosophorum interstinctus ab omnibus alijs. Pallio gestabant, baculo & baxeis, imò barbitio incedebant maiori. Vnde illud Herodis Attici, ad quem cum Philosophus veniret, & obiurgatoriè se haberet; respondit ille: *barbam video, philosophum non video.* Ex nouimus gestamina & insignia Cynicæ familiæ fuisse pallium, peram, baculum; quamuis vt hoc etiam addam, multi ex ipsis Sophis non sine ludibrio palliati fuerint, omnisque cultus negligentiores, quam decebat. Ita Diogenes non tantum vilibus & atritis lacernis, sed nec sine verecundia lacinijs obrectus erat, vt mendicabulum potius dixisses, quam philosophum; cum tamen de philosophorum auctoritate, nominisque splendore diuinus Plato pronuntiârit: *Dignum est philosophos Reges esse, aut Reges philosophari.* G.

Refert Satyrus, qui illustrium virorum scribit historias; quod Diogenes pallio duplici sit vsus propter frigus, peram pro cellario habuerit, clauam portârit ob corporis fragilitatem, quâ iam senex membra sua sustentabat, habitauerit in portarum vestibulis, & porticibus ciuitatum; cumque se contorqueret in dolio, volubilem se habere domum iocatus fuerit, quæ se cum temporibus mutet; frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æstate ad septentrionem: & vtcunque Sol se inclinauerat, Diogenis simul prætorium vertebatur. Vnde accidit quandoque, vt ad illum fortè accederet Alexander Magnus, & hortaretur, vt si qua sibi vellet præstari, indicaret: hic Diogenes cum ad solis radios sederet: mox, inquit, de cæteris; interim à sole velim mihi non obstes: ex hac responsione nimirum orta est celebris illa sententia: Alexander Diogenem gradu suo dimitijs pellere tentat; citius Darium armis. G.

Vt hodie diuersæ gentes, ita non ijdem mores & vestes sunt:

Alium

Alium cultum Italorum sobrietas habet, alium Hispanorum in Reges fides, alium Galli, alium alij; sola constantia Germanorum hic nutat, quæ collecticijs ridiculum in modum vestibus vtitur. Aiunt de Chamæleonte, colores illum mutare à montibus, quibus adiacet, siue per contractionem sanguinis & spirituum, vt Aristoteles sentit, siue per receptionem fortiorum specierum hoc fiat, perinde est: certum est, mutare colores. Non erat, si Germanus quis dicat ad vestes Chamæleontes. Vestem videt Gallicam? In Gallum mutatur Germanus. Hispanicam? Mox ex Gallogermano Hispanus incedit. Italicam? Subita Metamorphosi Gallogermanohispanus fit Italus, vt ita, quod aiunt, Germanus sit Simia in purpura. Sed sicut Simia purpurata nondum Cæsar est, & sicut vestes non faciunt Reges, ita nec ex Germano vel Hispanum aut Italum. Quidquid Polymitæ vestis, versicolorum liciorum, carbasinarum cæsurarum, sericarum ansularum, byssinarum periscelidum, manicarum, caligarum, braxearum, crepidarum est, mirificè æmulus in omnia congermanescit, bellissimaque simia magnificè se circumspicit, ceu egregium quid præstitisset, dum ab omnibus gentibus aliquid suffuratus est, quo sibi nouam diploidem consarcinaret.

De Graculo scribunt Æsopico: hic dum fictitio superbire voluit ornatu, cum deformissimus esset, diuersarum auium decussas pennas studiosè collegit, & miscellaneis his induuijs in pulcherrimam auem se plumauit; vnde supercilio pòst magno in comitijs publicis omnes, etiam sidereas Iunonis aues despexit, & contentè à Ioue petijt, vt in volucrum regem crearetur; quod pene factum esset, nisi alites ceteræ pennas suas in illo agnitas iratis rostris euulsissent; priuatusque ille furtiua veste, Graculus, vt antea erat, apparuisset. Sic nudus rideretur Germanus, si quæque natio conuenientem sibi cultum repeteret. Et mirum est fastidio simplicitatis suæ antiquæ, cultu exterorum commendari velle Germaniam, omniaque domi suæ illa amare, quæ peregrina, & heri vsitata cœpta sunt; quæ iterum cras fortassis damnabit: cum tamen peregrini cum vestibus etiam mores plerumque simpliciores corrumpant.

Sed audentius imbellis feminarum gens in hac inanis gloriæ are-

riæ arenâ facit; quæ omnem luxum longissimè excedit, & non tantum serico & byssino tegmine contenta est, sed argento insuper, auro, vnionibus, gemmis in suis armillis, dextrariolis, inauribus, lunulis, frontalibus perditè superbit, & flagrantiæ solis eminentiro fulgore inimica obsistit, plusque quam Dauid in militaribus suis armis grauatur. Scilicet reuiuiscunt filiæ illæ, quas olim Propheta cum indignatione vidit *Circumornatæ vt similitudo templi*; quæ patagio, conchylio, syrmate haud aliter, quam Pauones sese in vrbibus circumagunt, pompamq; suæ pulchritudinis vbique agunt. Miramur Pauones aduerso maximè sole variare sumarum pennarum oculos, & paulatim in alios atque alios transmutare. Sicut Irides variegatè colores dispensant, oculosque aspectantium decipiunt, ita pictæ Pauonum rotæ; quos ante æreos vidisti; mox, sese paululū dum inclinant, aureos conspicis; & rursum qui ad solem cerulei apparuerunt, si aspicentur, virides videntur; adeo ad luminis vicissitudinem variantur pennarum gemmæ & ex viridi quasi chrysolithi splendore aurique Sapphiriq; coloribus distinguuntur. Similis planè luxus est vestis feminarum; vno eodemque sole, aureæ, argenteæ, virides, ceruleæ, & quæ non apparent? Atq; cuius coloris sunt vestes ipsæ, huius etiam sunt lemnisci, armillæ, bullæ, aſnuli, &c. ita vt nonnunquam vnius vrbis; quin & Regis lytrum in tales mundos insumatur, cùm tamen secundùm Sapientis sententiam *pretium scorti vix sit vnius panis.*

Scribit Lucianus. G. Sub veris initium Pauones ad prata grandire gressus, quando & flores prodeunt non amabiliores modo, sed & floridiores, &, quod ad colores & tincturam attinet, liquidiores: Ibiq; explicare pennas, & ostensis soli oculatis & versicoloribus plumis mire sese ostentare, floresq; & ver præsens quasi in pulchritudinis certamen prouocare. Ad horum instar Pauonum *nostræ*, vt quidam ait, *quasi virgines*, dum varios flores, & ver quoddā in alterius vestibus cernunt hodie, cras nec illæ secundæ volunt esse, sed quamprimum alio fastu & luxu procaciter prouocant, eo vsque, vt tota patrimonia, & non raro virgines suas deperdant. Sic Belgæ texunt, & Persæ nent, & Seres sudant superbiæ. Ferunt olim Pauonem statuto pretio spectatum fuisse, multosq; è Lacedæmonia & Thessalia videndi

Digitized by Google

cauſa confluxiſſe. Spectati & noſtri pauones volunt, digitiſque monſtrari; ſed fuge dilecte mi, non es Salamandra, qui viuas in igne, ſed titio fumigans. Admoueris ardenti? inflammaris. Infelix es Naphtha, quam flammas conſpectis ſolum ignibus concipere aiunt. Salax & libidinoſum eſt animal pauo, tum præcipuè, quando amictum rotæ gemmantis incuruat. Et noſtræ virgines ſuo amictu quid niſi ſe proſtituunt? Salacia cetera quin animalia, proiecta in omnem libidinem, vt incautas fallant animas.

Fuge dilecte mi, & Porphyrionem auem te cogita, quam Ariſtoteles, Ælianus, alijque mori dicunt, ſi ſolum aſpexerit meretricem. H. Non addam hîc criſpantes mitras, erectos in rogum capillos, ſtridentes calo.olos, caliendra vnionibus interpolata, purpuriſſum in facie, ſtibium in oculis, quæ omnia vocat Hieronymus: ignem iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis certum indicium. I. & addit: *quâ fiduciâ erigit* (mulier) *ad cælum vultus, quos conditor non agnoſcit?* Clarius Ambroſius ad illos qui ſe ſtibio pingunt. L. „ *pictus es, ô homo, & pictus à Domino Deo* „ *tuo. Bonum artificem habes atq; pictorem. Noli bonam delere picturam, non fu-* „ *co, ſed veritate fulgentem, non cera expreſſam, ſed gratiâ. Deles picturam Dei,* „ *mulier, ſi vultum tuum materiali colore oblinas, ſi acquiſitio rubore perfundas.* „ *Illa pictura vitij, non decoris eſt; illa pictura fraudis, non ſimplicitatis eſt; illa* „ *pictura temporalis eſt, aut pluuia aut ſudore tergitur; illa pictura fallit &* „ *decipit, vt neque illi placeas, cui placere deſideras, qui intelligit non tuum,* „ *ſed alienum eſſe, quo placeas, & tuo diſpliceas auctori, qui videt opus ſuum* „ *eſſe deletum.* Hactenus Ambroſius. Et hos tamen pictos vultus tamdiu in ſpeculo conſulunt? citiuſque mille næuos animi, quàm vnicum vultûs mendum pati volunt, aut æquius patiuntur Rempublicam turbari, quàm capillum in capite.

Thomas Morus inclitus ille Angliæ Martyr fortè virginem in conclaui reperit coram ſpeculo, vitreo illo formæ indice, quę multo labore & dolore comas plicabat, vt frons lata eſſet; quæ mammillare amictorium ſtringebat, vt ipſa gracilis videretur; quæ adhibito fuco formoſitatem mentiebatur, & omnẽ luroremmaculare, cutemq; eruginare ſtudebat, vt procis ſuis placeret. Hîc Morus: *niſi Deus*, inquit, *pro hoc labore infernũ reddat, magnam tibi iniuriã facit.* Profecto meo quidẽ ſenſu iubebit olim alius Iehu has ca-

has calamistratas, & cyrrhatas Iesabeles de fenestra, vnde captas triumphant animas, præcipitari, ita vt Cerberi inferi canes has sint depasturi. Si Morus Angliæ virginem tam durè excepit, quæ sinum arctè clausérat; quid hodie faceret, si Regni eiusdem virgines apertis & solutis sinibus, nulloque prorsus amictu viderent? quæ inuerecundè procantur, & virginei sanguinis nec vnciam ostendunt. In huius farinæ similem Thaidem Chrysostomus his verbis inuehitur. M. *Cur ignem accendis? quomodo te puram à peccato censes, cum illius insania opus tuum sit? Tu gladium acuisti, tu dexteram armasti, quomodo ergo poteris ab homicidij supplicio liberari? Dic mihi quos puniunt iudices: num eos qui bibunt mortifera venena, an miscentes calicem? ... Tu misera & calamitosa miscuisti calicem pernitiosum & præbuisti? & ille qui bibit perijt, & defensam te credis, quia tu non bibisti, sed alteri præbueris venenosa? Imò tanto grauiorem luespœnam, quam pharmacopolæ illi, quanto mors hæc grauior est. Sic in alienis luditis animabus.*

Neque in pretiò sistit apud nostri temporis feminas superbia. Cultùm & mores si aspicias, sunt feminæ inter feminas viri, viri inter viros feminæ, Androgyni, amphibia animalia; ita thoraces, ita gladioli, ita pallia ostendunt. Sed vt feminas taceam; viri etiam sunt vt femina compti. Nihil indignius viro est, quã speculum tractare, calamistro calefacto crispare frontem, cinisiones alere, plegmata struere, olfactoriola habere, balsama & cynnama olere. *Bonæ famæ bonus odor est.* At de hoc odore non nares, sed mens iudicat. Peregrini odores plerumque argumenta & latentium sunt signa defectuum.

Quid deinde mollius, quam ita incedere, quasi te pœniteat quod vir natus sis? Vendendus olim philosophus in lapide stabat; qui cum effeminatum mancipia licitantem vidisset, accersito illi clarè dixit: *me eme, viro enim opus habes.* Diogenes Laërtius comptulum habebat obuium: cùm substitit, & diu illum intuitus: *non te pudet,* aiebat, *qui tibi peius velis, quam ipsa natura? Illa te virum fecit, tu te ipsum refingis in feminam.* N. Si ex gynæceo quidam amant speculum, Socraticum accipiant, illoque ad morum honestatem formandosque animos vtantur; nam tum si in illo pulchriores videntur, cauebunt, ne corporis dignitas morum dehonestamento polluatur; si formã non commendentur, nauiter studebunt, vt virtutis splendore inopiã formæ illustrent, corporisque damnum interno ornatu resarciant.

Riſit Suetonius imperatorem Domitianum olim, quòd quotidie per duas horas captando muſcas ſe oblectaret. Iráne Domitiane totius orbis negotia geris, & muſcas captas? Perſuaſus hactenus eram, Aquilam non captare muſcam. Sed & tu, mi Chriſtiáne, magis quàm Domitianus ſubſannandus es; ille terrei globi, tu animæ cœleſtis partis imperator es, & muſcas captas, dum ſpeculum obuertis, cirrhos criſpas, calceos attendis, ſymplaſiam tractas. Cadet tua criſpa cæſaries, & mors capillos turbabit, genas & ſerenam frontem rugæ arabunt; lucida oculorum ſidera mœſta teget nubes; veniet dies, vt Franciſcus Petrarcha ait, quo te in ſpeculo non agnoſces. In hos virofeminas grauiter & acidè ſanxit olim Moiſes: *non induetur mulier veſte virili, nec vir vtetur veſte feminea: abominabilis eſt enim apud Deum qui facit hæc.* O.

Quatuor cauſas huius interdicti aſſignat Ambroſius: prima eſt; cur homo, ait, non vis videri eſſe, quod natus es? Cur alienam tibi aſſumis ſpeciem? Cur mentiris feminam, vel tu femina virum? Suis vnumquemque ſexum induit natura indumentis. Diuerſus vſus, diuerſus color, motus, inceſſus, diuerſæ vires, diuerſa vox eſt in viro & femina. Secunda eſt: in quibus etiam ad veſtitum eſt inter eas & homines comparatio, in illis enim ſexum naturalia ipſa indumenta diſcernunt. Paui mares ſpecioſi, feminæ non item pennarum vario pinguntur colore. Phaſianis quoque diuerſus color, qui diſtinguit ſexûs diſcretionem. quid in pullis? Alius certè eſt habitus Galli à gallina. Nunquid illi mutant ſpeciem ſuam? Cur nos mutare deſideramus? Tertia: Mendacium & in verbo turpe eſt, nedum in habitu. Quarta: merito illic non ſeruatur caſtimonia, vbi non tenetur ſexus diſtinctio; ſic enim occultis libidinibus aliiſque vitijs locus datur. P.

A. *S. Chryſoſtomus homilia 14. in Epiſtolam 1. Timo:* B. *in ſua regula.* C. *Poſſidius in Auguſtini vita.* D. *citatus ibidem cap. 22.* E. *Auguſtinus libro de beata vita.* F. *in Epiſtola 22. cap. 22.* G. *lib. de bono.* H. *vt habetur in ſecunda tabula naufragij Philippi Poſquieri in concione quadam funebri.* I. *Hieronymus Epiſtola 1. ad Furiam de virginitate ſeruanda.* L. *lib. 6. hexameron.* M. *tom. 5. quod regulares femine.* N. *lib. 6.* O. *Deuteronomij cap. 25. verſu 5.* P. *Epiſtola ad Irenæum.*

II. Sed ex veſtibus & cultu alieno, inceſſum etiam peregrinum corporiſque motus nouos & prius inauditos orbi Chriſtiano

Digitized by Google

stiano pessimi aurigæ inuehuntur. *In incessu, statu, habitu, in omnibus motibus nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem,* ait Lycurgus noster, recte ex compositione corporis habitum mentis iudicans. Voluit scilicet omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, studiosissimè caueri. Marcus Tullius in 1. de officijs, cauendũ esse, scribit, ne incessu molliores simus, ne similes pomparum ferculis videamur. Quin etiam in decretis canonicis q. monentur Sacerdotes præcipuè, vt in incessu ornati sint, & grauitate itineris mentis maturitatem ostendant. Nec interim Iunonium etiam ingrediamur, sed modesto & graui, vnoque semper gressu.

Salustius inter cetera dedecora hoc quoque Catilinæ probro dedit; quod eius incessus modo citus, modo tardus fuerit; laudis, aiens, in homine esse, vt sit incessus immeditatus, nequid affectatione infractus. Lacydes Argiuorum Rex cetera bonæ famæ & nominis, ab incessu molliore tamen in suspicionem apud multos impudicitiæ venit. Quidam alius (Pompeium Plutarchus vocat) quod vno digito nonnunquam caput scalperet, simili notâ inustus est. R. S. Ambrosius monet, ne sensim ambulando imitemur histrionicos gestus, aut statuarum motus; ne gradus transferendo, quasi modulos seruemus. Nec cursim ambulemus, nisi cum causa exigit alicuius periculi, vel iusta necessitas. s. & alio loco. Vt molliculum, inquit, & infractum aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo; ita nequa agrestem aut rusticum. T.

S. Bernardus strictim leges modesti incessus percurrit, dum ita loquitur: *O quam compositum omnem corporis statum reddit, nedum & mentis habitum disciplina! Cernere erubescat, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet risum, moderatur linguam, formatincessum.* V. Quamuis Mathematici hîc somnient, dicantque eos, qui Pleiades habent in suo horoscopo, molliter necessario ambulare & vestigia suspendere; si quid tamen in natura vitij esse potest, industria facile emendabit. Corrigat Socrates zopyrum physiognomonem, qui profitebatur, se ex lineamentis motibusque corporis virtutes vel vitia hominis colligere posse; & dicat Socrates se omnino talem futurum fuisse, nisi vitiosam naturam Philosophiæ præceptis superasset.

S Ambrosius suo tempore clericum quendam, ne sibi vnquam præiret, commonefecit; quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos sanctissimi hominis feriebat, & in eius incessu lucebat imago quædam leuitatis. Nec hoc nomine Sanctus Episcopus malè ominatus est, nec temerè egit; quia breui pòst nequissimus apostata ab Ecclesia desciuit. Gregorium Nazianzenum adhuc de motibus corporis iudicantem audiamus. Hic Athenis cum Iulianum obuium habuisset, & cerulcem illius minime firmam, humeros agitatos & elatos, oculos vagos & oberrantes, pedes instabiles & titubantes, sermonem hærentem, spirituque intercisum, interrogationes præcipites adnectisset, ita de illo edixit: *prò Romani, quademadam alius?* X. Sed satis esto, nec longiùs excurram. Quomodo in omnibus sese habeant, qui modestiæ studeant; à recenter quodam docto in moribus & actionibus has leges recipiat: Caput sit rectum, oculi demissi, manus quietæ. Vitetur corrugatio frontis, labiorum compressio & deductio, incessûs festinatio. Sales sine dente, ioci sine vilitate, vox sine clamore.

Q. *Decreto XLI.* R. *Plutarchus tom. 1. mor. traclatum, quomodo ex initiis vilitas colligenda.* S. *S. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 18.* T. *Idem cap. 19.* V. *Bernardus Epist. 113.* X. *Gregorius Nazian. oratione 2 in Iulianum.*

III. Porrò quemadmodum in ornatu corporis superbia latet, ita in supellectile, famulis, equis, & si quid aliud dignitatem nominisque splendorem vendicat. Quod minimè latuit AVGVSTINVM. Fuit hic in sublimi quidem apice, & magnâ apud omnes veneratione, sed felicitatem in vanis nequaquam posuit, vt multi illustrium heroum faciunt; qui dum delectu equorum, raritate vestagorum, odorâ canum vi gaudent, dum atriensium caterua, aut salutantium matutinos oculis, dum ædium splendore & magnificentia, dum præfulgida supellectile apprime delectantur; cum verò supra homines se euectos, & in summo felicitatis culmine constitutos plus quàm vanè arbitrantur.

H Aliter subduxit calculos noster Episcopus, quem tam fallax iudicium vulgi more non infecit, quemque non alia, quam virtutis pulchritudo retigit, nec aliud mentem desiderium tenuit, quam illius denique rei, vnde quidquid currit, odorat, ample-

amplexatur, splendet, fulget, oritur. Non tantum in incessu & habitu modestiæ studuit, sed etiam in reliqua supellectile, minime diuitias aut fulgorem quæsiuit. Cochlearibus tantum argenteis (verba Possidij sunt) vtebatur, cetera vasa, quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea vel lignea vel marmorea erant. x. Summos orbis monarchas nec paucos historiæ deprædicant, qui supellectilem præfulgidam forti animo spreuerunt.

Rex Agathocles nunquam sine fictilibus cœnauit. Recte; nam figuli filius erat, & ex limo omnes homines, etiam Reges factos esse cognoscebat. Marcius Curius cœnabat in catino ligneo, maximaque continentia & sui victoria Samnitium legatos, aurumque remisit; malle se professus imperare pecuniosis: auroque illos non egere, qui ad naturam viuere didicissent. Omitto Fabricios, Pisones, quos omnes diuitiæ à sua continentia mouere non potuerunt. Y

Sed & hic sordidi nimium sunt amandandi. Augustæ rei dominus fuerat Diogenes, cui tametsi potum vilis pincerna (poculum ligneum) ministraret, vbi tamen mopsulum quendam rusticanum manu concauâ bibentem aspexit, quamprimum elisisse, aiunt, vas illud ad terram, & dixisse: nesciebam hactenus naturam habere poculum. Sed absurdius egit, cum Platonem confundere voluit. Vocârat Plato ex nobiliori flore amicorum aliquot ad cœnam, triclinumque, non quidem superbe, sed nec sordidè ornârat; cum irruit inspectò sordidus Diogenes & cænosis suis pedibus lectulos pro veteri more, ad mensam concinnè stratos cœpit conculcare. Quæ res cum Platonem ingressum cum conuiuis aduertisset, quid agis, exclamat, ô Diogenes? calco, inquit, Platonis fastum. Eia verò, subiecit Plato, calcas, sed alio fastu maiore. Ergo lex esto, vt modus sit in omnibus, ne superbia obrepat, ne spurcitia sordescat.

Quid te Messalina superbè circumspicis? Rem peruide, Vestes pleræque ab araneis, quibus animalibus mutuamur & mendicamus. Nam sericæ vestes turpium sunt viscera vermiculorum. Panni lanei cuiuscunque pretij, ouium vellera, Vniones concharum excrementa, gemmæ lapides, aurum fulua

gleba terræ, & his quidem induimus corpus exterius satis concinnum & ornatum, intus tamen plenum fœtore, pedore, ossibus mortuorum. Sepulchra dealbata, intus putre-
L do & vermes. Vltra sepulchra cogitationes iacitis, & stulte vermes pascitis, vestitis, ornatis; non tantum domos corporis vestri, sed & lapideas & ligneas. Z.

X. *In vita eius cap. 22.* Y. *Valerius Maximus lib. 4. cap. 3.* Z. *Matthæi 23.*

M IV. Saniora nos docet *Honestas morum*, quæ seruanda est etiam in externo corporis cultu; hæc veluti domina mundi sceptrum gestat & innixa columnæ infracto corpore imperterrito animo aduersus omnes tempestates; & detractionum procellas Spartano sanguine durat. Hæc exemplo suo radios tenebrescentibus animis immittit: dum enim mali reginam hanc morum aspiciunt, ad idem se parant faciendum, & quasi errantes in nocte, per lumen Lunæ huius (non instar Lunæ tamen se mutantis) ad viam saniorem redeunt. Hæc dum bo-
1 nis, qui in die quasi ambulant, bono est exemplo; sicut malis Luna, ita bonis Sol efficitur.

Honestatem prisci paulo aliter effigiarunt hoc hieroglyphico. Senem pinxerunt, cuius in dextrâ Sol, in sinistrâ horologium erat. Quamuis anima quælibet Christiana dextrâ solem, sinistrâ horologium ostentui cunctis præferre deberet, incumbit tamen hoc vel maxime Sacerdotibus, qui Lux mundi à Sotere ipso dicuntur, vt horologia sint in omni vita norma plebis, ad quam vrbs tota se dirigat, sint honori Ecclesiæ, sint Deo gloriæ.

N Porro ad honestatem plurimum facit soror Pudicitia, quæ velum obtendit, & naturam verecundari vult. Quamprimum peccatum oculos protoparentibus nostris aperuit, consuere illi folia ficus, & perizomata consarcinarunt, atque quæ natura voluit occultari, pudice texerunt. Et mirum est, vestimenta culpæ nostræ pœnam ita nobis placere, vt etiam transuersos multos rapiat cura præpostera, quo-
O modo sese cras aliter vestiant quàm hodie. Quanquam crescente nunc hominum malitia necessum sit, vt tecti simus, peccato reuelante pudorem. Hoc nomine Apostolus obnubi capita mulierum vult, a, & sancto flammeo operiri

Digitized by Google

capita virginum. Ambrosius etiam domi contineri vult, ne suis oculis aliorum oculos offendant. Christiana ergo modestia, honestas & pudicitia luxui & superbiæ medeantur. Res est. Inter Christianos homines maximè Deo sacros non sit superba Iezabel, non impudica Thais, non agrestis Corydon.

Aa. *Prima ad Corinthios xi.*

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS DECIMÆ SEPTIMÆ.

I. MAGNVS VERBI DIVINI PRÆCO AVGVSTINVS. II. SENSIT HOC FIRMVS EIVRATO MANICHÆISMO NOSTRA AMPLECTENS. III. Quanta fidei vanitas apud Heterodoxos. IV. Quantus zelus apud Orthodoxos.

I.

VT admodum seriũ negotium est, magnique momenti sacram adscendere cathedram, & pro suggestu concionem erudire; ita eximijs doctibus instructum esse oportet eum, qui tam arduum & sublime quidpiam attentat; nam præterquam quod humanam, iuxta ac diuinam, eamque satis culram sibi hoc munus vindicet eruditionem; nominis etiam morumque non minima habenda est ratio. Magnam auctoritatem dicentis oratio tum habere censetur, cum verba suffragijs confirmantur, nec discrepant à vitâ. Cuius vita despicitur, ait S. Gregorius, restat, vt eius quoque prædicatio contemnatur. Et: si negligis implere quod doces; alijs messem seminas, & ipse à frumenti participatione ieiunas. Non sit linguæ & vitæ dissidium. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* A. Tum deinde, nisi orator diuino splendore illustretur, caduca & vana sunt omnia; quantumuis ampullante sermone, & meram hyblam spirante; mens tamen languebit, & frigebit oratio.

Prius sedere in ciuitate iussi sunt, & virtute ex alto indui duodecemuiri illi, B, quàm foras proruperunt & gentes instruxerunt. Antè duodecennis IESVS in templo, ceu literario ludo inter frequentiam legisperitorum sedit; antè audijt & interrogauit; antè didicit, quàm docuit; prius tirocinium ingressus est, quàm arma veteranus miles sumpsit.

Quærit

Digitized by Google



MVLTA VALET DOMINI MONITVS TIMOR, INTIMA TRANSIT;
SI MODÒ COR NON SIT SVRDIVS AVRE TVA.

Joannes Wandereisen Sculpsit.

Digitized by Google


LYON

Digitized by Google

Quærit hîc ex se ipso Bernardus, cur Diuinissima Sapientia vsque ad tricennale tempus siluerit? Verba eius exscripsi. C. Christus cum tanto tempore silebat, cum se ipsum absconebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Vtique timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus nouerat esse timendam: nobis cauebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere. Ita mellitus Bernardus. Quis doctior rerumque sacrarum experimento magis instructus erat Timotheo? Hic à Doctore gentium illud meritus est testimonium, quod ab incunabulis literas sacras nouisset, D. tamen vt toto corpore in studia incumberet, ferio iussus est: *dum venio attende lectioni & doctrinæ.* E. Paulus ipse huic studio immortuus est, qui licet leges Christianas diuinitûs edoctus esset (sic enim ad Galatas scribit: *notum facio vobis fratres Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per reuelationem IESV Christi*) cum deliberetur tamen, & vt phrasis ipsius est, tempus resolutionis instaret, in ipso etiam carcere libros & membranas petijt, vt disceret.

Post scientiam multo labore partam, post diuini Spiritûs infusam gratiam; post virtutum sancta exercitia, tubæ instar terribilis tonandum, & noxiæ palàm populo ostendendæ sunt. Nam quemadmodum Isaiæ, ita omnibus verbi sui præconibus demandat Deus: *clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* G. *Fili hominis, speculatorem te dedi domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me: Si dicente me ad impium* Morte morieris, *non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* H. Ita Paulus Timotheum sui officij admonet; dum oportunè, importunè arguendum, obsecrandum esse iubet. I. Mandata Dei itaque tubæ timoris Domini personent, & seuerè in delinquentes animaduertatur, ne cum Heli ob noxias filiorum damnemur; siquidem vt verè scribit Gregorius verè magnus; tot Sacerdotem homines occidere, quot ad mortem quotidie ire tepidus & tacens videt. Et hæc licet ita se habeant; in lenitate tamen Moisis progrediendum est, & condescendendum infirmis, vt infirmos lucrifa-

A

lucrifaciamus: profecto agricola etiam expectat pretiosum fructum terræ, patienter sese habens, vt loquitur S. Iacobus, donec accipiat temporaneum & serotinum. L.

Hæc omnia præclarè habuit Doctor Ecclesiæ, omnibusque numeris absolutus orator AVGVSTINVS; enimuerò abunde scientijs ornatus, & superi spiritus vehementiâ afflatus, postquam multarum virtutum ostendit specimina, tanquam tuba deinde terribilis denotuit. Audiêre tonitrua hæc hæretici; & veluti siderati essent, ita hunc Iouem tonantem fugerunt; non infrequentes etiam, ne audirent, totis, vt aiunt, manibus & pedibus fugerunt, ne ad instar bombicum hoc fatali tonitru perirent, aut ad instar murorum Ierichuntinorum à solo tubæ afflamine caderent. Audiêre duro robore prognati Pharaones, & ceu malleus facile conterit petras; ita saxea expugnata sunt corda. Neque multum est mirandum: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* M. Audiêre cognato vinculo conglutinati cum filijs parentes, cum fratribus sorores; & ceu Alexandri gladium sensissent, ita enodata sunt omnia vincula. *Non veni*, ait Verbum, *pacem mittere, sed gladium. Veni enim hominem separare aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam.* N. Scilicet æternæ veritatis est: quod viuus sit sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. O.

B Vidit in sua Apocalypsi Ioannes gladium ex ore diuino procedentem, vtraque parte acutum. P. Quare vtraque parte acutum? disputat AVGVSTINVS. An propter vtrumque testamentum, quo hoc verbum comprehenditur? An qui verbum hoc despiciunt, & in anima & in corpore castigabuntur? Vtrumque præclarè. Certè etiam Seraphicus ille & mirabilis Franciscus hanc suis fratribus præscripsit concionandi normam: imitamini, inquit, illum, cuius ex ore gladius anceps egrediebatur, & manus stellas præferebant; gladius enim Verbum Dei vtrinque scindat oportet, vitia eliminando, virtutes inferendo. Concionator Christianus arma in ore gerat, quibus impios verbi Dei acie percutiat; stellas in manu, quibus iustis beatitudinem & gloriam cœlestem promittat.

A. *Matthæi 5. versu 19.* B. *Lucæ 24.* C. *Ex sermone 1. in Epiphania Domini.* D. *2. Timotheum 3. versu 15.* E. *1. ad Timotheum 4. versu 13.* F. *c. 1. versu 11. & 12.* G. *Isaiæ 5.*

Digitized by Google

Isaiæ 58. H. Ezechielis 3. I. 2. ad Timotheum cap. 4. L. Iacobi 5. M. Hieremiæ 23. versu 29. N. Matthæi 1. versu 34. O. ad Hebræos 4. P. Apocal. 1. versu 16.

II. Non sine fœnore redit, si sementis in glebas bonas ceciderit: etiam vbi non sperant coloni, quandoque metunt; maximè clementi sidere, rigante Deo, allaborante illo, cuius pater agricola est. Magnam messem frequenter habuit AVGVSTINVS, & suis concionibus ad populum haud parum promouit, etiam tunc, quando minimè sperauit. Vnicum testimonium adducam, quod miraculo fuit omnibus.

Hippone in suma æde pro munere suo Episcopali frequentissimè instituit de suggestu dicere. Magna semper frequentia aderat, & stipatim vndequaque accurrebant. Contigit ergo, vt occulto, sed Diuino errore (si errare quis potest Deo duce) AVGVSTINVS aliquando à themate deflecteret, & incogitans grauiùs in sectam Manichæorum inueheretur; quod cum concio tota miraretur, ipse etiam AVGVSTINVS magis postmodum, vbi se collegit, hanc excursionẽ secum stupebat: Dimissâ concione, vbi cum suis ad mensam sedit: Num, aiebat, aduertistis, fratres, quod cœpto ego in itinere viam tenuerim hodie in perorando aliam, quam minime volebam? Audistis vtique, quod caput exhortatoriæ meæ neutiquam cohæserit corpori. Structura profectò orationis non erat concinna, neque continuo filo absolui, quod incepi, sed desultorio gradu ad Manichæos delapsus sum. Credo ego altiori Numinis potentiâ hoc factum, quod & linguam meam, & me totum in potestate habet, & habeat semper. Atque non vanè fortassis somnio; reducet Deus hoc errore meo ab errore alium. Dum in his cogitationibus totus erat, post biduum magnarum fortunarum institor (nomen Firmo fuit) potenti enthusiasmo tactus ad AVGVSTINVM vênit, & derepente ad eiusdem pedes lachrimis copiosè manantibus prouolutus contentè petijt: pro suis noxijs patronus apud Deum intercederet: Manichæorum se impium quidem hactenus gymnasium frequentasse, multoque tempore in numero Electorum fuisse. Ceterùm iam se fidem Christo sponsurum, & eiuratâ hæresi Sacramentum orthodoxæ Ecclesiæ dicturum; hoc sibi integrum esse, & ita vt faceret ab exhortatione nudius tertius habitâ se permotum. Vix ad hoc spectaculum & ipse AVGVS-

STINVS se à lacrimis abstinuit; ita hæc subita illum genuflexio expugnauit. Qui proinde miratus magnitudinem diuinæ bonitatis cœpit extemplo cum suis æternó benefactori gratias meminisse. Verum Firmus quamprimum omnem mercaturam deserere, relictisque magnarum opum copijs AVGVSTINO addici, & ad omnem sese obsequelam illi auctorare. Qui elementa mysteriorum breui edoctus sacram vestem simul & religiosiùs de cetero viuendi normam accepit. Cui disciplinæ obsequens tiro citò adsueuit, positoq; fastu omnibus non tantum se postremè subiecit, sed nec prioris honoris aut bonorum vllâ memoriâ pro mediastino se gessit, tantisque dein rigoribus corpus afflictauit, quantis antea illicijs fouit. Maximè autem per id tempus lacrimabatur, vt animi maculas elueret, & malè actam vitam deploraret. Porro vbi aliquamdiu non exigua vitæ sanctimonia sub religiosis signis meruit, post aliquot annorum decursum ita exigentibus meritis alió accitus in Sacerdotem est inauguratus, dignumque se discipulum AVGVSTINO magistro gessit quoad vixit. Q.

O dulces animæ *pœnitentis* lachrimas! omni ambrosiâ diuinis mentibus chariores; non arbores Arabiæ suauius sudant, nõ rosæ Pestanæ odorẽ gratiùs fundunt, non Hyblæ violæ amæniùs suas diuitias exhalant. Dilecta & orbis Israelitici domina pectora Dauid & Ionathas dum pereñe amicitiæ icturi essent fœdus, copiosas profuderũt lacrimas, quas Cymbijs studiosè collectas in terram inuergerunt ad æternaturæ amicitiæ symbolum. R. Dilecta corda, & supremi orbis domini angeli pœnitentium lacrimas aureis Cymbijs colligunt in restauratæ cum Deo amicitiæ tesserã. Venę olim aperiebantur, & sanguis inde promanans in amoris symbolũ cedebat; quod religiosiùs hodie imitantur Christi Martyres, qui & ipsi sanguinem totis venis manantẽ in debiti amoris indicium Deo transmittunt. Sed quia non omnibus per sanguinẽ & vulnera ad cœlum iter datur; satis est, lachrimas pijs oculis amoris testes, fundere. Phaethontis sororiæ lachrimæ, si fabulis credimus, in electrum transiêre:

Inde fluunt lachrimæ, stillataq; sole rigescunt
De ramis electra nouis. S.

Ex fabulâ historiam fecit Firmus: nam & illius lachrimæ electrum imitatæ noxas leuioris ponderis ad se traxerunt & deleue-

deleuerunt. In Lycia olim, teste Seneca, lachrimantes feminarum vestibus per ludibrium induebantur; quod crederent decere lachrimas veluti rem mollem virile pectus. Rideat qui velit Christianos post arreptam secundam naufragij tabulam, si lachrimentur; beatos ego cum Veritate ipsa illos pronuntio, qui hîc flent & lugent, qui hîc lachrimosa sparsione totum pectus inundant. Subsannent, qui suo aqualiculo & abdomini velut mancipia ancillantur, hirsutas & horrentes setis thoraces, cilicina indusia, aliasque corporis afflictationes; nos tamen post thori alieni incestationem Regi gratulamur illi, qui in aula sua in cilicio & cinere pœnas à se exegit, & lachrimis lectum lauit. Effudit cor suum peccatrix illa femina, & partem animæ ex oculis in pedes transfudit, & encomiastem habuit ipsum Seruatorem. T. Nonne qui omnis labis immunis erat, per sanguineas lachrimas, per extrema tormenta cœlum nobis est mercatus? *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* V. Væ vobis hæresiarchæ, qui ita Metanœam proscribitis, vt non angulum in vestris synagogis illi concedatis; scirent emolumenta pœnitentiæ, vt vos perditè scitis & contemnitis, Scythæ & vltimi Euxini, iam dudum sua terga flagellis descripsissent, & se in librum vitæ cum Firmo inscripsissent. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. X.

Q. *Possidius in vita Augustini c. 15.* R. *Philo lib. antiquitatum in biblia.* S. *Ouidius lib. 2. Metamorph.* T. *Lucæ 7. versu 44.* V. *Matthæi 11. versu 21.* X. *Lucæ 13. versu 3.*

III. Sed bene est. Vt hæretici nec Deum verum agnoscunt, ita nec quæ Dei sunt, quærunt; sed omnia corruptis illorum ingenijs sunt putida mendacia & fictæ laruæ. Cum Manichæis res mihi est, quos bonus Firmus eiurauit, AVGVSTINVS exagitauit, posteritas iugulauit. Si illorum deos ego aspiciam (horresco plures nominare Deos) binos colunt in sua Maniâ; vnum boni plastem, alterum omnis mali fontem & originem. Y. Sed nec binos colunt isti; verùm si rectè calculos subduco, miro monstro adgeniculantur; quod facie simillimũ Deo est, sed breui in angelum degenerat; tum si abdomen & ventrẽ consulas, in gulam; postea in caninam impudentiam desinit; &

denique in anguillarum & piscium lubricitatem. Schema scitè suis coloribus depictum non tantùm Manichæorum, sed omnium prorsus anticatholicorum. Quidquid loquuntur primâ facie merus Deus est. *In ore eorum laquei diaboli & viscum confectum cõmixtione syllabarum nominis Dei & Domini Iesu Christi, & Paracleti consolatoris Spiritus Sancti. Hæc enim omnia non recedunt de ore eorum, sed sonq tenus & strepitu linguæ, ceterum cor inane veri.* z. Ita verè AVGVSTINVS, qui ex cortice nucleum non æstimauit. Sed pergamus in monstro. Omnes hæretici se ipsos purissimis Dei spiritibus vitâ moribusque æquiparare student. *Pacem & bona euangelia cum Angelis nunciant.* A a. At si manicas tu laxè follicantes scruteris, sicas & gladios deprehendes, semiferos Lapithas & Aconitos pugiles agnosces. Porro exterminant facies suas, vt videantur hominibus ieiunantes. B b. Verum si ventrem tu spectes, non ventris pro ventre locum, non araneantes fauces; sed obesos inuenies Epicuros, quia omnia pœnitentiæ opera vltra columnas Herculis ablegant, & plus quam caninâ fame diebus maximè esurialibus in omnem luxum ciborum prorumpunt Cynædi & Bacchici nepotes. Et interea tamen inter saxum & sacrum deprehensi anguium lubricitate effugere gestiunt, & defendere omnia sua nullo fundamento nixi.

Incipiunt, dubitant, scribunt, damnantq; tabellas,
Et subitò delent, mutant, culpantque, probantq;.

Sed ô impudentiam! dum semel à vero abeunt, desciscunt in omnes superstitiones, & inflexo talo Scauri multa millia in errorem secum trahunt. Eusebius vltra triginta Deorum millia numerat, quos sibi gentilitas finxit. C c. vt non immerito nefandum hoc deploret Isaias, dum ait: *repleta est terra idolis.* D d. Ægyptij, canes, Ibides, Crocodilos adorasse dicuntur, & per obsequium pietatis etiam humanâ carne aluisse. Sinenses solem maximè adorârunt, & de Cymbio ritu Græcienſi cibum præstiterunt. E e. Sed Ægyptij erant & gentiles. Christiani acatholici dum hyperduliam Beatissimæ Virginis & Sanctorum cultum abominantur, e contra suos in ambone præcones adorant, quid nisi rabidos canes, voraces lupos, lachrimantes impiè crocodilos colunt, & per obsequiũ pietatis affatim alimenta præstant?

Vt ipsorum dij laruæ sunt; ita dogmata illorum spuria, vana

vana & friuola. Fucatam eloquentiam multis sæpe detestatus est AVGVSTINVS tam solidè, vt mirum sit, adhuc fidem haberi eis, qui tropicis, blandis, & Rhetoricis fucis veritatem opprimere, lumen quod Deus simul & intellectus accendunt, extinguere furtiuè moliuntur; lingua concinnat dolos, & venenum sub labijs eorum; nec scribunt, nisi vt dolosè alios inficiant, seu quò in nos argutè stylum acuant. Est hodieque reperire Indos quosdam, qui innoxie veneno pascuntur, & ceu posthumi Mithridates toxicis innutriuntur. Mirantur non pauci Calui & Martini sequaces, non aduertere se inter medias viperas cubare, venena hiantibus labijs de ambone excipere, incautos oculos pascere: sed sentient cũ æterno olim suo damno, quos angues sinu fouerint, quam sensim venenum biberint. Vt in agro zizania non aduertimus crescere, sed creuisse; ita hi qui vltra (vt Græcis paræmia est) mandragoram dormiunt, alto lethargo sopiti videbunt se olim dementatos etiam per somnium perijsse. O incautos Marsos qui crocodilis fiditis, &c., quidquid per somnij nebulã, quidquid per cerebri temulentiam *vestri videntes docent*, diducto ore accipitis, omniaque articulate & facundè repetitis.

Apsephas Rex Libyæ omni scelerum obscœnitate contaminatus, viam tamen excogitauit, quâ non modo se nominis infamiâ purgaret, sed diuinos etiam honores post mortẽ assequeretur. Psittacos magno numero citurauit, & nemine conscio docuit ista verba canere: *μέγας θεὸς ἀψεφᾶς*, mandauitq; in extremis, vt per totam aues vrbem & orbem emitterentur; quo factũ est vt garrulitate psittacorum diuinitatis famam sibi conciliârit. FF. Quid nisi psittacos aluit magnus ille Manes, Donatus, Pelagius, Lutherus alijque, qui post mortem sceleratissimos homines differrent & in fastis nomina eorum perpetuarent? Sed audiant hi ficti histriones, & quando ita psittaci esse volunt, omnem partem psittacos imitentur. Pherecides apud Vlyssem Aldrouandum author est: masculum psittacum obseruare, arguere, & ex nomine deferre eos, qui venena propinare moliuntur, aut in domum importare. GG.

Peioris ingenij sunt psittaci hæretici, qui non tantum non cauent ne synagoga eorum alicunde accipiat venenum, sed vel ipsi importãt. Ergo in bonitate ingenij à psittacis deficiunt

& verius crocodilum imitantur; animal illud quadrupes malum, terrâ, vt loquitur Plinius, pariter ac flumine infestum, pectinatim stipante se dentium serie, & vnguibus armatum, contra omnes ictus cute inuictâ, sed ingenio doloso; nam aspecto
H homine emittit lacrimas, dumque credulus hic tanquam ad lamentantem vicinius accedit, atrociter supplantat & deuorat, vt verum sit prouerbiũ: *Decipit dum lacrimat crocodilus.* Quemadmodum impensè falleris, quando lachrimis crocodili credis; sic certissimum interitum amas, quando lachrimosæ scenæ perfrictarum frontium & venenoso ciulatui hæreticorum credis. Apage ex terra nostra infestos hominibus crocodilos. Aut si omnino fertilis sit terra, nocentium harum bestiarum adesdum remedium, vt nocere non possint. Scribit itaque Ælianus, si crocodilus Ibidis pennâ mulceatur, ita obtorpescere illum & debilitari, vt omnino reddatur immobilis, omnemque pristinæ rapacitatis violentiam obliuiscatur, velut fascinatione aliqua mutatus. Hh. Ibidis pennas optem omnibus illis, qui in aduersarios fidei scribunt; sed nescio quàm hæresiarchæ non tantum non obtorpescant, sed ex attactu talium pennarum primum ferocire incipiant; vt aliud medium ad torporem illis inijciendum opus sit: nam non cessant suis calamis carthas venenare. Apud Turcas nefas erat, chartas abijci aut calcari. Si-cubi fragmen vident, religiosè tollunt & adseruant, grauiterque conqueruntur, si ad obscænos vsus charta adhibeatur. Malè esset apud Turcas hæreticis, si viderent tam nobiles chartas adeo obscænis dogmatibus infarciri. Ii.

Y. *Plura Augustinus libro de hæresibus ad Quoduultdeum.* Z. *Ex lib. 3. Confess. c. 6.* Aa. *Luce 2.* Bb. *Matthæi 6. versu 16.* Cc. *lib. 5. præparationis euangelicæ.* Dd. *Isaiæ cap. 2.* Ee. *Iustus Lipsius in suis politicis.* Ff. *Vlysses Aldrouandus in sua Ornithologia lib. 11. cap. 1. in historicis.* Gg. *Idem loco citato in moribus & ingenio.* Hh. *Cornutus lib. 20. cap. 3. de Antipathia.* Ii. *Lipsius in monito 2. n 5.*

IV. Alia omnia sentiunt & perorant Catholici; concrescit vt pluuia doctrina, fluit vt ros matutinum eloquium eorum. Ll. Quamdiu cœlum apertum vnde fœcundus imber sola irrigat, ros fœcundat, tamdiu de segete benè sperare iubent agricolæ. Quamdiu Ecclesiastæ Orthodoxi de suggestu cœleste mannà pluunt, & legem gratiæ dorant, tamdiu omnibus etiam impiatissimis mentibus tranquillitas animi & futurorum

spes af-

ſpes affulget. Sedit ad pedes perorantis Chriſti infamis Maria; & inopinatò in pœnitentiæ exemplum mutata eſt. Mm. Dependit de clathris paternarum feneſtrarum virgo Thecla, dicentique Paulo attendit; & quamprimum contempto Olybrio à Chriſto ſubarrhata eſt. Lyſimacho ad ſternendum Leonem opus erat pallio, quo manu obtecta linguam exertam feræ apprehenderet, & exanimaret. Nn. Dauidi ad giganteam molem ſternendam quinque limpidi lapilli ſatis erant. Oo. Danieli maſſa ex pice & lino cocta. Pp. AVGVSTINO ad tot hæreſes conuellendas calamus & ſtylus; Chriſtianis præconibus ad impios conuertendos Eliæ duplex pallium, duplex inquam ſpiritus *Zelus Dei & Legis.* I

Eſt zelus animi ardor, & generoſus quidam heroicuſque æſtus, quo animus excitatur, & inardeſcit, cum timores humani (ſi quando veritatis defenſio ſuſcipienda eſt) ingruunt, eò magis commendabilis, quò omnia praua maturius corrigere ſatagit. Hanc ob cauſam alterâ ſcutum, & in ſcuto arcam Dei; alterâ nudum gerit gladium inter ipſa ſpineta in hoſtes vibratum: Scuto quidem ſeſe protelat aduerſus omnes inſultus, arca verò fœderis (quadrangula illa ciſta ex lignis Setim auro obtectis, in qua tabulæ decalogi reponebantur) indicat virtutem Domini zeloſos regere, vt ſtrenui in virtute Dei progrediantur. L

Magnus animarum zelator erat Dux Moiſes; accenſus ille ſancto feruore aduerſus publicam impietatem & idololatras vituli aurei, ſtetit, & exclamauit: *Si quis eſt Domini, iungatur mihi; cumq; omnes filij Leui in partes eius iuiſſent, addidit: hæc dicit Dominus Deus Iſrael, ponat vir gladium ſuper femur ſuum .... & occidat vnuſquiſque fratrem ſuum & amicum & proximum ſuum: feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moiſi, & ceciderunt quaſi viginti tria millia hominum.* Qq. Obſimilem zelum Phinees occidit idololatras Belphegor viginti-quatuor millia hominum. Rr. Ecce zeli gladium! vt merito inter ſpineta vibretur, eò quòd zelus Cos & ſtimulus ſit virtutum ad audenda fortia. Hoc accenſus Mathathias inſilijt & trucidauit immolantem in ipsâ arâ, fanum deſtruxit. Ss. Hûc ſpectat ſermo, quo Petrus Ananiam & mendacij thoriquè complicem morte mulctauit diuinâ ſententiâ. Tt. Hûc, quo Deus Ægyptios ollares illos amicos, qui manna velut leuiſſimum M

mum cibum ſtomachabantur, diro fato damnauit. VIII. Huc Moiſis ille feruor: *aut dele me de libro vitæ, aut condona illis hanc noxam.* XX.

Non inferioris ſpiritus acerrimus aſſertor fidei noſtræ fuit AVGVSTINVS; qui infracto ſtudio, infando zelo, noctes dieſque durauit, quo hæreſes, ſi qua poſſet, omnes penitiſſimè peſſundaret. Annis adeo decem integris contra Pelagianos laborauit, quos pro cathedra ſemper vehementiſſimè oppugnauit. YY. In Semipelagianis euertendis viginti & amplius annis tantam præſtitit operam, vt illos nec reſpirare ſit paſſus, ità zelus fidei comedit hominem! Hoc ipſum confirmat S. Proſper ad AVGVSTINVM ita ſcribens: *Omnium noſtrûm fatigatio in tuæ Charitatis & Scientiæ vigore ſperat: adde eruditionem humilibus, adde increpationem ſuperbis.* ZZ. Contra ſolum Fauſtum triginta libros edidit, vt omnis poſteritas haberet, quod admiraretur. Contra Manichæos, ait Caſſiodorus, ita feruore pietatis incanduit, vt diligentius atque viuacius aduerſus eos dixerit, quàm contrà alias hæreſes diſputauerit. Quàm Donatiſtis palmam ſtrenuè eripuerit, ſupra ſatis tetigi. Deinde, quantâ animi vehementia legem Chriſti pro concione explicauerit, etiam in ſumma ſenectute, difficile memoratu eſt. Omnia cum Paulo omnibus factus eſt, vt omnes lucrifaceret. In demandatâ animarum curâ tam aſſiduus erat, vt nunquam ſuâ diœceſi pedem efferre voluerit, etſi excitus magnis vocantibus negotijs: quin verò grauiſſimis verbis animaduertebat in Antiſtites illos qui Carthagine negotijs quibuſdam diſtenti diutiùs morabantur, eò quòd, vt aiebat, oues in abſentia paſtorum magnum pleruſque paterentur detrimentum.

Cum apud illum ex primis amicis nonnemo precibus inſtaret, vt dignaretur Carthaginem deſcendere, vbi magnus conuentus Epiſcoporum illum expectaret; reſpondit ſe dignam ſententiam: nullam ſe horam perdere poſſe, quam non pro virili ſuo gregi impenderet: Si omnes ſuas vires, omnia ſua ſtudia gregi daret, cauendum tamen ſibi, ne in diſtricto Dei iudicio inertiæ incuſaretur. Placuit ipſa eius verba adiungere. Ita habet: *Fratres, vnuſquiſque Chriſtianus in membris Chriſti zelo domûs Dei comeditur. A. Quis comeditur zelo domûs Dei? qui omnia, quæ forte ibi videt peruerſa, ſatagit emendare, cupit corrigere, non quieſcit: Si emendare non poteſt, tolerat, gemit.*

Digitized by Google

gemit. Si in domo tua, ne quid peruersum fiat, satagis; in domo Dei, vbi salus proposita est & requies, sine fine voles pati? quantum in te est, si quid forte peruersum videris, fac quidquid potes pro persona tua, quam portas & perficis: zelus domus tuæ comedit me; si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi tibi sufficiens, & dicens in corde tuo: quid mihi est curare aliena peccata? Sufficit mihi anima mea, ipsam integram seruem Deo. Etia non venit tibi in mentem seruus ille qui abscondit talentum & noluit erogare? B. *Nunquid enim accusatus & quia perdidit, & non quia sine lucro seruauit?*

Audiant hæc quicunque Augustiniani partûs; & quibus de alijs commissum est, quid laboris sit suscipiendum, quàm exacta olim ratio sit reddenda. *Si prose* (iterum AVGVSTINVS loquitur) *vnusquisque vix possit rationem reddere; quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus omnium animæ requirendæ?* Pensandum est ergo, vt pulchrè monet Gregorius, qui operâ nostrâ conuersi luxuriam, auaritiam, superbiam deseruerint, quod animarum lucrum accepto talento fecerimus. In illo districto iudicij examine Petrus Iudæam, Paulus mundum, Andreas Achaiam, Ioannes Asiam, Thomas Indiam à se conuersam in iudicis conspectu ducent, & alij alias prouincias & populos, quo tempore Sacerdotes pudefacti obmutescent nescientes quid dicturi sunt. Non habet AVGVSTINVS quod vereatur, qui tot irrepentes in Ecclesiam abusus abrogauit, & antiquauit; qui tot Antistites sui officij admonuit; qui tot hæreses oppugnauit; sub quo Africa mirata est tantillo tempore tanto incremento se profecisse; qui tot desperatissimis suppetias accurrit; qui tanto igne domum Dei accendit.

Augustinianorum proinde erit Patris sui vestigijs inhærere, & nec transuersum vnguem discedere. Optabat bonus parens cum Paulo anathema esse profratribus. Si gutta sanguinis paterni in vobis est, optate prius extrema exantlare, quàm videre concreditas vobis animas in interitum ruere. Hûc Christiana impellit charitas, huc nostri instituti perfectio, huc quod geritis officium, huc imperium Dei, huc tot exempla, huc commiseratio proximi, & ouium à Lupi subdolis artibus certissimè pereuntium, nisi vigili animo excubias agas ne in caulam irrepat. Tu verò, vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ. N Vniuersas curas huc confer, & cum omnia feceris, inter ignauos tamen te famulos numera. Scis quam intento oculo inui-

gilauc-


Digitized by Google

gilauerit AVGVSTINVS, & tamen fatetur ad suos Hipponenses, nullius assis suam operam, sed omnia in acceptis soli Deo refert, in fine enim suæ epistolæ sic habet: *quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quam arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est: aut melior sit, quam domus Abrahæ, vbi dictum est, eijce ancillam & filium eius: aut melior sit, quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit quam domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius inteſtauit: aut melior sit quam domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit; cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit.* E. Rectè AVGVSTINE, & demisse de te sentis, & tanto quidem audaciùs, quanto alactiùs contempsisti omnia, quæ mundi sunt. Pro Deo & lege Dei certandum est, cetera omnia in medio relinquenda. Contempto mundo æterna manet merces, & digna labore merces. In hoc vniuerso quantumuis fortiter & Romanè agas, quantumuis zeles, ludibrium & ignominia præmium erit.


Fuêre multi qui zelati sunt, sed quia non pro lege Dei, eluſi sunt, & contemptui habiti. Inclitus ille Iulius Cæsar quadraginta victorijs clarus, in curiâ tamen senatorum viginti duobus ictibus corruit. Magnus ille Alexander, cui orbis angustus erat, veneno extinctus est. Valerainus Imperator capitur in Persia, & Regi equum conscensuro stapedem tenens fit ephippiarius. Itaque si cum AVGVSTINO perpetuitati militare vis, zelo tuo supera quære, infima tere.

Ll. *Deutronomij 32. versu 2.* Mm. *Luce 7.* Nn. *Onomasticon Conradi Gessneri.* Oo. *1. Regum 27.* Pp. *Danielis 14. versu 26.* Qq. *Exodi 32.* Rr. *Numeri 25.* Ss. *1. Machabeorum cap. 2.* Tt. *Esdræ 5.* Vu. *Psal. 77.* Xx. *Exodi 32. versu 32.* Yy. *Possidius in vita Augustini cap. 18.* Zz. *S. Prosper libro contra collatorem cap. 1.* A. *In Euangelium Ioannis tractatu 10.* B. *Matthæi 25.* C. *libro 7. homil. 50.* D. *Homilia 17. in Euangelia.* E. *Epistola 137. ad Hipponenses.*

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS DECIMÆ OCTAVÆ.

I. A BARBARORVM INCVRSIONE DVRE HIPPON AFFLIGITVR. II. QVÆ CAVSA MOTVVM HOSTILIVM. III. ADVERSITATES ET BELLI incommoda fortiter perfert AVGVSTINVS. IV. Optat tamen his demum eximi malis, & votis damnatus extreme decumbit.

I.

NIhil impensius in optatis habuit miles cinctus Antistes Hipponensis, quàm vt Romanam Ecclesiam suis etiam humeris si qua liceret, succollare posset, subsidentemq; molem sustentare. Eam ob rem in expugnandis impijs sectis non tantum studium suum diligentissimè impendit; sed, vt omnes remoræ funditus excinderentur, cum vitæ periculo adlaborauit. Et profectò, vt silentio inuoluam sæpius in caput eius fuisse conspiratum à iuratis Ecclesiæ Catilinis; suas ille vires inter fructuosissimos labores & perpetua cum Antagonistis certamina ita attriuit, vt ante annos emaciatæ illæ deficerent, tametsi in affecto corpore animus semper constans & sese ipso fortior apparuerit. Ne tamen à posthumis vani laboris accusaretur, quatuor fermè annis ante obitum libros suos considerare, examinare, in melius fingere, atque vt in aures publicas fructuosiùs prodirent, sagacitatis limâ probare placuit. Quod vt commodiùs fieret, presbyterum Eradium (alij Heraclium appellant. A.) vt in Ecclesiæ regimine mortuo succederet, & sibi interim vicariam operam præstaret, petijt Anno Virgineo quadringentesimo vigesimo sexto, ætatis septuagesimo secundo, regiminis trigesimo secundo; qui 25. Septembris præsentibus & suffragantibus Episco-

A

Episcopis Religiano & Martiniano (alij Marcianum) frequenti clero & populo Hipponensi publicè est denunciatus. Verba eius inter alia hæc sunt: *Obsecro vos & obstringo per Christum, vt huic Iuueni, huic presbytero Eradio, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum. Tamen vbi necessarium habuerit consilium meum non negabo auxilium. Nemo inuideat otio meo, quia magna molitur, magnum habet negotium.* B.

Scilicet vt alius nonnemo in summis negotijs constitutus nunquàm minùs solus fuit quàm cùm solus fuit; ita AVGVSTINVS nunquàm minùs otiosus fuit, quàm cùm hîc otiosus fuit. Siquidem in illo otio non solùm correxit quæ temerè olim Iuuenis & nondum Catholicis adnumeratus scripsit; sed etiam alios elaborauit libros: vt retractationum, de prædestinatione sanctorum, de bono perseuerantiæ, & alios contra Pelagianos, rogatu sancti Prosperi in Aquitania, & sancti Hilarij Arelatæ. Quod summum vtique pretium censeri debet; nam erubescunt plerumque senes, quæ adolescentes scriptis euulgârunt, & dolent multi vltimam manum & elucubrationem libris suis non esse additam. C.

A Sub idem tempus magna tempestas Africanis imminebat. Barbara piratarum manus ex Hispaniæ transmarinis partibus hostili classe Africam petijt. Octoginta millium exercitus erat. Wandali, Alani, cum Gothis mixti gentilitio more, ferarum pelles & elephantorum tergora induti nullo non genere armorum ad terrorem instructi fuerunt; qui postquam bellicosum hormum cecinerunt, ilicet Furor, Pauor, Ira (Martis armigeri) adsitas prouincias impleuêre, & igne, ferro cæteriscque prælij malis tàm atrociter desæuierunt, vt nullam æstimarent ætatem, nullum sexum; nec in sacra parsum est capita, aut loca Deo dicata exempta. Direpta passim oppida & ciuitates, soloque Africa æquata, plorabat excidium suum. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.* B D. pulsæ in exilium cum liberis matres, in prostibulum cum pudore & lacrymis virgines. Cesserunt donaria templorum in prædam, grauissimi præsules in ignominiam, templa in equiria & præsepia. Calcatæ aræ, euersæ sacræ cathedræ, fædata incendijs omnia, & ciuili sanguine Furijs litatum. Rediuiui Dionysij, Antiochi, Nerones, sacra profanis

Digitized by Google

fanis miſcuerunt. Humiliauerunt in compedibus pedes, & ferrum pertranſijt animam. E. Geſſerunt ſacri vertices liuentia crura, quibus ſupplicij cauſa fuit pietas. Iterum exules ſuper flumina aliena ſedent, & flent dum recordantur patriæ. Iterum vota concipiuntur cum Paulo, quibus liberari optant de corpore mortis huius. Super ſenes nimis aggrauatum eſt iugum in ipſa ferarum abditiſſima luſtra, in patores terræ velut aſyla confugerunt illi, & lentâ quietâque tabe mori maluerunt, quàm inter latronum licentioſam petulantiam. Qui antè nutriebantur in croceis & viuebant in latifundijs, nunc eſuriente ſtomacho miſerè colligunt ſtipem, & laticlauia mendicantium extremâ fortunâ in agris diſpalantur, mucidiq́ue panis fruſtulum rogant.

Deplorat hoc ipſum funeſto AVGVSTINVS calamo, cuius plena dolore & lacrymis prægnantia verba hic habes: *O infelicitas generis humani! amarus eſt mundus & diligitur, putas ſi dulcis eſſet, qualiter amaretur? Vos alloquitur veritas dilectores mundi, vbi eſt quod amaſtis? vbi eſt quod pro magno tenebatis? vbi eſt quod dimittere nolebatis? vbi ſunt tot Regiones, vbi tot ſplendidiſſimæ ciuitates? lugendo iſta potius dicta ſint quàm inſultando. Magno affectu iſta deputarentur ſi tantummodo audirentur; at cum oculos noſtros dira calamitas & obſidionis percuſſerit, & nunc tempore mortalitatis affligat: Mortuorum hominum ſepeliendis corporibus vix illi qui remanere videbantur ſufficerent. Tot prouinciæ in captiuitatem ductæ ſunt, ſuſtinuimus matres familias, prægnantes abſciſſas & nutrices (euulſis è manibus paruulis atq; in viam proiectis) nec vinos ipſos filios timere, nec mortuos permiſerint ſepelire .... multorum mancipiorum Domina Barbarorum ſe ſubito ſine vllo pretio luget ancillam. Sic verum eſt, propheta. Vendidiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Dura à delicatis & nobilibus matronis ſeruitia ſine vllâ miſeratione humanitatis exacta ſunt. Vnde cum propheta Ieremia dicere poſſumus: quis dabit capiti meo aquam aut oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* F.

A. *Auberti Miræi & Ioſephus Pamphilus ita ſentiunt.* B. *Sed falsò vt liquidò colligitur ex epiſtola Auguſtiniana 110. & Baronij tom. 5. Anno Chriſti 426.* C. *Vt de Hieronymo & Gregorio habet idem Baronius Anno eodem.* D. *Threnorum primo verſ. 1.* E. *Pſalmo 104. verſ. 18.* F. *Auguſtinus de temp. ſerm. 8.*

c IE Bellum ergo ex plagis vltricibus quas nocenti orbi ratum Numen immittit grauissima est, pestem famemque & vltima omnia secum pletumque inuehens, nec aliter quàm tuba iactis in castra bellica hastis, pestilitatem, incendia, vincula, & funera denunciat; vbi omnia iura naturæ, legis, gratiæ non tantum contemptui habentur, sed omnes omnino Canonum tabulæ profanis teruntur pedibus. Atque ne somitem his belli incendijs daremus, præmissa cælitus non rarò cladis futuræ & iræ diuinæ nuntia signa mittit; Prophetas, cœlum ipsum, ele-

D menta. Veluti sunt: *Quod si audieris vocem Domini Dei tui vt custodias & facias omnia mandata eius, & cæremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones.* G. *Peccauit Israel & prævaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate, & furati sunt atq; mentiti, & absconderunt inter vasa sua, nec poterit stare Israel ante hostes suos* H. *Si iustitias meas profanauerint & mandata mea non custodierint, visitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* I. *Signa faciam quæ nunquam visa sunt super terram, neque in vllis gentibus: vt cernat populus iste, in cuius es medio, opus Domini terribile quod facturus sum.* L. *Operiam cœlum, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam & luna non dabit lumen suum.* M.

Sic deliquia astrorum, cometes præter naturæ cursum subitò nati & mortui, varias quæ impenderunt clades præsagierunt. Neronis anno quarto terra tremuit, Sol in meridie defecit, persecutionis Neronianæ prodromi. Aristoteles ipse autor est, in meteoris cometas vt plurimùm futuri mali indices esse. Clades Cannensis Romanorum 44000. cæsorum à Pœnis præmonstrata fuit, per Iouem vt aiunt locutum, infantum voces ex vtero editas, serpentum volatus. N.

Nolo hic curiosius inquirere quæ fata hæc malorum plaustra Africæ inuexerint: enimuerò profundiora sunt Dei iudicia quàm vt ab homine indagari possint. Bonos malosq; tangunt pereæque afflictiones; quamuis calamitatũ fontes multùm differant. Multi plectuntur vt viam vitijs præcludant, quemadmodum Religionũ Tirones & candidatos humi prandere non raro videmus, non quod grauius quippiam deliquerint, sed ne imposterum pecent. Hippophylax iuuenam recte prius claudit, quàm effugiat equus, nec curat hinnitus cuiusuis libertatis indicinam: quin capistrum injicit, & arctius habet, ne exerret.

Sic ve-

Sic venator pedicâ stringit falconem ne auolet. Sic fulcit architectus ædificij structuram, etsi nondum ruinam minetur. Sic ferruminat murum licet nondum in patorem dehiscat. *Dedisti metuentibus te significationem vt fugiant à facie arcus.* O.

In alios flagellum suum expedit vt in notitiam sui veniant, nec viribus nimiùm præfisi audeant humeris suis imparia. Sunt enim nonnulli qui tantum sibi attribuunt, vt cum Pompeio magno facilè se Cæsares subiugaturos, totumque orbem in locatitia arma prouocaturos sperent, si vnico tantùm pede terram pulsarent; qui tamen ad solum dein' Cæsaris aspectum turpiter dispalantur. Nimirũ dum Gigantes Nanos Dauides spernunt, lapillo ex sacciperio producto fædè prosternuntur. In fortunijs nempe Deus palàm monet sortis humanæ, si viribus proprijs relinquantur. Magna equidem Piscator Christo de se promiserat: *etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* P. Hic tamen ad primas vigilias præ tristitia indormijt, fugâ primus elapsus est, ad focum blasphemè peierauit.

Tertiò nec iusti sunt eximij, quin grauiter affligantur. Frequenter & isti habent suos eculeos, ficedulas, catenas, boias quibus constringantur, carceres quibus mancipentur; non quidem ob malefacta aut noxas aliquas, quibus immunes sunt; sed vt per hanc viam ad gloriam grassentur, & orbi macta eorum virtus innotescat, quorum innocentiam tormenta tàm splendidam reddunt, quàm ignis aurum defæcat.

Alios ex alijs causis affligit Deus. Regiones tamen integras plerumque non *vnius ob noxam, aut furias Aiacis Oili*, sed ob peccata publica, schismata, hæreses, & si quid simile est; quòd, nisi animi fallor, & hîc factum est, vt passim nobis suffragatur ipse AVGVSTINVS, qui hanc orbis Africi deuastationem varijs hæresibus, quæ Regionem infecerunt, adscribit. Inferunt sectæ bellum Deo & pugnant contra cœlum; quid mirum si Deus & cœlum contra illas? Vbi semel via in prouincias patet hæresibus, & in Religionem diuinam peccatur, omnes in iniuriam rapiuntur. Tacebant tum diuina oracula, & vocum concordiæ in Ecclesijs, quibus vehementer affectus AVGVSTINVS sæpissimè dulciter plorabat, & pro suaui melodiâ

diræ deuotiones & barbaræ blasphemiæ audiebantur. Virgines sanctimoniales quas abolita licentia magno studio ad frugem reduxit Episcopus, iuuenili iterum licentiæ omniumque discriminum iniurijs exponebantur, vt difficile sit ad fidem dicere quanta impudentia & scelus libidinis regnauerit. Ex quadringentis ijsque præclaris Basilicis vix tres superstites remanserunt; Carthaginensis, Hipponensis, Cirtensis, diuino ac humano fultæ præsidio non etiam euersæ fuerunt, quamuis Hipponensis ciuitas post sui Episcopi obitum incolis destituta ab hostibus fuerit concremata. Q. O verè ergo: *nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.* Pacem quæ amicitiam, concordiam, quietem, & leges rerum publicarum in summa veneratione habet. Plutum antiqui à pace finxerunt duci, dextra, & læua tenere cornucopiam; vt Hadriani emblema loquitur. E

Gliscit opum satia, & rerum copia læta,
Pax vbi Marte triumphato viget aurea—

Chilo Græciæ sapientum vnus, pacis manui clauem natiuitatis indidit, nam prisci efformârunt pacis signum diuitias alere, & omnia à pace nasci, hinc mulierem offerentem Pluto sugenda vbera pinxerunt. Maximè autem agricultura pacis tempore viget, sic in aureis seculis ditissimi quique Agricolæ fuêre. Sic si Pontificum vitas excutias, plures reperies Agricolarum filios, si togas Imperatorum, reperies Cyrum Persarum Regem priscosque Imperatores Agricolas fuisse: vnde Fabij, Lentuli, Pisones, Cicerones agricolarum nomina triumphali dignitate honorata sunt. Sed & Sancti pacis tempore in agris inuenti sunt: certè patriarcha Noe agriculturæ vacauit. Elias Elisæum ab aratro vocauit & propheram creauit. Omitto prisca festa, Cerealia, Floralia, Vinalia, Annalia Charistia.

G. *Deuteronomij 28. versu 15.* H. *Iosuæ 7. versu 11. & 12.* I. *Psal. 88. versu 32.* L. *Exodi 34. versu 10.* M. *Ezechielis 32. versu 7.* N. *Augustinus lib. 5. de Ciuit. Dei cap. vlt.* O. *Psal. 59. versu 6.* P. *Matthæi 26. versu 53.* Q. *Cæsar Baronius tom. 5. Anno Christi 430.*

III. Inter hos turbines & vndique ingruentia mala tam Spartanæ

Spartanè durauit AVGVSTINVS, vt omnibus admirationi esset: quippe animus hominis cùm natiuâ generositate, tum cælesti fultus præsidio supra omnia aduersa se eleuabat, fuitque excelsior quàm omnia infortunia potuerunt esse, vt adeo reliqui Antistites, qui extra Hipponem colebant, ad AVGVSTINVM obsidionis tempore velut ad castrum munitissimum confugerint. R. Satius arbitrati cum illo premi, quàm absque hoc rerum potiri. Sic Marcus olim Petronius cum Catone maluit in carcere esse, quàm cum ipso Cæsare in senatu. S.

Ventus gramina terræ infixa aut altè radicata rapere non solet; paleas verò sterilesque auenas facili flatu eleuat, dissipat, aufert. Ignis in ligna sicca celeriter vim suam exerit, cæterùm in succulentis emoritur. Nihil aduersitates in nostrum constantiæ Sacerdotem potuerunt, cui illud sapientis cuiusdam apophthegma frequenter in ore: *non erit magnus magnum putans quod cadunt ligna & lapides & mortales moriuntur.* T. Nimirum in medijs tempestatibus dum mortale corpus fluctuat, æquum est vt inter pericula & procellas leuet se spiritus, auersusque à malis sursum aspiciat; nihil æstimans tutum, quidquid periculis obnoxium esse potest. Sed ad rem.

Interea temporis deuastatâ penè omni circumiacente tellure, ad ipsam Metropolim Africæ (Carthaginem) mouit exercitus, sedemque belli posuit. Quam incursionem insigniter Bonifacius Comes quidam à Romano Imperio desciscens, icto cum Gothis fœdere adiuuit. Hic ille Bonifacius est, cui in deteriùs prolabenti tam sæpè AVGVSTINVS monitis efficacissimis adfuit, vt non periret, vt non perderet, vt propositi tenax, vt futuri timens esset. V. Sed surdo fabulam cecinit; nihil Bonifacius in animum admisit, nihil à furore remisit, sed omnia infanda nefanda cum Barbaris commisit. Pronum cuiuis erit arbitrari quæ mala obsessi non tolerârint, quid militaris petulantia non designârit, cui omnia aliàs quæ lubent ferè licent. Sed ita Deo visum est. Nam quemadmodum tonitrua terrent & ex alto lethargo excitant; ita gigantum horum terrestrium

fulmina, perpetuæ strages & excidia, dum multis terrorem iniecerunt, simul vigilias salutares suaserunt. Illustrantur in auri morem, quod luculentas flammas pro lauacro habet; & metalli scoria subito ebullit & secernitur vbi vim ignis sensit; & fraces olei feruente cacabo examurcantur; & triticum cum ventilatur abijcit paleas.

In hunc modum calamitates ex humano pectore glomam vitiorum euannant; vel vbi nihil noxæ reperiunt, reddunt omnia puriora, quod perspicuè in AVGVSTINO erat videre, cui iam nota erant humana, cuique nouæ obtingere calamitates non potuerunt, quarum antea non fuerit præmeditatus acerbitatem. Non graue ille fuit omnem belli aleam, nutum, abnutumque fortunæ expectare; nam dudum vt fixus in palo orbis sagittas omnes libenter in se excepit, & ita animum ad Marpesiæ cautis duritiem obfirmauit, vt ab assilientibus fluctibus moueri non posset. Memorant de balæna: illam exerto capite in vndis marinis dormire, & contemnere si quæ circum eam agitantur procellæ. Placidè & tranquillè habuit in his prælij turbinibus AVGVSTINVS, & caput generosè super omnia aduersa exeruit, optimè callens, dura creare famam, virtutes, cœlum. Memini me legere, præoptasse aliquem onustum vinculis cum Petro in carcere esse quàm cum Paulo in tertio cœlo.

Si nihil infesti durus vidisset Vlysses;
Penelope felix, sed sine laude foret.

Ait ille, quem exilium famigerabilem fecit. Quod etiam in ephebulis adhuc Alexander iam tum magnus abundè intellexit. Parens eius Philippus belli fæmore per lanceam traiecto mærore tangebatur & pudore, & ob claudicantis cruris deformitatem. Correxit parentem filius: &, *sustine mi pater*, inquiebat, *ne verearis in publicum prodire, quo magis virtutis ingrediendo memineris.*

Accessit quòd AVGVSTINVM non latuerit iustis multa forenda, sed ferè vt ferant multa stipendia. Habent Abeles suos Cainos, Iosephi suas cisternas, seruitutes à fratribus, carceres à Putipharo, calumnias ab Herâ; habent Hieremiæ suas custodias; Danieles suos lacus & spelæa leonum; Iobi sua fimeta; Ioannes suos Herodes; quid ni & AVGVSTINVS suos hostes? Sic fatum, æterna lex, tulit, vt homines illi sedenique putent quos

tristio-

Digitized by Google

tristiores exercent casus; rarò aut nunquam cælo destinati hîc cælum habent. Prandebat quandoque Ambrosius apud virum opulentum, qui inter epulas fauorem suæ fortunæ mirè explicabat; non fuisse auditum in suis ædibus luctum; splendidum semper cælum cum eo habitasse; credere se Gratias ipsas & lubentias omnes in domicilium suum immigrasse. Timuit hîc Antistes sanctus sub tali tecto diutiùs morari, surgit mensâ & vix aliquot passus progressus, videt totam domum ab hiante terra absorberi. Hoc à suo Baptistâ didicit AVGVSTINVS, qui proinde obsidionis tempore iusta Dei iudicia præ oculis habuit, & ad quoscunque ictus exclamauit: *iustus es Domine & rectum iudicium tuum* V.

Certè idem quod olim de Dauide nonnemo, hoc ego de AVGVSTINO pronunciare possum: *sic est Dominus meus Rex* (Episcopus) *sicut Angelus Dei, qui neq; maledictione, neq; benedictione mutatur.* X. Hac animi fortitudine cæteros etiam Coepiscopos in spem erexit, & cum illis peccata populi, belli causam, deplorauit. Nec defuit plebeculæ præcocibus suis monitis, quibus afflictos recreauit, & à vanis terroribus abstinuit.

Contigit sub hunc bellicum tumultum vt illum quidam Antistes Thabenensis Ecclesiæ Honoratus consuleret: num hoste aduentante Episcopi vel Clerici suas Ecclesias deserere possent? cui AVGVSTINVS neruosè & prolixè respondit. Fugere posse Clericos, & Episcopos; sed vnà cum plebe ad loca magis munita; fugere autem non posse si maneant oues, & se se defendant; nam qui sic fugit, aiebat, vt gregi Christi, quibus spiritualiter viuit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem & fugit; quoniam non est ei cura de ouibus. Y. Vbi etiam seciùs intellecta illa verba Christi sensu saniore explicat: *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam,* Z. Sic commentatur: *quis credat hoc Dominum fieri voluisse, vt necessario ministerio, sine quo viuere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparauit? nunquid hoc fecit ipse quando portantibus parentibus in Aegyptum paruulus fugit, qui nondum Ecclesias congregauerat quas abeo desertas fuisse dicamus?* Aa. *Nunquid quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est; & effugit manus eius, deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, & non ab alijs fratribus ibidem constitutis, quod oportebat, impletum est?* Bb. Hactenus AVGVSTINVS.

Digitized by Google

R. *Baronius tom. 5. Annô Christi 430.* S. *Carcer laureatus Philippi Bosquieri cons. 1. ad finem.* T. *Baronius loco citato.* V. *Augustin. epist. 70.* X. *Secundo Reg. 14.* Y. *Lege si placet totam epist. 180.* Z. *Matthæi 10. vers. 23.* Aa. *Matthæi 2. vers. 14.* Bb. *2. Corinth. 11. vers. 33.*

IV. Fagitatus demum tot vndique imminentibus malis cùm sub mensa sermonem de hâc grauissima obsidione cum suis instituisset; subitò: *noueritis*, ait, *me nunc anxiè Deum rogare, vt aut hanc ciuitatem obsidione liberare dignetur, aut si aliter visum est ei, suos seruos ad perferendam suam voluntatem roboret, aut certè vt me de hoc nequam mundo ad se accipiat.* Cc. quod tantâ animi magnitudine & rerum fluxarum contemptu pronunciauit; vt quamprimùm omnes cum illo eius argumenti vota conceperint. Et habuêre momentum suum apud Deum preces: quippe tertio obsidionis mense liberaliter voto suo damnatus est; non quidem, quod milite eximia fuerit ciuitas, aut liberata, totos enim quatuordecim menses cincta mansit, & post, quemadmodum omnes aliæ, in hostium potestatem redacta Dd. Sed quod Deus hunc famulum suum tot laboribus pro Ecclesia strenuè susceptis, vitâ exemptum, beatitate, magna illa nimis mercede donare voluerit.

Nunc vide quisquis bene conuasare cupis, proscriptionisque litteras quas mors circumfert, & in quibus certissimò tuũ nomen scriptum est, times; quàm sanctè in vltima ægritudine sese habuerit AVGVSTINVS? per ætatem probiorem frequentes quidem hominem morbi exercuerunt, qui corpus non tantum asperè habere, verùm & animum grauioribus curis inter pertinacia studia occupare solebant; vnde viribus plerumque defectus, asperioribus ferendis, maximè obeundis transmarinis legationibus, quibus grauissimis ob singularem agendi dexteritatem; præficiebatur, non erat. Quod sæpè multis in suis epistolis conqueritur. Ee. Tametsi autem aduersa valetudo propè eneruârit, in animi tamen robur tam multum non potuit; nam quia ad salutem animæ vel maximè prosunt corporis ægritudines, quæ mortales quasi vellicant, & conditionis suæ admonent; eò frequentes infirmitates AVGVSTINVM traduxerunt, vt cogitationes illas susceperit, quæ rectè beateque moriendi curam ingenerant. Scilicet ægrotando tum demum nostri obliuiscimur, qui prosperè viuendo Dei obliti sumus.

Verum

Verùm ſicut poſt multos dies venit tandem vltimus; ita poſt multos morbos poſtremus & lethalis ſequitur. Adfuit meta AVGVSTINO ad quam currunt omnes. Febricitare incepit, & poſtquam paroxiſmus ſuis augmentis creuit, fatalem eſſe febrem facilè intellectum eſt ab eo, qui ſciuit omnibus neceſſum eſſe mori, maximè ſenibus. Ergò iuſſis valere quæ inferioris huius orbis ſunt, totus cælum ſpectabat, Deoque vt ſemper, ita nunc vehementiùs ſe commendare cœpit, ferè ad modum ignis, qui ſemper quidem lucet, ſed maximè extinguendus; ita poſtremis diebus cœperunt virtutes AVGVSTINI omnes venas, oſſa, & medullas tralucere.

Decem ante dies quàm humanis exceſſit: ſeriò iuſſit, nemo illum de cætero negotijs profanis occuparet, nec vnus aliquis ad decumbentem admitteretur; niſi ijs tantum horis, quibus aut medici ad introſpiciendum intrarent, aut refectio inferretur, vt ita orationi & lacrymis liberiùs vacare poſſet. Ff. Inter familiaria colloquia quæ ante morbum cum ſuis habuit; frequenter memorabat: etiam laudatiſſimæ vitæ Sacerdotibus committendum non eſſe, vt abſque ſcelerum expiamento, & eluitione ad æterna abirent. Mandauit deinde, vt carmina illa, quæ de pœnitentia Regius vates cecinit, deſcriberentur, & parieti exaduerſus adfigerentur, quæ quotdiebus tanto pietatis ſenſu legit, vt miris inter legendum illecebris percelleretur, & ſuauiſſimis gaudijs inter lacrymas expiatrices inundaretur. G

Videant iſtud quicunque incurij & animæ prodigi ad ſeueriſſimum iuſtiſſimi Dei tribunal abeunt. Si meritò timemus, dum cœlum tonat, dum tonitrua mugiunt, & micant fulmina, ita vt Caligulæ intra lectum caput recondant, ceu immunes à fulmine tum futuri, quando ſtricturas non vident, aut tonitru non audiunt; quanto ſanctiùs in vltimo lecto timemus breui futuram tempeſtatem in ſummo illo die, quæ tanta erit vt illius comparatione elementaria meteora & ſublunaria noſtra picta tantum nubes ſint futura? Hinc diſce longè ante per omnem ætatem æterna meditari, & priùs fleant oculi quàm cineres fiant. Dum in corpore ſumus, extra culpas ſimus, vt olim extra flammas ſimus, quas nequeunt lacrymarum maria extinguere.

Malè

Malè viuit, quisquis sine Philosophia mortis viuit, & peius ille, qui dum se victurum semper sperat, nunquam incipit viuere. Enimuerò nulli scimus quo die summus Prætor nos sit ex nomine vocaturus, & diem illum dicturus, vnde æternitas pendet. *Latet vltimus dies*, ait pius AVGVSTINVS *vt obseruarentur omnes dies.* Pauci de morte cogitant nisi dum ferro iugulus petitur, nisi dum misera efflatur anima, itura non quò vult, sed quò debet. Tum, ô mihi præteritos! O si culta foret pietas! Seria sunt vota, sed sera nimis & cassa. Semel tantum morimur. Si infantiam, pueritiam, adolescentiam cum AVGVSTINO amisimus; ô tandem in virili robore cum eodem contra vitia moueamus, & in lucro pretioque putemus, quidquid restat quod sanctiùs collocare possumus.

Nec sanctæ paupertatis oblitus est, sed quod eximiam meretur laudem, nullum hæredem scribere voluit nec triobolarem assem testamento legare: quia pauper Christum, vnde opes in alios deuolueret, non habebat. Neque ijs qui illum vel sanguine vel alia amicitiæ necessitate attigerunt vnquam etiam in Episcopatu amplos reditus aut diuites census elargiebatur; quos tamen extremè indigere viderat, illis, quod alijs egenis, erogauit, non vt diuitias haberent, sed vt minùs egerent. Porrò Ecclesiæ omnem suam bibliothecam libris nobilissimis abundè diuitem, vti & supellectilem templi veste multiplici insignem alioque ornatu pretiosam summâ curâ commendauit. Gg.

Possem hic miracula commemorare, quæ Deus per famulum suum in hâc ægritudine patrauit, sed post locus fortassis
H melius erit. Nunc paucis tantum libabo quantâ animi constantia dura omnia exantlauerit, vt meritò etiam lecto affixum schemate ego Constantiæ adornauerim. Laureatam illam & sub Apollinea Daphne spernentem omne genus sequioris fortunæ effigiant, cum hâc ferè perigraphe: *tangat iam quem velit.* Plus quàm sub Apollinea lauro constitutus AVGVSTINVS erat, quem animi erecti magnitudo vtrique fortunæ vel parem vel superiorem effecit, qui neque sublatus est à lætâ neque à tristi depressus, sed, seu cœlum riserit, seu tonitrua venerint, nunquam infractus inflexus est animus. Nimirū probè calluit, etsi splendorem solis nubes aliqua densior obuelet, non idcirco so-

lem de-

Digitized by Google

lem desiturum esse qui est, sed breui vaporum differa crassitudine lucem fænoraturum mortalibus splendidiorem. *O quam contempta res est homo*, inquit Christianè Seneca, *nisi super humana se erexerit.* P.

Aiunt in prætutæ petitione Catonem repulsam passum, obnitentibus maximè Pompeio & Cæsare quòd illum verentur velut progressibus suis impedimentum. Quid constantissimus Cato? accepit & tulit iniuriam eo animo quo alij beneficium, & vultu etiam nihil deiectus eodem die in foro pilâ lusit. Quoties spes nostro Constantio succollauit non alicuius præturæ sed magni emolumenti quod facere potuisset in sacra republica, nisi Ecclesiæ aduersarij reniſi essent? Sed super affectus & motus humanos vir mansit & patienter tulit quidquid inimicę parti indulsit superum *potestas*.

Ponè Constantiam columna est, eo quòd generosus animus non vt canna arundinea ludibrium ventis fiat, vel ad eorum vim in vtrumque latus flectatur; sed vt aduersi fati procellis non magis moueatur, quàm scopulus ab alluentibus vndis. Vt columna basi; ita vir Constans proposito innixus nullatenus dimouetur. Manum in stridentibus flammis & ebullienti cacabo impunè versat, quisquis vel factiosi Scæuolæ audaciam, vel Christiani pectoris constantiam æquat. I

Non abludit aliorum hic emblema Constantiæ. Facem pinxerunt inuersam; sed ardentem; hocque maiorem flammam & lucem eijcientem cum simili adscriptione: *Vires inclinata resumo.* Ita est. Lacessita virtus accrescit, roborisque augmentum capit ab ipsis difficultatibus.

Si quis ex me quærat, quidnam potissimum tam ferreum aduersus omnia effecerit AVGVSTINVM? huic ego respondeo principem fuisse causam quòd compertum habuerit omnem omninò afflictionem; flagella omnia nostris tergis ingeminari à manu diuinâ, & nihil adeo nostrâ interesse quotum operâ immittantur clades; an miseras propriâ Deus, an verò alienâ & vicariâ manu immittat; an ministeria malorum an bonorum nos exerceant. Attulerint animos nocendi instructissimos Wandali, & extremè Christianum nomen oderint; non possunt tamen vltra potestatem sibi concessam sæuire;

nec vni-

nec vnicam plagulam superaddere, quam non concessit Deus. *Sæuiant* inquit AVGVSTINVS *quantum voluerint, & quantum permissi fuerint peccatores: confirmat iustos Dominus, quidquid acciderit iusto, voluntati diuinæ deputet, non potestati inimici. Quid ergo sibi plaudit iniquus, quia flagellum de illo fecit pater meus? illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. Nec attendere debemus quantum permittat iniustis, sed quantum seruet iustis. Facit hoc Deus, quod plerumq; facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortasse qualecunq; sarmentum, cædit inde filium suum: ac proijcit sarmentum in ignem, & filio seruat hæreditatem. Sic Deus de hominibus malis exercet nos, & de illorum insecutionibus erudit nos. De malitia mali flagellatur bonus, & de seruo emendatur filius. Sicut enim malis obest bonitas iustorum, sic bonis prodest iniquitas impiorum. Quod si cæperit tibi subrepere voluntas humana dicens: o si occidat Deus inimicum istum meum vt non persequatur! o si posset fieri vt non ab illo paterer tanta! iam si perseueraueris, & hoc tibi placuerit, & vides quia hoc non vult Deus, prauus corde es. Et qui sunt recti corde? qui sic inueniuntur, quomodo inuentus est Iob qui ait: Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit sic factum est, sit nomen eius benedictum.* Hh. Hæc noster iam olim se ad patientiæ gymnasium instituens, nec reueritus est aduersariorum in se suosque potestatem, quam sciuit plus nocere non posse, quàm Deus velit & concedat; vt ita vanè & fatuè mortales sortem suam accusent dum contra Dei voluntatem à se pœnas exigi conqueruntur.

Quærit Plutarchus cur Magistratuum virgæ securibus alligatæ inter ornamenta præferantur? an quia oportet Magistratus iracundiam non dissolutam esse, sed cohibitam? an, dum fasces virgarum dissoluuntur ad plectendum, morâ intercedente ira infringitur & moderatur? an, vt vindicta tarda veniat? ex arbore autem Betula hæ fiebant virgæ, quæ candore & tenuitate præcellit, lentissimaque est. Ii.

Alterum quod magnos animos ad ferenda quæque patienter ingenerauit animos AVGVSTINO fuit, purus labe animus. Scelerum exortes, patibulum, ferrum, ignem non timent, securi & conscij summo die iter ad superos vijs eiusmodi pandi. Trepident ista quos redarguit domesticus ille Iudex rodens vermis & syntereſis. Inuitè latâ mortis sententia rei è carcere procedunt. Alij vltrò ad mortem & tormenta eunt, quos virtutes præeunt & sequuntur.

Denique

Digitized by Google

Denique illud etiam magnam animi alacritatem iniecit quòd non ignorauerit nobiscum ferè ceu cum iuglandibus arboribus in via publica consitis comparatum esse; fustibus lapidibusque petuntur ab omni parte, nec parcunt viatores in arbores, sed infestis ictibus salutant. Sed quid? ideonè arbores sterilescunt, aut vis eorum emoritur? imò potiùs maiores indè protuberant fructus postquam viatores transierunt. Sic tenaces propositi boni perdurant & æquo ferunt animo, gnari, qui petunt nostrosque conuellunt ramos, viatores esse citò transituros.

Cc. *Possidius in vita Augusti.* Dd. *Georg. Vvitvveiler in vita eiusdem cap. 29.* Ee. *Epist. 56. ad Dioscorum, epist. 217. ad Victorinum, epist. 149. ad Profuturum.* Ff. *Possid. in eius vita cap. 23.* Gg. *Possid. prope finem.* Hh. *Augusti. tom. 8. in Psalm. 21. & psal. 36. 73. 93.* Ii. *Plinius lib. 16.*

PERIOCHE ICONIS DECIMÆNONÆ.

I. MORITVR SANCTISSIME AVGVSTINVS. II. VT MORERETVR NATVS EST. III. LVGENT ILLVM SVMMI, INFIMI. IV. Et parentant maximâ pompâ.

I.

HOminem vitæ commodatum non donatum esse, rectè Seneca docet: & cum eo retrò denata, & post denascenda ætas, longo præcedentiū Ordine, longo sequentium. Nec flendum est mortales mori, nisi illis qui malè vixerunt, vt æternùm morerentur. Vixit AVGVSTINVS semper vt moriturus, ideò semper vt bene moreretur, vixit. Vt in bello, tametsi hostis abest, continuæ tamen excubiæ vigilant; ita impenosum semper mortis ictum timuit, quem tandem etiam sensit. Aderat iam tempus supremum, quo animus eius diuinâ origine haustus ad sedes suas & cognata sidera abituriebat, nec sortem omnibus comunem priuatis accusauit querimonijs, sed lætus decretoriam expectauit horam, quam plerique tristes & luctuosi operiuntur. Quippe ni lætus? luctatus hactenus veluti Iacob cum Angelo in tenebris mundi auroram tandem videt quæ nescit occasum. Tot fluctuum decumanis ac turbidis procellis defunctus Nauclerus ad littus appellit, in quo naufragium facere nemo potest. Tanto anhelitu, stadio decurso brauium bonus athleta manu porrectâ prehensat, quod maius est quàm sperare vllus potest. Tot illustres palmas triumphato & fuso hoste Heros vendicat, & non gaudijs pectus effundat? non anhelet vt rude à Prætore donetur? non cupiat mixtum humani diuiniq; solui, & corpus terræ, vbi inuênit, & animum cœlo vnde vênit, reddere?

Infernus quidem mille artifex inuidiæ gliscentis flagrans, omnes



DVLCE MORI SANCTIS MORS VNDIQVE CERTA MINATVR
HORA, INFELICES EVIGILATE, LATET.

I.W. Sch.

Digitized by Google



Digitized by Google

omnes dolos & insidias cudit perdendi & in vnicum superbiæ typhum erigendi AVGVSTINI, quemadmodum in suprema A ferè luctâ solet; sed incassum: modestissimus enim sui æstimator licet maxima in Deum hominesque esset promeritus, & clarè nimium virtus eluxisset, nullam tamen exinde laudem petebat; sed mentis acie in Deum missâ totum, quidquid adoreæ erat, eidem vni adscripsit.

Videant alij sua, aut per aquam aut tubum opticum, vbi omnia maiora se ipsis apparent; abstinuit modestissimus sui æstimator AVGVSTINVS ab omni complacentiæ speculo, suisq; quantumuis magnis virtutibus metuit, ratus timendum hîc, quidquid timeri potest. Quò propiùs mors abfuit, hoc calidiùs Deũ anhelauit; iam inter calidas lacrymas piaculares preces numerabat; iam cum Deo cælitibusq; suauissimè colloquebatur; iam suas noxas magno suspirio coram confessionũ suarum arbitro recensebat; iam excessum suum cum animi excessu inter gaudia memorabat: *Si nunquam, bene: si aliquando, cur non modò?* iam suos qui lectum ambiebant ad omnia virtutũ decora grauiter exhortabatur. Atq; hæc pia exercitia illac tenùs continuauit, dum integris deniq; sensibus, & renidente vultu inundans cælestibus delitijs inter serenæ mentis indicia spiritum suum ter beatum fæliciter cœlo transmisit. Narrat Petrus de Natalibus à quodam Religioso per extasin visum ad cœlos euolare, piè AVGVSTINVM. A.

Volat ergo anima, tenebricoso corporis ergastulo absoluta ad lucem illam inaccessibilem, & exempta tot malis ad æterna gaudia; desertis hominibus ad beatos spiritus; illic in Trinitate clarè visura, ad quod hîc in ænigmate per speculum caligante obtutu halucinata est. Charites cælestes, Virginei Daduchi cum B ardentibus facibus obuiant, & ad cœnam nuptialem officiosè introducunt, oleumque in lucernis sponso Deo ostendunt; oleum illud, aio, sanguineum, quod in venis AVGVSTINI ita exarsit, vt mirum fuerit non conflagratum esse hominem. Cede AVGVSTINE de tuo nobis oleo vt lucernas implere, & flammas ignis diuini alere possimus, dum spiritus ignis intus alit.

Ordine te Virgines cum lucernis excipiunt, qui à S. Paulino lucerna ipsa nominatus es; ita enim te cõpellat: *O lucerna dignè sup*

candelabrum posita, quæ latè Catholicis vrbibus de septiformi lychno pastum olei lætitiæ lumen effundens, densam licet Hæreticorum caliginem discutiat, & lumen veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici luminis enubilas C.

E Adsunt & Cælites aureolarum diribitores, quas & magnas & præclaras meruit AVGVSTINVS. Etenim si numerat Deus demeritis suas plagas (sic Mercurius Ægyptius, & Plato in Gorgia aiunt: animam nocentem suis insignem esse flagitijs) quid ni potius virtutibus sua præmia? apud Romanos cuidam Duillio propter operam præclarè nauatam S. C. concessum præter sellã currulem, vt quoties à cœna rediret funale præferretur, & tibicen præcineret. Ita vixit AVGVSTINVS, vt ab hâc mundi cœna abiens Angelum meritorum præconem habuerit, qui & facem præaccendit viarum ducem, & abducẽ in patriam lucis æternæ.

A. *Petrus de Natal. lib. 7. c. 128. Apud Ludouicum de Angelis in vita Augustini lib. 7. c. 3.*
B. *Didacus de Lauega Dominica 13. post Pentec.* C. *S. Paulinus epist. 31.*

II. Mortuus est itaque AVGVSTINVS? ita. Et ipsa astra moriuntur, sed statis temporibus reditura. Neque planctum & querelas miscete; huc enim nascimur, vt abiectâ mortali pelle æternis induuijs decoremur. Atque hoc mortis itinere grassamur ad vitam. Non adeo miserum est mori, vt mortales quidam somniant; nam in exilio hîc degimus, vnde exire nisi insanus non vult: & ipsa vita partus in mortem est; imò ipsa mors sanctorum partus in vitã. Hûc nascimur, & vbi vasculum illud, arenulâ per foramen minutatim defluâ, horas vitæ nostræ dimensũ fuerit; vbi clepsydra stillicidio exhausta est; haurit mors pectus, & vitam exhaurit, vt ita ad clepsydram non tantum dicamus, sed & viuamus & moriamur; vt ita vita nostra labatur more fluentis aquæ. Tuum erit videre quomodo horas colloces, an in serias & res necessarias, an in ludricas & inutiles impẽdas? Nam ignoras vtrum ad auroram, vtrum ad meridiem, denique vtrum ad solis occubitum sis cubitũ iturus; priùs non surrecturus inde, quàm tecum vniuersa mortalitas excitetur; an inquam in infantia, pueritia, adolescentia, an in virili ætate, an in senectâ, gutta vltima clepsydræ sit defluxura.

Non omnes septuagintà ex annos cum AVGVSTINO proiuuunt; dabo tamen ad vltimã te senectutem peruenturũ, longumne tu æui tempus existimabis, qui æstimatione nocturnæ quietis

quietis dimidio ſpatio vitæ tantum viuis, & dimidio dormis? qui non viuis annis infantiæ quibus rationis vſu careſ; qui vix viuis in ſenectute, vbi ſenſus hebeſcunt, membra torpent, viſus, auditus, inceſſus præmoriuntur.

Rari integris ſenſibus ad ſupremum vſque anhelitum durant, vt ſupra naturam duraui AVGVSTINVS. Præter hæc omnia tempus illud vitæ quod reſtat exiguum, ferè perditè terimus; quippè quod in virtutum exercitio conſumendum eſſet, pleriſque delitijs conſecrant, quæruntque varias oblectationes quibus dies noctesque ſibi longas conſumunt. Sed hoc F
eſt clepſydram frangere, quaſi nati ſimus inueniendæ rationi, perdendi temporis, cuius iactura irreparabilis eſt. Omnium rerum recuperatio eſt, nulla temporis.

Poſt vitam Deo incœptam; horas quas alij animi relaxationi dant, ſubciſiuas furatus eſt AVGVSTINVS. Quæſtum maximum ſe feciſſe tum ratus, quando tempus delectatiunculis dandum defraudaret. Satiùs ad clepſydram ille vixit, qui G
fælicitatem vitæ non in annorum longitudine, ſed vero temporis vſu conſiſtere intellexit. Illo bene vixit, quiſquis ſe M
cras cinerem & fauillam futurum credit, & acutiori oculo hominem ærumnæ ſpectaculum mortiſque veram imaginem frequentius perpendit.

Quære ex Hippocrate medicorum principe quiſquis ſpes longas fido animo præcipis, quid de vita ſentiendum? & docebit innumera in homine mortis ſigna, ſaluis, ſecuritatiſq; nulla. *Nonne fragiliores ſumus*, ait quodam loco AVGVSTINVS *quam ſi, vitrei eſſemus?* vitrum etſi fragile, tamen diu durat. Quoquouerſus hominem aſpicis, obnoxium mille mortibus reperies. Vides toto H
corpore vitiliginis infamiam & elephantiæ ſcoram? vides in membris arthritidem, podagram, gonagram. Vides læſum, à natalibus cæcum, lingua & auribus captum, clumbatum, tot vt verbo dicam, miſer homo mortis genera in corpore circumfert, quot artus, venas, arterias. Miſer homo in ſella mor- I
talitatis ſedet, quatuor pedibus infidè ſuſtentata. Infeſtant elementa quatuor, quatuor ipſi vt vocant humores vel leui exceſſu quantum malum creant? vt plus quàm verum ſit: *vita hominis velut à texente ſucciditur*. Sed dabo optimâ temperie vt viuere, Quot

violenta morte pereunt? quot cum Lucretio philtrum amatorium bibunt, insaniunt & pro remedio gladio vtuntur? quot cum Palinuro in mari, cum Iagis in igne, cum Aueolycis in patibulo, cum latronibus in rota spiritum infelicem excludunt? in Venere Gallus Praetorius, in multipotione Lucius Darius, Vallamedicus, gaudio Chilo, pudore Diodorus philosophus. D. Infinita funerum multitudo est, vt ita homo merito sit *imbecillitatis exemplum, temporis spolium, Fortunae lusus, calamitatis trutina, pituita & bilis.*

L. Verùm morbi & funera & casus repentini, quid nisi sunt quàm excubitores nocturni & campani aeris sonus clarissimus, singulis horis admonens ad salutares vigilias, vt omni tempore in statione inueniamur parati, qua noscunque hora vocant Deus ad tumulum currere. Ascendit furtiuo & lanea pede *Mors* per scalas, dum in orbem conuiuia cum filijs lobi instituimus, dum omnia alia quàm mortem cogitamus, repentinus venit interitus. O mortis obliuio, quàm mortem aeternam generas! Vmbra sunt, ferrum, restis, secures, rotarum radij. M. Viuens apud infernates aeternùm morieris, & moriens aeternùm viues. Optabis vt ferrum hauriat iugulum, non hauriet; vt restis spiritum intercludat, non intercludet; vt rotae crura frangant, non frangent; nec te secures, securum tormentorum facient. *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur.* E.

Somniant Caluinus & Beza: non esse verum apud inferos ignem, aut alia tormenta quae damnati spiritus patiantur, & dicant damnatos apprehendere tantùm Deum irarum, non reipsâ experiri; scimus tamen verè Christiani & verò timemus ignem succensum esse & ardurum vsque ad inferi nouissima. F. Scimus Deum plauturum super peccatores laqueos, scimus ignem, sulfurem, spiritum procellarum partem calicis esse eorum. G. Casuros super eos carbones sed in ignem deiciendos. H. Dolores fore vt parturientis. Quin adeo gentes lumine naturali intellexere, eos qui sceleribus viam inquinârunt, à Furijs raptandos in Erebum, & animas damnatas à viris ignitis ad supplicia damnari. Certè Plato in Phaedone in gremium terrae omnes labes mundialium sordium confluendo & ibidem desidendo exhalare affirmat. I.

Negent

Negent Athei pœnas vel pœnarum inflictores, & dicant: animam mortalem. Dicat Origenes; impiorum animas Dæmonumq; ſpiritus poſt aliquot ſecula liberandos, atque, quando per ignem & ſupplicia fuerint expiati, fœlicitati & luci Angelicæ eſſe reſtituendos: Nouimus tamen damnatos introituros vſque in progenies patrum ſuorum & vſque in æternum non viſuros lumen. L. ituros quoſdam in ſupplicium ſempiternum; alios in vitam æternam. M.

Fœliciori illi ſorte viuunt qui ſeriò perpendunt vitam hanc mortalem eſſe, trutinam, quæ cuiuſque opus quantum ſit, oſtendet. Qui omnia ſua ad æquitatis & iuſtitiæ diuinæ libram appendunt, illi demum viuunt. Qui norunt vitam noſtram eſſe ſpectaculum, ipſi cœlo ad ſpectandum effuſo; eſſe nauem quâ ad portum cæleſtem tendendum ſit; eſſe viam ad beatam patriam, vbi animæ beatæ ſupra ornatiſſimas imagines cultæ, quæ berillos in digitis, margaritas in auriculis, gemmas in collis, adamantes in tunicis habent; vbi animæ lætâ perpetuùm facie totius cæli ebriæ, omnis mœroris & calamitatis oblitæ, ſicut ſolare aſtrum fulgebunt. Cedet ibi antiqui Sacerdotis Vrim & thummim, M non ſplendebit præ his aſteriſmis radio bifido vertex Moyſis; præ his ocellis nil oculi columbæ apricantis ſe propter limpidam. O cum Catullo naſus fieri, cum Argo oculus, cum Myda auris volet ille, quiſquis odores indicibilis fragrantiæ, & æternæ dulcedinis voces, & ſplendoris deifici lumen olfaciet, audiet, videbit. Vt ſpeculum à formis, quibus obuertitur, imagines recipit; ita anima beata à Deo quem inconniui obtutu ſpectabit, quidquid deliciarum vſpiam eſt, recipiet. Ibi ibi cum Vate pſalte exclamabit: *Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum*; ibi velut per aërem Deum laudando alauda aſcendet AVGVSTINVS, & celeuſma illud repetet: *Si Deus eſſem vt ſum* AVGVSTINVS, *tecum dignitatem commutarem vt eſſes Deus, ſicuti es; & ego* AVGVSTINVS *vt ſum.* Sed ad rem.

D. *Franciſc. Petrarcha de remedijs vtriuſque fortunæ.* E. *Marc. 9. verſ. 45.* F. *Deuteronomij 32. verſ. 22.* G. *Pſalm. 10.* H. *Pſalm. 139.* I. *Xenocrates & Plato in Phædone.* L. *Pſalm. 48.* M. *Matth. 15.* N. *Petrus de Palude ſupra citatus.*

III. Tetigit mors AVGVSTINI grauiter multos, & viſa eſt res Chriſtiana cum hac columna ruere; adeo Antiſtites & Ma-

gnates plerique omnes consternati sunt. Sed domesticos praecipuè luctus occupauit, qui lacrymis proinde & affectibus pie habenas laxârunt; nam quocunque oculos verterunt, doloris argumenta obseruabantur. Videbat alius libros, & tantum ingenium dolebat sepeliri; alius sacram tiaram, & tantam sublimitatem sterni; tertius pedum pastoritium & tam vigilem ouium obseruantiam nunc denique conniuere. Sed his solatio fuit quod finis mortalitatis in sanctis hominibus principium sit felicitatis; nec, vt exhortatur Paulus contristandum sicut cæteris qui spem non habent. Ita quidem domestici.

Externorum integrum agmen recensere hic possem, qui parenti nostro & calamo & lacrymis parentârunt. Aliquos in medium afferam. Victor Vticensis cum agit de clade Wandalica: *Illud eloquentiæ*, inquit, *quod per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipsum metu siccatum est flumen, atque dulcedo suauitatis dulcius propinata in amaritudinem absinthij versum est. Sic moritur Sacerdotum gloria, & rarum decus, Doctor doctorum, pauperum subsidium, sapientum acerrimus defensor, lumen orbis! Ita magnus verbi diuini praeco obmutescit, ita iacet inuictissimus Antagonista haereticorum, qui gladio doctrinæ succrescentia capita hydræ amputauit, sic Sol doctrinæ occidit, phœnix summæ sapientiæ rogo cælestis roris combustus est, & gemma Doctorum preciosa ex fimeto in cælum asserta!* O.

Eâdem tempestate venerunt à Theodosio Imperatore litteræ, quibus AVGVSTINVS humanissimè inuitatus est ad Ephesinum concilium, vt anathemate Nestorius feriretur. Placuit quædam exscribere. Post multa AVGVSTINO data encomia sic habet: *Nunc igitur te, qui rebus in omnibus lumen es orbis Christiani, quique idem terros es & hostis haereticorum, qui sub oculis tuis comparere verentur: te inquam rogamus quam possumus studiosissimè, vt Ephesi te sistas, qua in vrbe locus est concilio quod habebitur designatus. Ita nimirum dicere poteris, te omne vitæ tempus quod reliquum est, sicut & elapsum, in gloriam & honorem Domini nostri Iesu Christi liberaliter expendisse, cui debemus vitam, salutem & quidquid ab eo aliud habemus, non velut proprium aut iuris nostri, sed tanquam ab eo mutuatum & acceptum. Non te absterreat mare, non longitudo itineris, non res quæcunque; totum enim id oportet ferre constanter in hoc pio inolimine: cuius finis quia optimus est, ad se nos inuitat;* & post paucula: *commendamus imperij nostri cuncta negotia vestris orationibus; merita enim tua apud Deum perspecta nobis sunt, & quantum polles apud individuam Trinitatem.* P. Ita verè semper Augustus Imperator Theodosius: verùm vbi Imperatoris legatus Ebagnius Magistrianus Carthaginem

ginem appulit, intellexit à Capreolo Episcopo, quâ ratione Ecclesiæ columen fatis concesserit, & vitam hanc cum fæliciori commutârit; quo nuncio tanto doloris sensu perculsus est legatus, vt publicè in lacrymas proruperit; vehementer conquestus quod tantis itineribus susceptis (Constantinopoli Carthaginem itineris intercapedo erat) & tanto videndi AVGVSTINI desiderio aspicere illum non potuerit, qui sui nominis famâ totum orbem impleuerit. Quin Imperator ipse cum à reduce Ebagnio tristissimum hunc obitum audijsset, grauissimè indoluit & illacrymauit, non aliter quàm orbi ruenti in hoc strato.

Scribit Liberatus quòd ob mortem AVGVSTINI totus pænè orbis velut ob propriam luxerit; & quod ore omnium *Virtus, eruditio, zelus & amor* decantata & laudata fuerint. Ex iustis funebribus res magis clarebit.

O. *Victor Vticensis lib. 1. de persecut. Vandalica.* P. *F. Hieronymus Romanus lib. 15 hist. August. cap. 33. apud Georgium Vvittvveiler. hic.*

IV. Porrò funeralia tristi choragio pro dignitate tamen Episcopali maturè peracta sunt; iustitioque domuatim indicto publicus mæror totam subitò ciuitatem ita perculit, vt omnes non AVGVSTINI, sed suum met funus comitari, & ducere persuasum haberent; adeo iacebant plerique cum mortuo suo pastore afflicti, tædasque quod credam, ardentes ruentibus affatim lacrymis extinxerunt. Ducebant funus non aliter quàm Ephesini suum Paulum ad nauem, vbi magno fletu ruebant ciues in collum abiturientis Magistri, dolebantque maximè quod faciem eius non essent amplius visuri. Q. Ita pariter in exequiali hoc itu nil erat cernere nisi tristitiæ facies. Quidquid arsit in cereis, amoris incendium fuit; quidquid fluxit ex oculis, imber pietatis fuit. Ostendit nigror vestium, solis Africani quem Deus in AVGVSTINO subtraxerat Ecclipsin.

Quippe ni fleuissent Hipponenses? non triennio tantum vt Paulus pro suis Ephesijs, verùm triginta sex annis quibus in Episcopatu vixit, noctu diuque pro suorum salute apud Deum intercessit. Quippe ni fleuissent? summâ diligentiâ ignaros fidei instruxit, summâ patientiâ refractarios tulit. Gemant sub aratri pondere tauri, rumpant nocturna silentia & quietem vigiles galli, cantuque ignauos Endymiones sui muneris admo-

neant,

Digitized by Google

neant, sedulò in antra sua velut horrea deroso germine grana formicæ inuehant, nihil omnia ista ad diligentiam AVGVSTINI. Ille denique æstum & pondus diei tulit, qui tot iuga imposita humeris sensit, quot hæreses erant. Ille mihi vigili oculo excubauit, qui vt generosus Leo, ne quà pateret lupis accessus, apertis dormiuit oculis. Ille mihi cum fœnore laborauit, qui in horreum cœleste tot virtutum grana præmisit, quibus consumendis mille AVGVSTINI non sufficerent.

Doctis Ægyptijs symbolum laboris caput bouis est. (Capiti laborioſi huius bruti robur omne inest.) Bos & AVGVSTINVS fuit qui ita mugijt vt etiamnum perculsi hæretici hunc mugitum fugiant, & quamuis omnes neruos in Dei obsequiũ impenderit, capite tamen præcipuè & ingenio laborauit. Et ille flagellum perpetuò gestauit, quo se, sicubi cessator erat, alioſque suæ curæ demandatos velut tarda pecora propulit. Et ille palâ terram inutilem effodit, excoluit. Væ tibi si in sudario mnam tuã reponis, vel in velo impudicæ Thaidis, vel in murice superbientis dignitatis, vel in obtuso sacculo insatiabilis auaritiæ. Adsidebit Deus sigmati, & omnibus tuæ farinæ similibus adcitis, quibus copiosum fœnus ad rem numariam concessit, iubebit tabulas expensi & accepti proferri, quæretque quid lucri feceris. R. O fœneratorem AVGVSTINVM! respondebit hic: *Domine mna tua decem mnas acquisiuit.*

Cicero audito fratrem petere consulatum, in hanc sententiam ei scripsit: *Peregrinus es mi frater, consulatum petis?* S. Innuere Tullius voluit consulatûs dignitatem magnam esse, & magnis eò veniri laboribus, præcipuè à non municipe. At quanto maior cura & labor adhibendus ei qui cœlum petit? peregrinus es mi homo, cœlum petis, non est crede mihi mollis ad astra via; cum AVGVSTINO sub petaso stramineo sudandum erit, laborandum, in futura prospiciendum.

P Verùm & multa ferenda sunt demisso capite patienter. Stygius veterator magnis conatibus virtuti obnititur, & ingeniosus per instrumenta sua affligit. Sed cuiuis dolori remedium est patientia, hæc triumphat omnia. Mulierem parturientem bestia deuorare conata est, patientiâ mansit illa illæsa. T. Quin palma

Digitized by Google

palma ſub onere preſſa aſcendit. Nauis ad onera ferenda nata, maris tamen domina inter fluctus procedit.

Perſuaſum habuit AVGVSTINVS quod Socrates inſignis patientiæ Philoſophus. Hic ictu calcis à quodam percuſſus tranquillè tulit; quod cùm alij ægrè ferrent, monerentque vt ſe vlciſceretur: *Si meus* reſpondit *me aſinus percuſſiſſet, num ſane in quadrupedem recalcitrare deberem?* ita mi Socrates; à Deo veniunt flagella, quid niſi nudo & prompto tergore expectanda? ſeu ab inferâ phalange, ſeu à ſuperâ in nos poteſtate deſæuiatur æqui boniq́ue ferendum, nam vbiq́; Deus ſæuit, quamuis alienâ manu.

Porrò corpus AVGVSTINI humatum eſt ſatis amplo conditorio in ſancti Stephani, vt viuus præceperat; Cuius ſanctitatem mirificis Deus rebus illuſtrauit, de quibus ſuo loco.

Cæterùm iam tempus poſceret, pijs eius manibus panegyrim ſcribere, niſi rerum geſtarum, & magnitudine & multitudine obruerer. Ponat alius Epitaphium, non ea vis mihi, etſi voluntas; quidquid enim dicturus, ſcripturus, ficturus ſum pro meritis nunquàm ſatis fecero, fax accenſa ad ſolem erit, mera infantia, nihil ad AVGVSTINVM erit. Vtinam ſuum Homerum etiam hic inueniret Achilles. Sed quid in votis hæreo? preciosa vina hederis opus non habent; ſcripta eius nobis tacentibus ſatis loquuntur, quibus ille æternum nomen eſt conſecutus. Et quamuis teſte Poſſidio viuum ac loquentem audire AVGVSTINVM, multò ad profectum efficacius fuerit, v. ex ſolo etiam calamo, mutoq́ue Magiſtro abundè colligere, eſt, quantus qualiſq́ue fuerit, vt non incongruè hoc ego Epitaphium etiam ponam quod ſibi poëta quidam:

Viuere poſt obitum Vatem vis noſſe Viator?
Quod legis, ecce loquor; vox tua, nempe mea eſt.

Profectò viuit & loquitur AVGVSTINVS hodieq́ue clariùs quàm olim Hippone: quippe vt nihil dicam, de vita in cœlo meliore; maiori in pretio apud poſteritatem habetur, quàm dum ſuperſtes eſſet; vt ferè bona omnia poſtquàm amiſimus, ſuo demum pretio & amore æſtimamus.

Quantæ autem nunc auctoritatis ſit, docent Eccleſiæ tam noſtræ quàm hæreticorum; dum quælibet AVGVSTINVM in ſuas

in suas trahere partes contentè laborat; & sicubi doctor iste prò aliquâ pronunciat, herbam illa continuò ab hoste postulet. Ita, qui viuum in ciuitate aspicere noluerunt, nunc mortuum in libris quærunt, cuiusque nomen in exilium relegarunt, nunc cum honore reuocant, & omnem honorem ab olim exule sibi vendicant.

Quantis dissidijs literati abeunt, dum tot librorum parenti, verum partum magnam partem deprauatum in integrum restituere, & quantum AVGVSTINVS pseudologis distet, censorio calamo indicare tentant? indignum tanto ingenio rati, si sapientiam, eloquentiam, huius illiteratior aliquis aut funestet, aut denigret. Nimirum ingenia laborant omnia, vt ingenium tantum intelligant. Etiam ipsæ sacræ togæ bellum mouent, dum omnes suo instituto hunc ferè parentem deposcunt. x. Sed desinant contentionis studia, & partes non ament qui totum AVGVSTINVM amant. Denique doctæ in Academijs & sanctæ in templis cathedræ illum deprædicant quâ possunt amplitudine, ceu fidei lumen & Reipublicæ Christianæ columen.

Atque hanc honoris aduersam Deus AVGVSTINO concessit, qui libros etiam illius in medijs incendijs ab omni flammâ eripuit. Notum est enim post sanctissimi præsulis mortem aliquot annis Hipponensem ciuitatem à furentibus Wandalis ijsque Arianis fuisse exustam, libros tamen AVGVSTINI totamque bibliothecam sartam, tectam mansisse, angelicâ vt creditu dignum est vallatam custodiâ. Ita custodit Deus quæ eius maiorem concernunt gloriam, maximè si omnibus & singulis actionibus coronidem diuini honoris apponemus. Nil aliud ingenium, lingua, calamus spectabat AVGVSTINI quàm Dei Optimi Maximi honorem, proximique bonum. Soli vnicè Numini sua omnia minutatim consecrabat, vnde in confessionibus suis inter alia sic loquitur: *Domine Rex meus & Deus meus, tibi seruiat quidquid vtile puer didici; tibi seruiat quod loquor, & scribo, & lego & numero.* Y. Quæ autem scripserit operosum esset recensere Mille triginta libros, tractatus, Epistolas numerat Ado Treuirensis, exceptis quæ numerari non possunt, eò quod prius interierint, quàm ad manus alterius peruenerint.

Vide

Digitized by Google

Vide tomos AVGVSTINI decem, Indiculum Possidij, Louanienses, Alios. z.

Q. Actorum 20. vers. 37. & 38. R. Luca 19. vers. 17. S. Marcus Tullius Cicero in epist. ad Atticum. T. Apocal. 12. V. In August. vita. X. Vide Monasticon Augustinianum Nicolai Crusemi. Y. lib. 3. Confess. cap. 15. Z. Vide Ludouicum de Angelis in vita Augustini lib. 5. cap. 8.



Z PERIO-

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS VIGESIMÆ.

I. CORPVS B. AVGVSTINI E SVA CIVITATE IN SARDINIAM TRANSFERTVR. II. INDE TICINVM OPERA LVIDPRANDI LONGOBARDORUM Regis. III. Causa cur locum toties mutauerit. IV. Liberalitas & pietas pientissimi Antistitis.

I.

MIrari subit quoties in mentem est cogitare, infensos & capitales hostes Antistitis Hipponensis non cum ipsa vrbe eiusdem quoque corpus inibi humatum defædâsse, sed præquam speres hostes clementer cum illo egisse; Wandali quippe, qui ciuitatem deuastârunt, fuêre pleriqué omnes Arriani, quos AVGVSTINVS tamen mirè in viuis exagitârat. Venissent lipsana ista, in potestatem nostri temporis sectariorum, iam pridem impij lepores in mortuum leonem armassent manus, & cum Caluinistis has nobiles margaritas vel canibus proiecissent, vel ignibus exussissent, vel aquis immersissent, quemadmodum fecêre cum corporibus Hilarij & Martini sanctorum Præsulum quos infernali insaniâ rogo tradidêre & cineres in aquam sparsere. A. Sed ea fuit bonitas Dei vt hunc furorem non indiderit Arrianis; placuit enim hæc ossa in patranda miracula reseruare.

Post excisam itaque vrbem intactum mansit Reuerendum Pontificis corpus; sed quot annis inibi fuerit, non adeò apud omnes certum est. Quidam volunt quieuisse quinquaginta sex annos, alij septuaginta & vnum; secundum Baronij computationem septuaginta quatuor. B.


Sub



CVR PATRIÂ PEREGRINVS ABIT IAM MORITVVS EXVL?
NEMPE PATRIS PATRIAM FVGERAT ANTE FIDES.

Joannes Wanderveen Sculpsit.

Digitized by Google



Digitized by Google

Sub annum ergò Christi quingentesimum & quartum, postquam crebris miraculis Hippone sanctitatem suam ostendit, inualuit postliminiò barbarorum vesania; quæ cum totam Africam attereret, etiam in Hipponenses truculenter desæuijt, ita vt non tantùm sacra sceleste omni inuerso iure prophanarentur, sed verò sacrati omnes Antistites, paroeci atque Ecclesiastæ damnati in insulam pellerentur. Sardinia ea fuit. Iussu Regis Trasimundi ex diuersis Africæ agris Episcoporum adibant ducenti viginti, seu vt alij malunt, viginti quinque c. cum numerosissimo clero, Magnatibus, Infimatibus sine numero & ordine. Ex his patriâ extorribus præcipuè sanctitatis nomine fulgebat D. Fulgentius, qui cum videret nullam spem Ecclesijs reliquam esse (vtpote conuulsis earundem fundamentis Episcopis) statuit cum nonnullis aliorum diuorum cineribus, etiam corpus Beati AVGVSTINI totius Africanæ Ecclesiæ nuper Magistri & Hipponensis Episcopi secum deferre; ne gemma illa ab immundis porcis pollueretur; quod & intempestâ nocte, vt licuit, naui silenter intulit, vnà cum sacri verticis ornamento, pontificiâ mitrâ, pedoque pastorali, & in Sardiniam secum transportauit.

Si in excidijs ciuitatum Ethnici fugâ elapsi suos secum accepêre Penates atque hoc se furto religiosos crediderunt, vt coram matre sua Venere Æneas gratulatur:

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum - - - - - D.

Vt pulchra Rachel idola Laban patris sui sublegit, R. & ab ijs felix iter omneque bonum auspicata est; quemadmodum interpretatur Chrysostomus. F. (nam Pater eius Laban, totaque familia, ex quâ vtique Rachel, tunc temporis idolis faciebat more gentis suæ, quæ postea confregit Iacob. G.) quanto sanctius dignitate, moti & in exilium ablegati isti Præsules sacra Ecclesiæ doctoris pignora in classem secum acceperunt vt indidem salutaria subsidia acciperent, omneque malum auerruncarent; Busto & confu-

sione Babylonicâ erepta hæc sacra cùm AVGVSTINI tum aliorum illustrium sanctorum lipsana diuite apparatu & magnâ veneratione à Sardis excepta sunt, sumptuosisque ædificijs in præclara Caliarensium ciuitate condita. Quàm illorum pietatem Deus munificentissimè soluit; enimuerò ab illo tempore Sardinia in magnâ fama & honore apud omnes cœpit esse, & inter beatas Insulas meritò numerari, quòd tot coronis sanctorum ditata & ingentibus miraculis celebris extitisset.

A Fœlices profectò Sardos qui omnium eorum in cœlo patrimonia habent, quorum corpora tam honorificè condiderunt; hi sunt nempe qui multum orant pro populo. H. Qui imperium non tantum in naturam, sed Deum ipsum obtinent; qui cum Lycurgo Moyse curui & proni in terram nomine totius Sardiniæ ardenti zelo & graui mentis æstu agitati Deo continenter supplicant: *Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro ut auferas iniquitates atque peccata.* I. qui varijs modis causas nostras agunt, variaque peccatis mantella obtendunt; nunc humanæ sortis obnoxios in præceps nos ferri, nunc aiunt tenuiores nos esse quàm qui resistere possimus; nunc humano errore in transuersum actos; omnibus nempe vijs connituntur, vt delictorum memoriam apud Deum sepeliant; Ad Regem audacter ingrediuntur, & cum Hestere pro damnata gente orant, sceptrumque aureum gratiæ symbolum quotidiebus exosculantur.

A. *Georg. VVidvveiler in vitâ August. cap. 31.* B. *Vide Baronium tomo 6. Anno 504. Marianum Scotum, Adonem, Sigebertum, Oldradum Mediolanensium Episcopum.* C. *Prius habet hist. miscellanea Pauli Diaconi lib. 15. Posterius Sigebertus in Chronicõ, Marianus Scotus, citato loco apud Baronium.* D. *Virgilius lib. 2. Aeneid.* E. *Genesis 31. vers. 19.* F. *Chrysostomus hom. 57.* G. *Colligitur ex Genesis 35. vers. 2.* H. *2. Machabeorum 15. vers. 14.* I. *Exodi 34. vers. 9.*

II. Verum neque in Sardinia perpetua fuerunt Alcedonia. Citò iterum noui Neroues in pernitiem Religionis iurârunt, & dispulso sole indignanti cœlo tristem faciem mali pictores dederunt. Vbi ducentis & viginti vno annis (sic numero cum Baronio. I.) tranquillè habuit in sepulchro AVGVSTINVS, tum Barbarorum

iterum

iterum aduersus Christianos gliscente persecutione magna rabularum colluuies Sardiniam inuasit; eámque omnem omnis generis depopulationibus lymphatico ritu lacerauit, vt sancti in conditorijs suis ab ipsis Harpyis non fuerint eximij; sed omni ludibrio & defloratione plus quàm humana mens credat, expositi. Verum misit æther Luidprandum Longobardorum pientissimum Regem, qui tantis iniurijs efferæ gentis eripuit sanctos, inque libertatem asseruit.

Is Luidprandus est, qui fidei Christianarumque traditionum apprimè retinens, nihil antiquius habuit, quàm vt potitus imperio Colonias fidei augendæ deducere posset; cum in finem in suâ ditione non tantum passim magnis sumptibus templa exædificauit, fundis & castris amplissimis ditauit; sed donarijs locupletissimis magnificè aras vestiuit, & Papiæ plurimas ædes ornatu miro construxit; in palatio maximè suo oratorium insigne visebatur, quod Seruatori mundi inscripsit; vbi Regijs planè expensis aliquot Sacerdotes diuino cultui destinati alebantur. Ille inquam qui Apostolorum principi ædem in suburbio Papiensi à fundamentis erexit, magnoque artificio & elegantia ornauit (nomen Cœlo aureo est) Hic ergò tantus princeps, vbi à Petro Papiensi tum Præsule, quem in maximâ veneratione & honore ob vitæ sanctitatem habuerat, intellexit manifestariam vim inferri sanctis, in medium cum suis contulit; quomodo auxilia his malis ferre, posset, & tanta clade leuare sanctos? Nec diu deliberatâ re, legatos suos nobilissimos ex proceribus cum magno auri & argenti pondere in Sardiniam destinat, quo corpus AVGVSTINI emerent, & ad suam ciuitatem Papiensem quamprimùm ferrent.

Quomodo mi Luidprande tu pignus redimes, cui delendo plùs Arriani student quàm Pyrrhus Romanis extinguendis? contra quos tamen viginti annis bellum acre gessisse memorant. Annè cum Philippo Macedonum Rege auro non tantùm tu vrbes insuperabiles expugnari posse putas, sed etiam efferatos oculos fuluore hoc perstrictos in mitiorem naturam effascinari? Lanceisnè aureis pugnabis, aut globis argenteis traijcies cataphractos?

Digitized by Google

C Proceres imperio & flagranti desiderio Regis satisfaciendum arbitrati mari abeunt in Insulam, & citò de corpore AVGVSTINI pacti, nauigio suo thesaurum imposuerunt, plenisque velis tranquillo prorsus cursu vnius diei & noctis spatio altò delati sunt ad portum Lanuensem; indicunt Regi quàm ad nutum imperio defuncti essent, per legatos denunciârunt: Occurreret honorifico & amplo comitatu assertum tam gloriosa pignora; non sumptibus, non tempori parceret. Quo Euangelio lætus Rex exemplò Numini gratos gratias persoluit; quod votis affatim damnasset. Atque sepositis tantisper negotijs & calcatâ vlteriore morâ, acciuit omnium ciuitatum sacra antistitia & clerum, quibuscum ad agrum vsque Derdonensem suscepturus tam præclarum hospitem profectus est. Sequebatur præcipua Nobilitas tùm Virorum tùm mulierum, exquisitâ vestium pulchritudine, magnâ ordinis elegantiâ; claudebant agmen confertim innumera vulgi turba. Procul erant tristes Næniæ, aut lugubres Lessi; sed diuinis adoreis & compositis raro celeusmate elegis inter omnium applausus aër implebatur. Manabant crebris lacrymis lumina, sed gaudij imbre. Plangebantur palmis pectora, sed pietatis sensu. Omnia numine erant plena.

Luidprandus ipse cùm locum, vbi funus destinarant, deueniisset; abiectis illicò regiæ dignitatis insignibus, aperto capite, corpore toto inclinis accessit cum totius concionis stupore, & miraculo, & funus læto gressu anteiit. Sic Regius olim vates præsultabat arcæ, licet à Michol derideretur. M. Sic principes hodie viri magno pietatis studio diuorum puluinaria & cineres exosculantur.

D Cæterùm placere hunc sibi honorem ostendit AVGVSTINVS; nam magnis ostentis & eximijs supra naturam factis quamprimùm adfuit. Multi vsu & officio membrorum destituti, desperatis humanis subsidijs, cupidi beati ferstri tangendi, mox inopinam accepêre medelam, & omnibus exempti incommodis, qui priùs alienis auxilijs vel scipionibus subalaribus, nunc suis viribus domum reuicerunt.

Interim inter suauissimarum vocum harmonias funus ad prædium Sauinarense, agri Dertonensis promouetur: ad quod

Rex ipse

Rex ipse cum omni nobilitate pernoctauit, debitisque officijs sibi sanctum demeruit. Sed iterum nouum Numen! exactâ inter preces nocte, cùm baiuli postero diluculo sanctissimum corpus Ticinum ferre cogitarent, miraculo defixum loco moueri haudquaquam potuit. Multis necquicquam attentantibus, Luidprandus ipse variè laborauit, sed vanè; qui proinde scissis vestibus & corruptis fletu oculis humi tristè abijcitur, nam immenso desiderio funeris transportandi æstuabat; hoc autem mirando stupefactus omnem spem voti consequendi abiecit. Nec minùs perculsi Episcopi, & cæteri regni proceres hâc funeris pertinaciâ inter dubias sententias fluctuârunt, quid his potissimùm prodigijs Numen sibi vellet.

Aderat commodùm ex tanto Magnatum delectu Gratianus Ecclesiæ Nouariensi Præpositus, vir insignis doctrinæ & magni nominis, qui præsidenter & inperterrito animo Luidprando suggessit: Deum non manibus verbis vel ritibus externis, sed alijs vijs implorandum; in vanum cadere humana consilia: votum solemni ritu nuncuparet, & beneficus in cœlum esset, tum alia omnia futura; quæ Episcopi monita Rex libentissimè audijt, Sacramentoque interposito edixit: si clementissimum Numen corpus AVGVSTINI Ticini ciuibus indulgeret, prædium Sauinariense D. Petri basilicæ (huc monumentum AVGVSTINO decreuerat) addicturum. Dixit sincero hoc animo, & confestim feretrum, quod priùs plurium robur luxare nequibat, bini nunc baiuli facili vecturâ ingenti omnium gaudio ad destinatum locum adsportant.

Ita quandoque pondus rebus suis Deus inijcit, vt momentum & pondus acquirant, nec leui aut curioso brachio, Ozæ arcam Domini tractent. Hæc mira postquàm in ciuitate increpuerunt; plebes omnis ad spectaculum effusa, summo honore & cultu inter festiuos applausus funus duxerunt, & in diui Petri deposuerunt, quâin æde demùm in sanctitatis testimonium & fidei argumentum, multa signa & miracula perpetrabantur. Vnum hîc commemorabo, cæteris in suum locum seruatis.

Vltramontani Apostolorum limina religiosè veneraturi Romam supplicatum ibant, fortè vt ægris corporibus mede-

Digitized by Google

rentur. Hi (quadraginta numerabantur) propè viculum Cânæ Papiâ ad tria passuum millia dissitæ cùm pernoctarent, & fessa de itinere corpora reficerent, mirum ostentum aduerterunt. Ex æde SS. Cosmæ & Damiani homo cultu pontificio prodibat, & rectà ad peregrinantes: quò vos iter? ait; illis viam viæque causam explicantibus: nunc quidem, reposuit, Papiam ibitis, & ad D. Petri in suburbio, cælite eò recens delato pro medio vtemini; hoc consilium habete, & auxilium certò expectate; ne autem vanâ vos imagine ludi credatis, AVGVSTINVS Hipponensium Episcopus vobis loquor. Dixit & ex oculis abiit, illi autem ex viculo & spe pleni ædem nominatam ingrediuntur, vnaque omnes B. AVGVSTINVM in patronum & medium vocant, & eodem momento morbis se perfunctos vident, insigniqué beneficio incolumes domum concedunt. N.

L. *Cæsar Baronius tom. 9. annal. Eccleſiaſt. Anno Chriſti 725.* M. *2. Regum. 6.* N. *Ferè omnia ex Petro Oldrado Mediolanenſium Archiepiſcopo apud citat. Baron.*

III. Cæterùm non necesse est credo, quærere cur Africam suam & Sardiniam mortuus AVGVSTINVS deseruerit? Malè ciuitati illi, in qua mali incolæ; malè loco, vbi regnat impietas. Periclitabantur in naui omnes quamdiu inobediens Ionas inerat. O. Si Ioannes hæreticum fugit & ob id lauare detrectauit, quid hæremus cur repudiârit sanctissimus Afer noster Arianos Cerintho longè nequiores? qui & ipsi in Africâ & Sardiniâ sese sanguine sanctorum non tam lauârunt, quàm polluerunt; qui sacra profanis nefandè miscuerunt; qui omnia templa destruxerunt, conditoria sacrilegâ manu aperuerunt, votiua dona rapuerunt, & exultârunt in rebus pessimis. Auersantur sancti quidquid vitium redolet; maximè autem vitiorum cloacas (hæreticos inquam) quibus tantus fœtor adhæresit, vt nephitim omnem superet, & olentissimum putidi canis cadauer. Hannibali inauspicatum omen erat videre sepulchrum. Ita Romanæ historiæ celebris scriptor: *iussu è nauis ascendere malum vt specularetur, quam tenerent Regionem, cùm respondisset, sepulchrum diruta prorâ spectare, abominatus est.* Et funestari Iudæi se credidêrunt, si ossa mortuorum manu attrectarent, erantque ex lege immundi septem diebus. Inde mos obtinuit vt sepulchra extra mœnia ædificarentur. P.

Vide

Vide, amabo te, quàm Arriani gentilitio Iudæorum ritui assueuerint, quando ita mortuorum ossa auersantur, vt nisi illos preciosæ & magni censûs lipsanothecæ abstinerent, iam olim plurà sanctorum corpora decinerâsset funebris rogus, vel in nudâ arenâ exulassent. Nec in hac impietate latum vnguem cedunt nostri hæretici, qui priùs Furijs & Viduo Deo. Q. litatum minimè credunt, quàm ferro & flammâ omnia deuastata sint; quin etiam humanam naturam exuti efferatiores canibus & ipsis immaniores leonibus sunt; canes enim ad macellum arida relinquunt ossa, & leones natiuâ animi generositate contemptim cadauera prætereunt; at nouimus ossa emedullata, sanctorum non præteriri ab Hæreticis, sed barbarum in modum vel igne exuri, vel contumeliosè haberi, vel vbi auaritia superat, pretio per ludibrium prostitui. Sed sæuiant infernales isti Cerberi, & impudenter tumulos sanctorum non tantùm ciuitatibus eijcere connitantur; Christiani tamen pièt renemus, non cum mortuis pugnandum, sed ossa Christianè defuneranda, eorum maximè, qui Christianè vixerunt.

Indidem laudabili instituto profectum est, vt mausolea, hypogæa aliaque conditoria preciosè sint passim constructa; inde vt pulchrè vestiamus, vtpote quæ virebunt in perpetuas æternitates. Honoramus scilicet, ait Hieronymus, reliquias Martyrum, vt eum, cuius sunt Martyres adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum qui ait: *qui vos suscipit me suscipit.* R.

Profectò si immortali pietatis laude Israelitæ olim Ioſephi aliorumque Patriarcharum corpora, ad sanctam terram, sanctosque patrum suorum cineres extulerunt: s. Si Ioseph tanta religione in Hebron ossa parentis portauit, vt auo & atauo sociaret: T. Si Stephano viri timorati fecerunt planctum magnum: V. Si Moysis corpus à Domino ipso est sepultum: X. Quid nos Reuerendam maiorum nostrorum sexagenariam, sed plusquàm quæres millenariam antiquitatem de ponte vt aiunt cũ Neotericis quibusdam dejceremus? & non omni potiùs, pro eo quod digni sunt, obsequio sanctos prosequeremur? Nescio enim quanto sensu insensi etiam parietes & inanimes lapides, qui sepulchra honestant, nostram deuotionem prouocent & inflam-

inflamment. Certè illi qui ad hypogæa descendunt, antè omnia quidem magnificam parietum structuram dilaudant, deinde perizomata & aulæa suspiciunt, tum pauimenta vario lapide strata admirantur, suspensa ad tumbas anathemata exosculantur, vsque dum ab his quasi manu ducantur ad tumbas, vbi cineres attingere summam fœlicitatem ducunt. Non veneremur & sepeliamus corpora quæ fuêre Sancti Spiritûs quôdam lectissima templa? Y. & omnium virtutum organa & instrumenta? Z. in quibus quasi spirantes adhuc sanctos & nobiscum degentes intuemur, admiramur, cólimus? vnde vnde digniſſimi sunt, quos ab iniurijs & potestate hæreticorum vindicemus? maximè cùm abundè rationem habeamus, ipsosmet beatos & iam cælo donatos spiritus suis corporibus ad tumulos frequenter adesse præsentes, & veluti tutelares angelos præsidere ossibus, precesque nostras in cælum ferre, vt salutem corporibus nostris referant; vt ita plusquàm partiario honore nos terrigenæ cum cœlo fruamur, dum corporibus fruimur. Nobilitent cælitem spiritum astra; terra quo potest honore interea corpora venerabitur, vtpotè olim cum spiritibus beanda. Sed ad rem.

Mutat toties solum & peregrinatur corpus AVGVSTINI fortassis ideò vt doceat nos in hac terra extorres aduenas & peregrinos esse, sicut omnes patres nostri; tertam exilium, patriam cœlum esse. *Omnis*, inquit AVGVSTINVS, *qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali vtitur vita, in patria viuit aliena, vbi inter multa illecebrosa & multa fallacia Deum nosse & amare paucorum est.* Aa Socrates interrogatus cuias esset? mundanum se esse respondit, totius mundi ciuem & incolam; scilicet vt quidam ait: non vnius vrbis mœnibus claudimur, sed in totius orbis commercium emittimur, & patria nobis mundus est, vbi latiorem virtuti campum damus. b. Recte hoc; sed sanius Alexander magnus qui bonos pro cognatis, malos [illegible] hil alienis agnoscendos esse suadet. c. Anaxagoras, teste Venter digito in cœlum intento, suis cognatis aiebat: *illa mea patria!* F *& illuc eundum est, dum orbem perambulamus.* Ita mi Anaxagora, illuc præiuit, qui via, veritas, & vita dixit. Huc boni Raphaëles viam monstrabunt, quando bonos Tobias inuenerint. Seu Agares ancillæ in

cillæ in lucis errent; D d. Seu obærati in vinculis Petri dormiant; seu Iacob in Mesopotamiã ambulent, benigno illuc comitatu ducent; dummodò comites hos genios non repudient. Errant toto cœlo prodigi animarum nautæ, alijque impij institores & propolæ, qui circum freta piratarum more nauigant, vt marsupia sua damnato fœnore, seu sortilegio, seu hariolatione, seu quâcunque magiâ instructi infarciant. Errant qui cum Arrianis infido se elemento ideò credunt, vt iniusto bello omnia perdant, sacra prophana, sub imperium redigant, & sanctos Ecclesiæ prostituant, vt venalem prostituerunt AVGVSTINVM. Hi quidem & ipsi suos habent comites, qui è bulgis alieno schemate prospiciunt, & tamdiu pulchrè ocimunt, dum ad syrtes ineuitabiles magno salutis dispendio ducuntur. Ita scientes & videntes perdunt.

Notum est illud Dionysij Syracusani, ad quem cùm aulicus coruus frequenter crocitaret: Reges fælicissimos iuxtà ac beatissimos esse; præcepit, vt supra verticem palponis è tenuissimâ setâ stricta & acuta romphæa suspenderetur; innuens periculosè fælicitate hîc illos maximè frui, qui quanto in gradu sublimiori, tanto in periculo maiori versantur. Nonne hunc ladium sibi impendentem merito omnes illi verentur qui cõscientiâ non bonâ, vitâ haud meliore in hoc mundi Oceano inter ventos, turbines, fluctus errant? numerent ex horologio suo nautico dies & horas, obseruent tempestates; dum tamen flocci hęc omnia faciunt, dum vana auguria quando Deum deberent, obseruant, frustra horas & dies illis fluxisse olim videbunt, quando nec dies nec horas habebunt; cernunt bis senos lætantes agmine cygnos, à quibus natare & enatare pericula cũ oporteret discere, discunt se periculis credere. Dum à collo pectoreque proram & carinam, à cygni ventre & caudâ puppem & temonem, ab alis vela, à pedibus remos formârunt, num præ[illegible]rniciem euitare didicerunt? dum stridens Aquilone [illegible]la velum aduersa ferit fluctusque ad sidera tollit, vbi ma[illegible]sit cygnorum auguria & artes? dum franguntur remi, dum prora auertit, & vndis dat latus, dum ruptis rudentibus & perditis anchoris mors super capita volat, quò volabunt?

O. Ionæ 1. P. Colligitur ex Lucæ 7. vers. 12. & Ioannis 15. vers. 41. Q. De hoc Deo S. Cypria-

Q. *Cyprianus lib. de vanit. idolorum.* R. *Hieronymus aduersus Vigilantium epist.* 53. S. *Genes.* 50. T. *Deuteronom.* 34. V. *Actorum* 8. X. 1. *ad Corinthios* 6. *vers.* 13. Y. 6. *ad Romanos vers.* 13. Z. *August. lib. sentent. sententia* 17. Aa. *Seneca lib. de tranquil. cap.* 3. Bb. *Teste Plutarcho.* Cc. *Genes.* 17. *vers.* 7. Dd. *Genes.* 32.

IV. Dubitare hic nonnemo potest, vter potiùs pietatis liberalitatisue studium magis exercuerit, AVGVSTINVS NE in patriam & ciues suos, an Rex Luidprandus in AVGVSTINVM parentem suum? Quippe vt nihil dicam de regiâ planè munificentiâ in alios cœlites, quâ multorum aras Luidprandus excoluit, cineres inaurauit, & suum in terris cum mortuis cœlum habuit: Certè hoc palmam fert, quòd veluti *liberalitas* ipsa esset, cornu pleno effuderit pecuniam, quo AVGVSTINVM innoxiè alieno ære obstrictum ab Arrianis redemit. Lego apud Æmilium Probum, Cimonem quemdam tantâ fuisse in alios munificentiâ, vt eum semper pedissequi cum nummis sint secuti, ne si quis ope eius indigeret, non esset quod extemplò daret. Pulchrum hoc in gentili principe; at pulchrius fuit videre tot ædificata templa, tot diuinorum puluinaria gemmis ornata, tot aras magnificè vestitas, tot lipsanothecas auri pondere graues. Redolebat nimirum ex principe hoc religiosa pietas, flammeum in supera cor, & vel ciconiæ pietatis æmulum. Ignoscet Rex Luidprandus si paruam munificentiam dixero, dum AVGVSTINI liberalitatem pietatemq; considero; nam vt non repetam in superstite maximam solicitudinem in pauperes semper viguisse, eosque annuis prouentibus vel gratuitâ aliorum elargitione sustentasse; multis alijs modis inopiam eorum subleuauit, qui eò tandem venit, vt sacros calices, cæteramque auream & argenteam supellectilem conflari & vendi voluerit, vt indigentibus elargiretur. Ee.

Maximi fecit Valerius Maximus puerperam quandam, quæ cùm supplicij causâ carceri mancipatam parentem non sine sensu inaudijsset, *fecit pietati*; & fecit quod potuit. Impetrauit aditum à ianitore & obtinuit, sed illac tenùs vt ni[illegible] menti ad custodiam secum ferret. Huius ergò vestis diligen[illegible] semper excussa est. Excussa est, & ô magnam filiæ pietatem! deprehensa est vberibus suis matrem alere. Placuit hæc pia fraus Caio Quintio, & Marco Cæcilio consulibus, qui non tantùm matrem vitâ donârunt, sed & carcerem locum templo pietatis

pietatis destinârunt. Filius pijssimus Matris Ecclesiæ fuit AVGVSTINVS, cui ab hæreticis carceri mancipatæ & durè constrictæ extremum spiritum impendit, vt in tutum collocaret, vt meritò Tricini templum pietatis ipsi posuerit Luidprandus, & castissima vbera diuinissima virgo, sacratissima vulnera eius filius, ipsi dispensauerint; vt meritò hodieque dubitet, quonam progrediendum sit illi, an ad lacteum matris fontem, an vero rubrum Filij mare, nam *illic lactatur ab vbere, hinc pascitur à vulnere.*

Si fontanæ poculum pretium in cœlo suum habet, quid habebit AVGVSTINVS, cui tota Africa in acceptis refert, quidquid munificentiæ & pietatis accepit? iam dudum omnes libri, has eius religiones haberent & impendiò deprædicarent, nisi mallet AVGVSTINVS esse in vitæ libro & cælo empyreo, cuius tota vita in terris accensus Deo ignis erat.

Arsit apud Hebræos in altari ignis è cœlo lapsus (*gloria Domini* Ff.) qui deuoraret holocausta, cuius custodiæ Sacerdotes admoti languentem flammam maximâ curâ aluerunt. Alia flamma in AVGVSTINO velut diuinâ arâ fuit, à cœlo quidem & ipsâ missa, sed quæ non adipem brutorum animalium, verum cor depasta est. *Sagittaueras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus, & exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ vrebant; dederas sagittas acutas, & carbones vastatores.* Gg.

Vestales Virgines olim florebant, quæ infundibulum rectà opposuerunt solis radijs, cùm ardentissimè ferueret, vnde vas illud percalefactum; cumq; radij sensim in mediũ collegerunt, rarefacto per reflexionem aëre inflammatæ fuerunt subiectæ stupę & festucæ aridæ, sicq; conceperunt ignem, quẽ deinde Vestales ęternùm conseruarunt, dum per vices singulæ alternatim ad aram excubarent, & suggererent subinde ad flammæ alimoniam ligna, ab omni priùs humore probè siccata. Hh. Meminit huius etiam Virgilius: *Vigilemq; sacraret ignem, Excubiis diuum æternas.* Ii. Sed quid Vestæ ignis? accensus est à solaribus radijs, & à puellis mortalibus nutritus, quæ superstitiosâ sua religione nil aliud meruerunt, quàm ignem illum quem minatur Deus:

Ignis succensus est à facie mea, & ardebit vsq; ad inferni nouissima. Ll. Ignis accensi nostri AVGVSTINI, venit & nutritus est ab ignito Spiritu Sancto, incendiario illo bonorum cordium. Et præmium huius ignis non est incendium gehennæ æternum, sed igneum illud cœlum, vbi ardebunt iusti & fulgebunt sicut scintillæ quæ in arundineto discurrent.

Ee. *Possidius in eius vita.* Ff. *Leuitici 9. vers. 23.* Gg. *lib. Confes. 9. cap. 2.* Hh. *Meminit huius ignis Ioannes Barclaius in Argenidis parte altera lib. 6. cap. 8.* Ii. *Aeneidos 4.* Ll. *Deuteronomij 32.*

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS VIGESIMÆPRIMÆ.

I. SANCTI DEI VERA EDVNT MIRACVLA. II. RECLAMENT HÆRETICI, ET INVIDEANT, VIDEBVNT TAMEN AVGVSTINI MIRACVla. III. Qui sagacis nasi sunt, victoriam cedunt Catholicis, sibilum Hæreticis.

I.

ETsi cœli sint solidissimi, quasi ære fusi, A. Rimas tamen habent, quibus bonitas Dei clarùm tralucet. Parùm est ter Optimo Numini assertos astris immortali beare gloriâ, nisi partiario etiam honore beatis suamet quasi diuinitatem cõmunicet; & miris præquam prærogatiuis exornet; quorsum enim in hanc etiã horam, tam frequentes thaumaturgi, in quorum effectis natura prorsus omnis & artis industria succumbit? vt admirentur meritò Christiani, tingantur impiè hæretici, trepident infeliciter inferi.

Scio quidem præstigiatores & alastores nonnullos reperiri; qui ministerio Auerni prodigiosè ludificant simplices oculos; dum & ipsi *Virgas in colubros demutant*, rursumque serpentia animalia in virgas exanimant; dum ægritudines appensis amuletis profligant; dum imperium in cælum & elementa tenent; quibus pluere, fulgurare, & sudo cælo ningere ludus est; quibus venena illæso gutture haurire iocus est. Sed circumforanei sunt ardeliones, & qui fascinant sensus, inania & vana agunt vani agyrtæ. Nihil germani miraculi in istis est, sed decipiunt, fallunt, lactant. Vera enim prodigia definiunt Theologi, B. effecta tam vsu rara, quàm viribus creatis omnibus planè maiora, in quibus elaborandis vel natura ipsa succumbit, (veluti si Lazaros triduum fœtentes capulo tu euoces) vel quæ

modo tam admirando fiunt, vt imitari natura aut ars capere minimè possit (veluti si in Martyribus toto corpore scissis & stigmaticis momento temporis absq; malagmate herbisq; medicatis vulnerum patores coalescant.) Vel deniq; cùm quidem res ipsa neq; modus operis naturam (quo nomine etiam stygis potentia venit) superat, ex adiunctis tamen satis liquet, rem diuinâ ope solùm fieri (Quemadmodũ si vir Dei Elias aliquis fulminare cælum iubeat & idololatram castigare) quorum nihil vel hæretici, vel inferi possunt, aut si se posse tentant, infælici semper catastrophe suis scenas exhibent, quod sæpiùs factitatum est.

Prolixi sunt alij in recensendis hæreticorum miraculis, quę per transennam inspicere nobis liceat. Venerat malignus genius Wittenbergam, & hospitium sibi quendam ciuem fecerat. Fremebat obsessus & inquilinum eijcere è corporis domo laborabat. Accersitur ergò magnus Thaumaturgus Martinus, & opem rogatur, carminibus sacris Orcum incantaret: quid expectatis? adest ille & exorcismos deblatterat, tantâ felicitate, vt nisi preces cessasset, Dæmoni Obses fuisset. Sudorem extricauit, & domum maturè, ne in Orcum deberet, abijt. c. Sed maius portentum est Calui. In fidei tesseram iussus est aliquod miraculum edere: desperatum morbum abstergere, vel cadaueri animam ipsam indere. Placuit homini ventoso conditio, & dolo agere statuit. Itaque hominem integris sensibus, & planissimè viuum (Brullum nominârunt) loculis inferialibus includi, & in nauem Ecclesiæ solemnibus inferijs tanquàm funus deportari, & deplorari iubet. Faciunt amici, & præficæ officium. Ibi post vanas immurmurationes cùm tumbam recludi demandasset Caluus: altùm inclamauit: in nomine Christi surge. Sed diuinâ vltione qui viuus ingressus est, exanimis tumbâ exemptus est cum dolore amicorum & rubore magni Prophetæ. Sic Cyrola Arrianorum Episcopus prodigijs vanis oculatissimo Argo visum perdidit, quem luminibus quasi emortuis restituere voluit.

A Non similia apud Christianos ludibria, sed auxiliũ hîc diuinum diuite copiâ quidquid gratiarum est effundit, & in sua organa (Sanctos) tanquã princeps causa infundit, vt imbecilles cęterà homunculi inferarum potestatum vires iam facilè triumphent.

Digitized by Google

phient. Sunt hodieque diuini Vates qui cœlum ipsum claudunt ne pluat, & sudo tempore rigant sterile solum prodigioso imbre. Sunt etiamnum Elisæi qui gemino Magistri Spiritu clari incubitu, alijsque euentu haud vano religionibus animas postliminio cadauenibus indunt. D. qui in capulis iam B
cineroſos mortuos mortui & ipsi solo attactu etiam cura opem imploratam vitæ restituunt. E. qui è puteali sepulchro C
triennio verminantes Petros vocant. F. qui exemplo Principis Apostolorum flumina sicco pede vadant. G. qui elephantiæ psoras alioſque desperatos morbos solo osculo curant. Habent D
Tabithæ suos Petros. H. & Petri vmbras morbi incurabiles. I. habent Pythonissæ suos Paulos. L. & mortuorū sudores Paulina sudaria, & semicinctia. M. Vbi estis, seu qui tabe diffluitis, seu qui tibijs vel pedibus contracti nullo incessu estis? seu E
qui artuum stupore pro mortuis iacetis? seu qui apoplexia succumbitis, seu qui morbis emaciati ossa ac pelles estis, seu qui fessi longi decubitus annorum triginta octo grauissimè laboratis, & *non hominem vos habere* quiritamini? N. adsunt omninò si aduertitis etiam in terra Angeli, qui piscinam moueant, solatium ferant, & tollere grabatum iubeant.

Clament ad rauim heterodoxi & impudenter calumnientur nullum verum thaumaturgos nostros vnquam miraculū F
patrasse; non est quod Baalamis istis asinos articulatè & disertè loquentes, non est quod Angelos propter viam armatos cum gladio fulgenti opponamus. O. Arguet ipsa fuleris inclinis G
viribusque defecta *infirmitas*, quæ hæreditario vitio sine vitio stirpem morbidam post se trahit; quæ non naturæ patrocinio, sed diuinitus sibi vires auctas ingenuè fatetur. Arguet H
natura ipsa vberibus multifariam quidem succurrens, sed quæ inclinatur tamen; cui humidum, vt vocant, radicale deficit, quæque post multas medicinas, morbos in fundo, & mortem in ossa alit. Non est ossa hæc Fortunæ, vt multi sibi persuadent, & promittunt numquam deesse qui amaras colocynthidas in eam immittant, & mortem nondum adesse denunciant. Labitur natura in terram vnde prodijt, nisi Vates quispiam farinam misceat, & dies procrastinet. Arguet ipse *Hypocrates* me- I
dicorum præstantissimus, qui etsi à natura, arte, herbis sæpe-

numero auxilium mutuetur; vrinam inſpiciat; mortem tamen frequenter aſpiciat, niſi ad cœleſtes medicos accurrat. Arguet denique & in ruborem dabit hæreticos AVGVSTINVS miraculis & in vitâ & in morte clarus.

Iuuat hic quædam attingere non quidem omnia; quis enim recenſendis eſſet? pauca tamen & qualia non velint Hæretici, libabo, & quidem nullâ hiſtoriæ ſerie. Alij cum fide publicis tabulis ordine recenſeant.

A. *Iobi 37. verſ. 18.* B. *Iacobi Bidermanno in libro primo agoniſticon c. 14. num. 29. adfinem. Suario Maldero, alijs.* C. *Fredericus Staphylus Anno 1545.* D. *4 Regum 4. verſ. 34.* E. *4. Regum 13. verſ. 21.* F. *Vt Stanislaus Epiſcopus Cracouienſis cuius feſtus dies 7. Maij.* G. *Vt Hyacinthus.* H. *Actor. 9. num. 40.* I. *Actor. 5. verſ. 13.* L. *Actor. 16. verſ. 15.* M. *Actor. 19. verſ. 12.* N. *Ioannis 5. verſ. 7.* O. *Num. 22. verſ. 23.*

II. Atque inprimis mira oſtenta & præſagia conuerſionem AVGVSTINI indicârunt.

Anxiæ Matri & de ſalute prolis nimium quantùm ſolicitæ inter mirificum ſplendorem cœleſtis ſeſe oſtendit ephebus, & brevi ſanctioris vitæ filium candidatum & frugi fore docuit, oſtenſâ ſecundum quietem ligneâ regulâ, cui vterque filius & mater inſiterunt. P.

Vaticinio ore Africæ quidam Antiſtes matri lacrymanti & ad pedes prouolutæ præſagijt: *fieri non poſſe vt filius tantarum lacrymarum periret.* Q.

Cœleſtis harmonia audita eſt Mediolani, quâ iuſſus eſt ſub fici arbore: *tollere & legere.* Sed lubet alias eius virtutes ſtylo proſequi.

Primum miraculum eſto. Tagaſtæ in patrijs ædibus, nondum ſacris initiatus cum ſocijs agebat, ſed ita vt liberaliſſimus in egenos hoſpites eſſet: quos per humanè complexus & profeſſu tate ſubleuatos omni ſibi ſubſequio demeruit; nam menſam illis ponere, lintea tus ipſe Chriſti exemplo ambire, lutulentos ablutere pedes, & huius generis multa facere, quæ ruborem mendicabulis, AVGVSTINO gaudium pepererunt: enimuerò nõ aliter conuiuas ſuſpexit, quàm ipſum Chriſtum. Nec fefellit opinio; adeſt tandem Angelorum dominus, mendicantis fortunæ ſpecie, cuius pedes mundè admodum lotos cùm oſcularetur AVGVSTINVS (nam & hoc ſolebat) ex oculis &

lis & oſculis abijt Chriſtus cum his vocibus: *Magne pater* AVGVSTINE *filium Dei hodie in carne videre meruisti.* ô honorem! *Magnum & patrem* à Deo appellari! vltra votum cœlum indulſit; nam tria optabat: *Romam in flore, Paulum in cathedra, Chriſtum in carne* videre. R. non etiam tangere. Fidem huic miraculo dant multi, inter quos Ioannes Maburnus Canonicus Regularis. s. qui meminit ab hoc Chriſti encomio habere initium ſuum, Hymnum illum ſacrum in veſpertinis precibus cantari ſolitum: *Magne pater* AVGVSTINE.

Secundum. Erat Hippone puella mali genij infelix hoſpes. ô Deus, quàm durè tuos, ſed iuſtè exerces! fremit, oculos torquet, clamat tàm vocaliter vt AVGVSTINVS presbyter audierit & dolenti illacrymauerit; cui denique inſtillato ſacro oleo fuſiſque precibus incolam eiecit. T. Narrat hoc facinus AVGVSTINVS tanquam de alio, conſuetâ ſanctis modeſtiâ. Ita legitur Apoſtolus inaudita Dei in ſe beneficia alieno nomine recenſuiſſe, dum grauibus momentis inductus, in hæc verba ſcripſit: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim ..... raptum vsq; ad tertium cœlum.* V. nempe quæ ſuarum ſunt laudum, tacent vel omnino ſancti, vel de alijs efferunt; quæ autem malè acta, cum inſigni ſuimet confuſione recenſent: eſt enim iuſtus ſui accuſator. Sic iterum Vertex Doctorum: *Prius blaſphemus fui: audiſtis conuerſationem meam in Iudaiſmo, quia ſupra modum eccleſiam Dei* Ita duodecemuir Matthæus, publicanum ſe eſſe fatetur, operam autem Eccleſiæ impenſam tacet. Sic publicanus ſe alios decepiſſe, ſic filius prodigus indignum ſe eſſe qui cœlum aſpiciat, ſic AVGVSTINVS dum miracula tacet, libros tamen confeſſionum ſuarum tredecim, ſcripſit.

Tertium. Magnum quod audiuimus fuit miraculum; at maius, quod abſentis etiam imperium in inquilinos inferos valuerit. Adoleſcens quidam domum ſe Cacodæmoni fecerat, quem cùm ſedes ſua ſacræ deuotiones pellere nequirent, abſens AVGVSTINVS aduerſus hunc hoſtem pugnauit, & euicit. Sic ſui iterum modeſtus teſtis eſt, ſub aliena perſona latens: *Scio*, inquit, *Epiſcopum ſemel pro adoleſcente quem non vidit oraſſe, illumq; illico Dæmone caruiſſe.* X. ô miſeram Orci vim; quæ elangueſcit vel ad

absentis imperium! ô infælices inferas larvas, quæ ad septem milliaria fugitis, & vel vmbram sanctorum contremiscitis! v.

Quartum. Carthagine Innocentius Exaduocatus Vicariæ præfecturæ extremo fistularum enormè imâ corporis parte extantium morbo laborabat. Funestus videbatur, & erat. Sæpè Medicorum consilio incisæ illæ sunt. Verùm cùm tentatum absque profectu semper fuisset; lanienæ impatiens miser, ita omne ferrum horruit, vt ad solum nomen vires deficerent. Sed absque ferro omnia alia pharmaca nec hilum prodesse physici consensu edicunt. Expauit ad hoc barbarum edictum decumbens, cumque illo tota familia, quæ probè sciebat quàm periculosè cultrum herus non sentiret modo sed & aspiceret. Itaq; velut mortuo Domino funebria parari cœpta in alterum diem (in hunc enim sectio procrastinabatur) cum AVGVSTINVS genibus deuolutus, vicem Innocentij preces pro incolumitate offert & abit. Redeunt sequenti mane Medici, facturi in ægrum quod fuerant minati. Atque quod mireris, dum soluuntur nodi ligamentorum, & in dolores ferendos animant; reperiunt in eo statu ægrum qui sectione porrò non egeret. Prosternuntur ergo omnes & inter vberes lacrymas grates & laudes dicunt Deo sospitatori. Adscribit hoc miraculum AVGVSTINO Petrus de Natal: in vita eiusdem, quem sequor.

Quintum. Sed obstupesce quod subiungo, & parentes hoc exemplo discè venerari. Cæsareæ in Cappadocia liberi decem (septem fratres, tres sorores) matri dirè precati in pietatem peccarant; offensa parens acerbo conuicio grauiter indoluit, & rata ad ludibrium suum pertinere, nisi ab illudente progenie supplicium posceret, contemptus illam apud Numen accusauit. Audijt cælum matris querelas; & statim sine alia causa adfingit omnes tremor & artuum quassatio, vt fugerent Caini isti omnes oculos, illos omnis medela etiam cælestis; nam toto orbe Romano vagi ac profugi vndique quidem suppetias arcessebant, sed frustra. Vbi satis spectaculum facti omnium ciuitatum oculos in se conuerterunt; accidit vt ex hac infelici decuria Paulus & Palladia soli errarent. His sese in via improuiso AVGVSTINVS eo plane tempore, quo Hippone vitam degebat, & clerum regebat, stitit, & ad ipsa na S. Stephani opem implorari

plorari iussit, cumque dicto euanuit. At non euanuêre monita. Eunt gemini, veniunt, orant, & cum omnium miraculo temperies redire & tremor abire. Integram rei seriem habet libellus quem obtulit Paulus ille ipse quocum miraculum hoc factum est. z.

Sextum. Ignoscet Petra Ecclesiæ, si eiusdem columna ex quatuor Cardinalibus vna, suum etiam amorem in Christum explicuit. In profundâ meditatione defixus erat AVGVSTINVS: cum cælestis ad eum vox: AVGVSTINE *diligis me?* quale bone Deus, quale gaudium attulit hic sonus! ergo cum Petro: *Domine*, respondit, *tu nosti quia amo te.* Non contentus Deus hoc simplici responso: & quomodo amaret est scisitatus? *Si lampades*, subintulit, *essent ossa mea, & sanguis oleum, totus exardescerem tui amore, & si meæ venæ vincula forent, illis te mihi deuinctum adstringerem in æternum.* Nondum satis. *Si Deus essem vt sum* AVGVSTINVS, *tecum dignitatem commutarem, vt tu esses Deus sicut es, & ego* AVGVSTINVS *vt sum.* Ita constanti assensu recentiores, inter quos, Didacus de La vega. Aa.

Septimum. Quidam grauiter & difficili ægritudine decubuit; huic per nocturnam quietem tutelaris Genius assistere visus & monere: vti sequenti diluculo ad AVGVSTINVM deferretur, eius attactu morbum abiturum, & sanitatem adfuturam. Iuit ille aliorum pedibus, & nocturnâ visione explicatâ ab ægrotante AVGVSTINI manu (in fatali enim lecto erat) omnis morbus ceu spongiâ absterstus est. Bb. *Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*

Octauum. Nunc & illud mirandum & admirandum; inter sereni vultus indicinas, acri aspectu & auditu, integris sensibus animam suam cœlo transmisisse AVGVSTINVM; quod miraculi ego loco cum Thoma Cantipratano habeo. Cc. certè naturæ non adscribo in tam sene, sed diuinæ virtuti.

Volens omitto plura quæ superstes mira patrauit: nam ad ea propero, quæ ab excessu fecit AVGVSTINVS. Vide Petrum de Natal. Leonardum de Vtino, alioque eximij nominis qui nihil de mendacio aut fuco sumpserunt. Dicant vani esse vana; ego fidem his habeo, qui dignissimi illâ sunt.

Sed antequam ad reliqua ego veniam mira, Lectorem moneo, vi-

Digitized by Google

neó, vitium æui antiquioris aut neglectum fuisse, vt multa quæ miranda patrârunt sancti; scriptis non consignarentur, vt adeò pleraque ad memoriam & nomen AVGVSTINI facta, famâ exciderint, quod & ipse testatur. 22. lib. de Ciuit. AVGVSTINVS, vbi conqueritur, multa adeo in ipsa ciuitate Carthaginensi euenisse, quæ Carthago nesciret. Sed ferantur quæ emendari nequeunt.

Nonum. Suprà ex itinere libaui; libros doctissimi nostri Antistitis ab omni flammâ quæ totam tamen ciuitatem corripuit, eximios solos fuisse. Deinde corpus eius præter omnem expectationem harpyiarum vngues non sensisse (hæreticos aio) sed totum integrum in loculo permansisse.

Decimum. In Sardinia multis miraculis, annis viginti tribus supra ducentos inclaruit AVGVSTINVS. Supra verum, & vana hæc esse, belli nobilis vir quidam putauit, cui scrupulum sequens effectum exemit. Fuit ibidem vtroque oculo quidam captus, & orbe vtroque luminis orbus, tantum tamen luminis habuit vt viderit cœlum medicinæ causa adeundum. Adijt, & AVGVSTINVM in patrocinium adhibuit, magno pietatis sensu, piâ genuflexione, religioso corporis attactu & salutari; nam eodem fermè momento medicina cœlestis venit & dies oculis. DD. Adestedum ad feretrum AVGVSTINI Thobiæ; *quale enim vobis gaudium qui hic in tenebris sedetis, & cæli lumen non videtis?* EE. vos potius! *qui oculos habetis & non videtis.* FF.

Vndecimum. Ad trinum saltum capitis Paulini totidem Romæ fontes scaturijsse tabulæ Ecclesiasticæ loquuntur. Et ex ossibus Catharinæ, Walpurgæ, aliarum oleum destillare, quo plagæ morbique lauantur & persanantur. O vim diuinam! Ticini (nunc Papiæ) simile quid factum. Ad conditorium AVGVSTINI fons visebatur, ex quo vnà cum limpidâ, gratiæ cœlestes & pharmaca hauriebantur diebus ipsi sacris. GG. Sudent arbores Arabiæ balsama; purus hic aquarum viuentium est.

Duodecimum. Papiæ ciuis vario & occulto languore miserè infestabatur, nec hilum humana pharmaca aut medicorum industria profuêre. Cum inopinus desperato homini AVGVSTINVS adstitit: & *quîn tu*, ait, *ad sepulchrum meum inuisis, deq; fonte propter tumbam scaturiente bibis, si sanitatem optas?* O lætum ægro Euangelium!

gelium! Audijt lubens, adijt, bibit; quid? sanitatem. Profectò ebrius seu salutari aqua, seu pietate Sospitatori gratam memoriam rei testandæ in templo artifice penicillo totam historiam pingi curauit. Inuideant Isaaco Palæstini puteos & humo oppleant, si Gerare Isaac non foderit alios puteos. HH. AVGVSTINVS Papiæ fodiet, & meliores quàm cisternam Bethlehemicam. II.

13. Ægyptum olim cynipum & locustarum infinita examina infestârunt. LL. magna plaga! quæ si diu durâsset, omnes Ægyptios vel perdidisset, vel solum vertere coegisset; nam his omnia plena, & inuolabant hæc animalcula aeri punctura, tanquàm æstro percita. Remedium in Moyse quæsitum & inuentum, ad cuius imperium omnes penitus locustæ sublatæ. Huius generis insectilia Toleti in Hispania agros deuastârunt, & frugibus cladem non exiguam intulerunt. Quis pelleret tam numerosam finibus locustam, nisi Moyses cælestis? aditum precibus cœlum, & subito in aëre suspenditur AVGVSTINVS, lituoque Episcopali muscas in Tagum fulminat. Toletani non ingrati medico, votum emiserunt, & quotannis supplicationem ad aliquod cœnobium S. AVGVSTINI instituerunt. Ita habent diales in summâ Ecclesia Toleti: *Hac die est nobis obligatio faciendi processionem vsq; ad monasterium* S. AVGVSTINI *ex voto facto pro locustis.* Addo varijs in locis patronum hunc hoc nomine inuocari, & inuocatum adesse, quod sanè mirũ videri debet. MM.

14. Arduum & internecinum bellum illustrissimus Franciscus Gonzaga Mantuæ Marchio cum Liguribus habebat. Gliscebant omnia & Martis horror pauorque vtrinque erant. Aduocabant Ligures Mediolanensem ducem Galeaceum, cum auxiliarijs copijs. Gonzaga cælum & ex cælo AVGVSTINVM. Adfuit vtrumque auxilium, sed præpotuit cæleste. Ipso die AVGVSTINO sacro totus exercitus bis non sine miraculo fusus, & non tam humanâ quam vi diuinâ hostis dissipatus est. Nimirum facile victoriam reportat ille, cui militat æther. Sic armauit se Ambrosius pro Mascezile aduersus Gildonem, & quinque millibus septuaginta millia hostium fudit. NN. Ita totum Bauariæ sanctæ agmen Maximiliano nuper in subsidium venerat. OO. Ne autem suo Marti victoriam adscribere videre-

videretur Franciscus, edicto mandauit, vt in gratitudinis signum dies sospitatori sacer festus & solemnis perpetuus esset. Et hodieque AVGVSTINVS Mantuæ patronus est. PP.

15. Oppidulum est in tractu Toletano, Valentiola nuncupatum. Ibi peruetus ædicula AVGVSTINO vt diuo Tutelari sacra. Atque illuc frequenter religionis ergò fæmella quædam eximiè pia visebat, maximè quotannis, die Doctori huic natali; cui pridie sub vespertinis precibus, & sequenti sub ipso sacro votiuos accendebat cereos testata per hos accensum suũ in Cælitem animum. Sed accidit vt veniret Almagrum (non longè Valentiolâ distare aiunt) & cereorum oblita mutuos acciperet. Qui de more tum ad aram accensi sub vtrisque officijs & pridie vespertino, & posterâ, missarum solemni ardebant. Mirum! nihil ceræ monstrante staterâ diminutum, etsi aliquot horis candelæ arserint. Rem fidedigni testantur, & ob hoc miraculum abundè cereorum in Hispania ad diui AVGVSTINI est.

16. 17. 18. 19. 20. 21. Alia sex miracula in vnum fascem collecta & sic à me lecta, nec ego dissoluam, nihil minus admiranda, etsi iunctim inuenta.

Tetro carcere iuuenem quendam Marchio Malespinæ damnauerat, & (quod pœnam auxit) explicare mœrorem non poterat, quippe lingua natiuo destituta humore exaruerat. Verum quod lingua non potuit, mens explicauit, & votis AVGVSTINVM adijt, qui improuisò miris illiquijs linguam humectauit, pedes numellis ferreis exemit, carcerem, vt Angelus Petro, aperuit, & libertati restituit.

Præpositus cuidam Ecclesiæ (Actuariorum neglectus hîc culpandus, qui in historijs nomina, annos, loca, & similes peristases insuper habuêre, rem indicasse contenti) tres ipsos annos ancipiti & graui morbo detinebatur. Asylum & spem in arte medicinæ peritorum quæsiuit; sed alibi inuênit; nam cognouit de viribus nostri medici, statimque opem eius implorauit. Inficientur hæretici non percipere Cælites preces nostras; aliter pronunciabit Præpositus dictus. Vix votum emiserat, & statim vidit aduentare, quem accersiuit, sibique imperare: vti preces sui officij vespertinas diceret. Dixit, & morbus valedixit.

Pastoris

Digitized by Google

Pastoris infimæ sortis homuncionis vlcus & puris emanantis fætor omnes fugârat. Ita apud delicatas nares amat fieri, vt ad verminantem & putidam saniem nares premant; at non apud cælestes: quibus nihil malè olet, nisi in cælũ peccata. Ergò quem terra nauseauit, cælum accepit; nam inde in auxilium aduocatus, vlcera ita absterſit, vt vix cicatrices manserint.

Molendinario in tibia contractio difficilem incessum fecerat; sed venit tandem licet claudus ad cælum & sanctos; inde ad ipsum AVGVSTINVS, quid nisi sospitator? qui cum Petro dixit: *surge & ambula.*

Puer quidam incredibili lateris renumque dolore vexatus calculo laborabat, neque miser lapides eniti potuit. Nondum partus maturus. Interim meatus grauiter sauciari, & suppetiæ vndique acciræ, nihil proficere. Quid faceret? cælum precibus pulsauit, quod AVGVSTINVM misit, continuoque dolor fragmentis lapidis emissis, remisit.

Cæcus à natalibus erat, cui vel meridies & Sol altissimus Ægyptiacæ tenebræ erant. Sed venit Sol Doctorum, & post lumen mentis etiam oculis dedit. Q q.

Vnum adhuc commemorabo nostro æuo factũm. In Hibernia adolescens anno millesimo, quingentesimo, octuagesimo octauo patronum sibi è beatorum cœtu adoptauerat AVGVSTINVM. Visa est grata hæc electio. Secundùm quietem visus est sibi adolescens, velut ab amico ad conuiuium inuitatus sese ad symbolam componere cum aliquot sodalis qui præcesserunt. Dum cultum vestium examinat, & ad legem superbiamque omnia componit, virum venerabili videt specie, qui eum à turba seducens, hæc itentidem verba iterauit: *transite vana, transite vana.* Tum conuersus ad alios: & *Hic*, ait, *statuit deseruire Deo.* Hoc somnio mirificè excitatus adolescens frugi de cætero esse cœpit. R r.

P. *Lib 3. Confess. cap. 11.* Q. *Citato lib. cap. vlt.* R. *Vt testis est Iustus Lipsius de magnitudine Romana lib. 1. S. Ambrosius Coranus in vita Augustini.* S. *Prosper*; Ludouicus de Angelis hic. T. *Ex lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8.* V. *Secunda Corinth. c. 12. vers. 2.* X. *Ex lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8.* Y. *Refertur in Chronico Fratrum minorum, vbi dicitur fugisse Cacodæmon ad septem milliaria à sancto Iunipero, ne cogeretur ei adesse.* Z. *Vide in tomo 10. August. ante sermonem de diuersis 31. editionis Parisiensis.* Aa. *Sermone in Dominica 13. Post Pentecosten.* Bb. *Possidius in vita August. c. 29.* Cc. *Citato apud Ludouicum de Angelis hic.* Dd. *Ita antiquum ordinem Eremitarũ breuiarii.* Ee. *Tob. 5. vers. 12.* Ff. *Psal. 113.* Gg. *in fine operum Aug. to. 10.*

Digitized by Google

Parisijs impresso. Hh. *Genes. 26.* Ii. *2. Regum 23.* Ll. *Exodi 8.* Mm. *Vide Hieronymum Romanum in centuria 11.* Nn. *Baronius anno Christi 398.* Oo. *Gloria Bellica lib. 10. cap. 1.* Pp. *Iosephus Pamphilus in Chronico Ordinis Eremitarum Anno 1430.* Qq. *Iacobus de Voragine in vita Augustini.* Rr. *Ioannes Nies, in alphabeto Christiano.*

M III Quid ergo herbaria opes terræ, bulgas diuitum exhauris? quid hortenses tu succos excoquis, & vitreis focis rosarium stillicidium deriuas? quid radices sole exustas & aridas in mortario contũdis? quid trapeto oliuas teris, & aquas sublimas? quid gargarismos & collyria paras? quid pharmacopolia myrothecis imples & tanti miseriam paras? Lemma est æternæ veritatis: *medicè,*
N *esse misere viuere.* Tua purgantia, emollientia, relaxantia, corroborantia, vrnam Artemisiæ quidam nominant, quâ mortis potio hauritur: nam plerumque dum deperditas vires restaurare laboramus, magis eas affligimus. Fabula est, Æsonis excocto senio reductam iuuentam. Non eò virtutis, ars ascendit vnquã, quo nec natura potuit Foues quidem fateor naturã, sed infirmè; nec aliter artti tuæ quàm arundini innitimur, quę cum lasso brachio sustentaculum arripitur, inclini non tantum fidus baculus est, sed perfodit & decipit. Pausanias Rex scisciranti suo Medico: quî nunquam ægrotaret? quod te, respondit, non vtar.

Sed velim intelligi, non eò ista à me dicta vt cum Anabaptistis omnem vsum pharmacorum interdicam: malè illi, vt omnia alia intelligunt, reprehensum regem Asam, quòd medicis se credidisset. ss. Quin honoro medicum, & cum Tympio sentio: cùm consulo, angelico vultu; cùm iuuat, puto clarere diuino. Sed hoc aio: vbi natura desperat, ad cælum fugiendum, & insuper habendam artem humanam.

Multo minus in auxilium vocandos existimo Agyrtas circum-
O forancos, aut, vt Plautus ait, Dentifrangibulos. *Nunquid enim non est resina in Galaad, aut medicus non est ibi? nunquid abbreuiata est manus Domini?* Nunquid *Gratia & virtute ex alto* basiliscos, aspides, & quidquid incommodare potuit, primi duodecim uiri, & post illos sine numero innumeri innoxiè tractârunt? Tt. vt Melitæ viperam Paulus, vt Boam serpentem Hilarion, vt duos Draco-
nes Ammon, Crocodilum Helenus, hyænam Macarius Ale-
P xandrinus? v. Tetragrammaton Iehoua adhibeant, supra ægros manus imponant & bene habebunt.

Ite ergo

Ite ergo Athei, quibus nasus adhuc sagax est, & vel ex miraculis Deum esse discite. Ite hæretici, qui catharro tam crasso laboratis, vt simul ex capite cum humore cerebrum defluat; vendite sectam vestram impiam pro orthodoxa & sancta fide. Tametsi nullum vnquam germanum miraculum vidistis, Thaumaturgi tamen esse vobis videmini. Si vertagi canes ex vestigijs relictis prædam siluestrem odorantur, quid vos nares obstruitis, & ex istis miris supra naturam, supra artem, velut ex vestigijs terræ impressis in cognitionem Dei venire renuitis? nonne miracula odor vnguentorum sunt, post quem currit sponsa (Ecclesia vera) & trahi postulat? acutissimi nasi erat ille ex orthodoxis, cui hæc verba in ore: *Domine si error est quod credimus, à te decepti sumus, ista enim in nobis ijs signis & prodigijs confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Meliores adhuc illi, quorum incredulitatem tamen exprobrauit Christus: *Nisi signa & prodigia videritis non credetis.* Dicant ludi sensus, phantasiam inuerti phantastici; nos ex miraculis verum Deum, veramque fidem odori deprehendimus, & illa tesseram fidei Catholicæ agnoscimus.

Quanta indagine Deum AVGVSTINVS quæsiuit? fugit Deus vt absens magis desideraretur, desideratus auidius quæreretur, diù quæsitus tandem gratius inueniretur. Quæsiuit illum per noctes (in tenebris infidelitatis) quæsiuit & non inuenit. Circuiuit ciuitatem (mundi) & per vicos & plateas quæsiuit, sed non inuenit. Obambulauit terram, sulcauit aëra, cælorum orbes ascendit. xx. verùm cum paululum pertransisset terrena, inuenit quem diligebat anima eius. Inde gaudia, inde teleusmata ista: *Ecce quod concupiui iam video, quod speraui iam teneo, quod desideraui iam habeo. Gratia tibi lux mea quoniam illuminasti me. Inuêni te & me: vbi inuêni me, vbi cognoui me, ibi inueni te, ibi cognoui te, vbi autem cognoui te, ibi illuminasti me.*

Vicisti AVGVSTINE, nunc tandem in cælo iunctus es ei quem in terris positus tota virtute dilexisti; tota charitate amplexus es, cui toto amore inhæsisti. Quid ergo pæana & Epinicia cessamus? vicisti hæreticos, quid ergo tibi porrigere herbam cessant? adest *Victoria* palmaris illa Dea & Daphnen (laurum aio) ianitricem Cæsarum concedit. Hanc victorijs partis vete-

res Martis sectatores in gremium Iouis deponebant; tu autem pro modestia tua ad pedes Dei cum viginti quatuor senioribus omnes oleas, omnes palmas, omnes coronas hîc obtentas ponis & in acceptis refers. Quia Chamædaphnes lauri tuæ sunt, extra fulmina es, & missa ab hæreticis ad te calumniarum fulmina non proueniunt, sed in Autores recidunt, à quibus venerunt.

Sſ. *2. Paralipomenon 16.* Tt. *Acta Apostolorum cap. 28. vers. 5.* Vu. *In eorum vita in vitis Patrum. vide Cornelium de lapide in caput Geneſis 9. vers. 2.* Xx. *Vide Confeſſ. Auguſtini.*

PERIO-

Digitized by Google

Digitized by Google



DVX VNVS, VARIISQVE COHORS TAMEN VTITVR ARMIS
PRO CHRISTO, PETRO, RELLIGIONE, FIDE.

Digitized by Google

PERIOCHE ICONIS VIGESIMÆSECVNDÆ.

I. AVGVSTINVS FOECVNDVS PARENS INNVMERAM PROGENVIT PROLEM. II. QVANTIS PRÆROGATIVIS DEO SACRATI HOMINES viuant. III. Quàm nihil hostiles vires in religiosas familias possint. IV. Quanta gloria & Nominis fama AVGVSTINO post-hunc.

I.

VEteres memoriæ tradunt, Machtildem Comitis Hennebergij vxorem vno partu protulisse trecentas sexaginta quatuor proles, quas omnes sacro fonte Otho Antistes quidam Vltraiectinus abluit. A. Res fabulæ quàm historiæ similior, nisi constans assensus multorum fidem adstrueret. Sed præ partu AVGVSTINI hæc non admodum suspicienda; nam tot noster parens filios Ecclesiæ progenuit, quibus numerandis non vlli facilè calculi sufficerint. Enimuerò per vniuersum ferè orbem stirps ista mirificè dispalata sedem vbique nanciscitur, atque tot regna occupat, vt si in digitos illa tu mittere velis, prius oculos in omnem orbem mittas necessum sit. Profectò quoquouersum Colonias ductas videbis, vt nullum regnum, nulla penè Christiana prouincia sit, vbi domicilium non fixerit AVGVSTINVS. Integrum libellum monasteriorum instituti nostri Canonicorum solùm Regularium euulgauit Aubertus Miræus. B. Eremiticorum autem monasteriorum supra bis mille numerat Baptista Alouisianus. C. Mitto hic integros exercitus sub eiusdem Ducis signis hodieque militantes, quorum alij sexaginta duos, alij plures etiam esse volunt. D. Nimirum ex hac propagine arbor Nabuchodonosoræa repullulat, quæ non tan-

tùm ob ſuam celſitudinem ſidera ferit; ſed ad quatuor mundi plagas pertinet: cuius folia aſpectu pulcherrima, fructus delicatiſſimus; ſed hoc ſingulare arbor iſta habet, vt non ſit priùs exſcindenda, quàm mundi honor funeſtetur, iuſtitium & quies rerum omnium indicatur. E. Granum Euangelicum eſt ſinapis, quod à tantillis initijs ad tantam excreuit vaſtitatem. AVGVSTINO quoque in Abrahamo Patriarcha proſperè dixit Deus, quem vbi egreſſum de terra ſua, de cognatione ſua & de domo Patris ſui intellexit, terram promiſſionis lac & mel fluentem illi dedit, & pro paucis admodum quos reliquit amicis, gentem magnam. Ita fœnerant qui commercia in cœlum exercent. F. Numeret ſi poteſt Mathematicorum ſchola ſidera & ſtellas, nec tamen AVGVSTINI filios numerabit.

Magnus Belli Dux Darius præter innumerum quem conſcripſit militem, decem millia robuſtiſſimorum Heroum aluit, quos immortales appellabat, non quod ex his nullus morti conceſſiſſet, ſed ea potiſſimùm de cauſa, quod humanis ereptis quamprimùm alios ſuffeciſſet, vt ita ne numerus imminutus videretur. Maiori nomine miles AVGVSTINI immortalis cluet, qui præterquam quod beatam immortalitatem anhelet, non ſolum non decreſcit, ſed felici auctu & incremento colonias etiam transfert.

Miris laudibus celebratur Argo nauis illa, quâ Iaſon cum flore iuuentutis Græciæ Colchos profectus eſt, velluſque aureum reportauit. Vehebat illa claſſis heroes amplius quinquaginta. Inſtruxit claſſem noſter Iaſon, quâ non Colchida, ſed cœlum petit; non pro vellere aureo aut paludamento regio, ſed pro immortali coronâ, *quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Nauis illa principes quinquaginta quatuor habuit; infinitos numerat noſtra. A Eſt ibi S. Ioannes Columbinus Ieſuatorum primus fundator anno circiter milleſimo trecenteſimo quinquageſimo. Eſt S. Dominicus catellus ille in vtero parentis latrare viſus; quantum lumen Eccleſiæ? quot tribuum ſacrarum Patriarcha? eſt Birgitta pientiſſima tot ſanctimonialium & virginum Virgo Mater. G. eſt Philippus Binutius religioſiſſimus inſtitutor ſeruorum beatiſſimæ Deiparentis. H. Eſt illuſtrator eximius Canonicorum ſæcularium S. Laurentius Iuſtinianus Ve-

nus Venetus. Est Ioannes Lusitanus primordia dans ministrantibus infirmis. 1. Est Sanctiss: Norbertus Archiepiscopus olim Magdeburgensis venerabilis inceptor cœtus Præmonstratensis Canonicorum Regularium. L. sunt alij Duces militantium vt vocant Ordinum, quæ sacræ familiæ mirâ Dei prouidentiâ ijs maximè temporibus incunabula posuerunt, quibus Sancta Mater Ecclesia vehementer diuexata est, quæ proinde oppressa, virtute religiosorum militum erat defendenda & in libertatem vindicanda. Hæc sola militia quantam stragem Turcis alijsque gentilibus intulerit inferatque, annales passim loquuntur. B

Operosum esset integras alias acies sub nostris vexillis militantes recensere; nimis prolixum esset in chartam tot myriades mittere; etiamnum integros exercitus exiguo atrio includere, vt nullus excuneetur, meum non est. Isti tamen omnes antesignani plurésq; alij innumeros sub se habent milites, pleroscque bonos, licet & mali cum hæreticis sese immisceant: qui si in publica scelera erumpant, ejiciuntur, aut suâ sponte profugiunt, ne contagione pestiferâ plurimos perdant. Quando autem quietè viuunt, & pietatis pallio malitiam obnubunt, non adeò mirandum est, si tolerentur, vsque dum Angeli malos à bonis olim separaturi sunt. Neque ideo optimis & sanctissimis familijs iniuria facienda, tametsi sese quidam discoli Sacramento emancipent & exauctorent. Quid fædifragos Martinos & lupas Catharinas moramur? Non ideo duodecimuiratus deterior, etsi proditorem Iudam habuerit. Non ideo Angeli non purissimi sunt spiritus, etsi tertia pars stellarum turpiter desciuerit. Non ideo triticum non metendum, etsi paleæ, zizaniaque in agro sint. Non ideo ouili Domini excedendum, etsi porriginem, scabiemque in vna aut altera bidente aduertas. Tunè retia Domini negliges, sagenam in mare non mittes, nundinem piscatoriam non facies, si mugiles & capitones leuioti sque gentis pisciculos inter fundulos capias? tunè vineæ contemptim præteribis, botros & vuas non leges, si pampinos & nihili labrusca videris? damnabisne quinque prudentes virgines, ob fatuas & somno deditas? C

Quæsitus Saluator noster: an eundum, & zizania colligenda? cum fronte prohibuit; ne forte vnà eradicaretur triticum.

Veniet dies olim, quâ omnia ex aprico, in clarissimum diem & solem venient. Interea temporis non nimis curiosè est inquirendum, quisnam amore an odio dignus sit? Non conceditur hîc zelosis discipulis, vt ignis de cœlo descendat, & conflagret vel parum exerrantem linguam, labantem pedem. Interea non funditùs euertenda monasteria, etsi prauos nonnullos in ijs sit reperire.

In nouo orbe & Americâ cùm moriuntur, comites accipiunt quasi ad ministerium, aut solatium, atque in primis charissimas vxorum. Hæ magno studio inter se certant & æmulantur, quæ cum marito viua defodiatur. M. In nouo orbe hoc fit; sed in antiquiori & religiosiori nos sæculo viuimus, si quidam Deo moriuntur & religione excedunt, non tantùm non certamus inter nos, quisnam cum istis Apostatis exeat, sed piè dolemus corpori ob membra abscissa. Abeant qui velint, quos superbia aut Venus occupat, maior & sanior pars manebit, & prærogatiuis illis gaudebit, quas præ mundanis habemus.

A. Iustus Lipsius in Diua Hallensi cap. 3. B. In progressionibus seu Originibus Cart. Regul. C. Teste Pamphilo apud Nicolaum Crusenium in suo monastico. D. Vide Stellartium, Aubertum Miræum, Ludouicum de Angelis, Crusenium. E. Danielis 4. F. Genes. 12. G. Circa annum Domini 1370. H. Circa annum 1233. alij, 1252. I. Circa annum 1540. L. 1120. M. Iustus Lipsius in Politicis Exemplis.

II. Non abludunt tàm prophani quàm sacri scriptores qui hoc vniuersum nostrum furioso pelago comparant, quod procellas voluit, & Euripos vorat; vbi sicut vnda trudit vndam, sic vna ex aliâ sequitur miseria. Cæterùm omnes quidem ex hoc mari ad bonæ spei littus tendimus; diuersis tamen vijs eò grassamur. Alij verâ omnibusque numeris instructissimâ naui; alij scirpeâ rati; vado, aut natando: illi itinere breui, facili, securo; isti laborioso & vndequaque infido. Fuerit Arion quem Delphinus vector transportasse dicitur; sed alterum tu adstrue similem; fuerint duo aut tres qui siccis pedibus transmeârunt, quibus aqueum mare solida terra fuit; sed hoc miramur pro cælesti portento. Fuerint pauci alij qui remigio brachiorum maria superârunt; sed hi simul ex illis fuêre, quos æquus amauit Iupiter. Plerique aquis præfocati, sine naui pereunt. Vix vnus & alter qui dicere cum veritate potuit: *torrentem pertransiuit anima nostra.* N. vix tertius aut quartus: *qui eductus de lacu miseriæ &*

riæ & de luto facis. O. Contrà verò longè omnia alia experiuntur illi, qui naui iter instituunt; quamuis enim & illorum quidam naufragium patiantur, plures tamen exoptatum portum salutant, & læti exscendunt.

Sine ambagibus rem eloquar. Religiosas familias naui; seculares vado, aut natando abire pictor meus effigiauit; ex vero, si rem bene perpendo; quippe vt hic omittam ego longas instituere antitheses, aut parecbases, quantis incommodis Deo sacrati sint exempti; quantis mundani obnoxij; ipse AVGVSTINVS vult Religiosum à religando nomenclaturam accepisse. ꝑ. quô Deo ita deuincimur, vt totos nos potestati eius mancipemus. Quem tu autem rutiùs nunc vehi existimas, qui se freto sine transtris alijsque nauticis auxilijs temerè committit, an cuius classis Deo religata est? Cùm tumentes desuper fluctus imminent, cumque eam quam ferunt mortem minantur, non habent quod summopere formident qui Deo sunt tam sanctâ catenâ annexi. Sedet in summo mali carchesio diuinissimus Spiritus, meteora prospiciens, & nauticæ artis longè scientissimus; futuras tempestates antè denunciat, vt iactis prius anchoris naues rudentibus deligemus, quàm tumentes venti adoriantur. Sed fac, maligniore sorte fluctus quandoque decumanos religiosam cymbam quassare; vix manus ad sidera tollere potes, vix cœlum inclamare opem, ocyùs superus nauclerus Æolum pellet, fluctus sedabit, flabrisque vela implebit, eò enim in carbaso adest. *Stant in tuto*, ait Chrysostomus, O. *qui Christo viuunt; vt si quis rupis excelsæ verticem tenens pelagus omne prospiciat, multosq; indè nauigantium, crebris fluctibus freti vndâ submergi; alios in prærupti montis saxo collidi; nonnullos ad alia littora contendendo properare, & subitò vi tempestatis vt vinctos ad alia deduci. Plures sorbente vndâ sæuientis profundi ima penetrare; aliquos autem tabulæ vnius auxilio ex fragmentis nauis inuentæ à morte defendi, aliquando pro gubernaculo & remigijs, manibus tantummodo suis vti; alios autem videat inter turbidos fluctus multiplici genere cadauera fieri.* Hactenus os aureum.

Et ita plane est, ita qui militat Christo, in arduo consistit, ac tuto securus loco; vt adeo ex mente prædicti Ecclesiæ doctoris: ad monasterium diuertere sit quasi ad cœlos auolare. Non ibi licebit, quæ alibi, intueri. Monachorum cœtus ibi perpurus est, & silentium apud eos & plurima quies. Antequàm vocem edit gal-

Digitized by Google

edit gallus, mox omnes excitati somno excusso modeste lectulos deserunt, chorum sanctum instituunt, manus tollunt, sacros depangunt hymnos. Alij post preces operis se tradunt, quarum sunt gnari, & religiosâ vicissitudine redintegrant sacrum pensum; tum denique, si quid temporis reliqui, sacris paginis vacant. Vescentibus, ridentibus alijs, hi sese sacris odarijs exercent, & dum reliqui etiam die dormiunt, isti etiam noctes ducunt insomnes. *Vox exultationis in tabernaculis iustorum.* R. Non est Principum ibi metus, non Dominorum insolentia, non seruorum timor, non mulierum tumultus, non puerorum perturbatio, non arcularum multitudo, neque superflua vestium propositio, non ibi aurum, non argentum (curarum origo) non custodiæ, non aliud quidpiam huiusmodi, sed omnia spirituali fragrantiâ plena. Si corpus animâ priuetur (quod Philosophus terribilium omnium terribilissimum vocat) hi nullam iacturam se fecisse profitentur, sed profecisse; nam his cum Paulo viuere Christus est & mori lucrum. S.

Sed recentiorem Religiosum audiamus vt illis obuiemus qui hæc sancta athletica desijsse nunc temporis in monasterijs garriunt. Bernardus is est. Qui sacris familijs hæc numerat præmia: *in religione*, inquit, *homo viuit purius*; cùm ob ordinatissimam qua fertur in Deum voluntatem, tùm ob noxarum raritatem, non tam læthalium quàm leuissimarũ (si leue dici potest quod summum offendit bonum.) *Cadit rarius*: quia rariores in disciplinâ monasticâ offensionis lapides, fac enim & ibi offensacula esse; tollent ea quamprimum qui præsunt moribus nostris. Inde *surgit homo in religione velocius*; dabo enim cecidisse, nam iustus in die septies cadit; continuò brachia fratrum adsunt, quæ benignè erigunt & subleuant. Væ soli, quia non habet subleuantem se. T. adsunt cadenti Angelica ministeria, quæ centuplo studiosiùs religiosis animis inseruiunt, quàm sæcularibus. *Incedit cautius.* Quot enim regulæ sanctarum institutionum, tot sunt viæ comites, ne aberremus: tot duces; quot confratres, qui vel iter virtutum præeunt vel dextrum callem ostendunt. *Quiescit securius*; Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus. V. meum & tuum exulat: crucifixus mundus cum vitijs & concupiscentijs suis est. *Irrorat crebrius*: quotidiana enim sunt exercitia

ercitia meditationum, ieiuniorum, afflictationum & macerationum carnis; quid ergo mirum, si inspirationes diuinæ frequentiùs adsunt, & gratiæ maiori imbre depluant? Super quẽ enim requiescet Spiritus Domini, nisi super humilem & quietum, & compunctum corde? x *purgatur citiùs*: quotidie enim speculum conscientiæ inspicit, in singulos inquirit nævos, emendat studiosè menda coram confessionum arbitro. *Moritur confidentius*: quid ni? promisit Deus mercedem & se & cælum ijs qui vendunt omnia & sequuntur vocantem. Certè qui valedicunt omnibus quæ hæreditario iure possident, sedebunt super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Y.

O itaque omnis periculi secura nauis, religiosa domus, in qua præter tot iam dicta bona malleus hæreticorum sedet, qui omnes sectas non tantùm ad incudem vocat, sed adeo etiam tundit, vt verberum horrore & lanienâ quâ Acatholici excarnificantur, deterriti, illam Liburnicam tantùm optent in quâ rogante Petro omnibus tempestatibus imperatum est. O felix nauis quam protelat gladius Gedeonis fortissimi belli ducis, qui paucis militum centurijs integras acies in æternam famæ ignominiam strauit. Vituperabile Romanis fuit sine duce pugnare, imo & vincere. Non fluctuabit nauis ista quia oculatissimum rectorem habet in qua oculus ipse relucet mirifico splẽdore diuinæ Veritatis, quæ omnia acutissimè peruidet, mentesque quas vulnerat, illuminat. Zisca vtroque oculo amisso Thaboritarum dux fuit. Z. Res apud posteros plus admirationis habitura quàm fidei. Quam denique nauem ad se cælestes genij magnâ beneuolentiâ vocant, si quæ breuia declinanda studiosè ostendunt, si quæ scyllæ euitandæ magnâ diligentiâ edocent. B

N. *Psal.* 123. O. *Psal.* 39. P. *lib. de vera relig circa finem.* Q. *tomo* 5. *epist.* 6. R. *Chrysostomus tomo* 5. S. *Idem hom.* 59. T. *Eccles. ast.* 4. V. 2. *Timoth.* 2. X. *Isaiæ vlt.* Y. *Matth.* 19. Z. *Bzouius tom.* 15. *annal. Ecclesiasticorum.*

III. Impleant monasteria sannis, maledictis, sutelis, quibus mens non est sana: non talionem reponit *vera religio*, sed silet & patitur, docta iam pridem in chamo & fræno maxillas suas constringere; & in maledicentiæ agone non feriendo, sed ferendo vinci; quippe vt eleganter Isidorus: *In Christi palæstrâ lege sancitum est, vt qui percutitur, non qui percutit coronâ donetur.* Sine inuidiâ F

aut vin-

Digitized by Google

aut vindictâ pàtitur, & in arâ carnem ſuàm velut viuam adolet hoſtiam, dum lumbos præcingit, dum efferueſcentes ſpiritus edomat, dum quidquid titillare poteſt egregia victrix triumphat. Nimirum corona aurea promittitur ijs qui ſpinas gerunt. Bacchentur Mænades, difficilè funiculum triplicem rumpent, difficile tria religioſorum vota euertent. Effudit Arius, Donatus, Pelagius, criminationes in AVGVSTINVM, ſed ranas iſtas (harum nomine intellexit Hæreticos) Aa. ad ſuas iterum paludes poſtliminio redire compulit, vbi pro libidine coàxare poſſunt. Nota eſt cuiuſdam Orcinæ titionis dicacitas, cuius iſta: Ancilla cum mulget vaccas, ſeruus cum paſtinat agrum ..... Deo magis ſeruit quàm omnes Monachi & Monachæ. Bb. Blandè hoc quidem, ſed emaſculè, qui adeo pro monumento cum Iſocrate mereatur Sirenem arieti inſidentem cum lyra in manu. Cc. quod ſuis blanditijs & pellaci cantu vulgum ſimplicem & bonum dementet.

Scio Lutheri blaſphemum os, qui ſine fronte & cerebro affirmat: Deo in cælo nil aliud eſſe negotij, quàm vt Sartoris inſtar cappas & blattas, cingula & cilicina induſia faciat. Dd. Erras Martine, ſtygio tortori negotium dat Deus, vt theatrum crudelitatis inſtruat, quo tam blaſphemum pro meritis puniat. Scio quàm Monachi vel ſolum nomen ſtomachum vertat Philippo Melanchthoni, vt turpiter pridem ejecerit, quod concoquere non potuit, dum vanè gannit: Obſeruationes religioſorum, Hypocriticas eſſe ſimulationes, traditiones Phariſaicas, atque Mahumeticas. Ee. Vlterius progreſſus eſt Ioannes Wiccleff, qui religioſorum Ordines à Diabolo in Eccleſiam introductos aſſerit, & adeo ſuperſtitionem multiplicem in monaſterijs inualuiſſe, vt AVGVSTINVM, Benedictum, Bernar-
G dum ignibus æternis addicat, niſi pœnitentiam egerint. Ff. Pulchrè adſtipulatur ſuis ſuccenturiatis Babylonica meretrix, quæ infeſtis ſignis ſanctorum ſanguine ebria mouet in hanc religioſam nauem, perpetuam ſe diſciplinæ monaſticæ hoſtem profeſſa.

Refert Salluſtius: omnes eos qui cum Lucio Catilina in perniciem vrbis Romanæ iurauerant, voluiſſe ex vno calice ſanguinem bibere humanum, quo ſignificabant non remiſſu-

ros ſe

ros se quippiam de datâ semel fide, sed perpetuò vnanimes, atque concordes fore, tametsi patriam moresque non vnos haberent. Ad hunc modum discordes cæteroquin animi in hoc vnico conueniunt, vt capitali odio odia in omnes Romanè viuentes proseminent. In hunc finem iuuant latratus & scomata H canum secularium; atque in calumniandi scenâ cum Dæmone & inueteratis draconibus personas suas egregiè sustinent, dum pestilenti halitu obuios quosque inficiunt. Veniunt & in rem I gigantes superbi qui magnis conatibus iactis desuper integris montibus submergere hanc nauem contendunt. Verùm operam ludunt omnes, & Æthiopes se in mari lauant. Quamuis enim pleriquè hîc suos neruos exerant vt pessum dare religiones possint, promissum tamen Petrinæ classi est, ad quam religiosæ naues alligantur, *portæ inferi non præualitur æ aduersus eam.*

Sicut Buteones, palustres illæ aues, horrendum quidem cla L morem edunt, sed in limosis arundinetis; ita hæresis grandè sonat, sed in hominibus tumore agitatis, in arundineis hæresiarchis, qui ad morem Cannæ ad ventorum vim flectuntur, non aliâ de causâ, quam quod in madido cæno radicati sint, nec quicquam medullæ habeant intra suos tubulos. Mitto quòd arundo improborum sit symbolum, quia inconstans, quia in vligine nata, quia foris polita & recta, sed intus emedullata. Sed clament stridulæ istæ aues pro libidine sua, exerceant suum ingenium aduersus religiosos hæretici, haud secus agunt, quam Satyri licentiosi, quibus non est intellectus, qui facie & exter- M no cultu humanos se quidem ostendunt, cæterùm pilis corpore hispido Fauni, pedibus olidi sunt hirci, qui asino silvestri, & ipsi auriti insident (digni Alexandri talibus Bucephalis) neque me abludere putes; sicut onager ferendo oneri non seruit & inutili virgâ feritur; sicut infrænis magnâ contumaciâ recalcitrat, & sternax insessorem deijcit, habitatque in desertis lucis, vbi solet luxuriari, & cursitare quocunque eum impellit cupiditas, maximè dum libidine accensus velut emissarius fœminas insequitur; ita prorsus hæresis nunquàm, aut ægrè à libidine idololatriæ reuocari potest, sed per montes & colles desultoria nunc ad Lutherum, nunc Caluinum adhinnit, noua Idola meretricio furore quæritans, tum potissimùm, quando Veneres

insequitur, contenditque castitatem illibatam consistere non posse (ita interminas Deo vires pro arbitrio hîc accîdunt) dum omne iugum excutit, & tanto itinere à vero aberrat, quantâ intercapedine cælum à terra distat.

Pythagoræis in more fuit ad lyram obdormiscere: cum Marsias tibiam inflat, cùm audit hæresis placentia, tum demum impetuosum cæteroquîn animal quiescit. Sed Lacedæmonij fortiores erant qui ad fistulæ sonum ad prælium sunt animati, quos imitantur religiosi, qui dum fistulam Sirenum & suaue odarium canentis carnis audiunt, tum vel maximè se ad prælium accingunt. Latet anguis in herba, quoties occentant hæretici, neque enim Argi oculos, fistula mentientis Mercurij omnes sopire potest.

Prudenter ab Ecclesiasticæ historiæ scriptoribus animadversum est, vt quotiescunque blandè canentes Dæmones (hæreticos oportebat dicere) de terra iusto Dei iudicio prodiêre, toties missos Angelos à Deo qui hos procos, hos hæresiarchas, hos Apostatas gladio verbi sui ferirent, atque internecioni darent. Sic (vt Petrus Ribadeneira scribit,) quo die Pelagius in Anglia natus est vt tenebras errorum mundo offunderet, eodem ipso die Ecclesiæ lumen AVGVSTINVM emicuisse, vt impij ac nefarij hominis caliginem depelleret, & vniuersam Ecclesiam luce sua illustraret. Quo tempore Albigenses importunius Ecclesiæ pacem turbabant, & spinæ vitiorum semen à cælesti satore sparsum malignè suffocabant, duo illa mundi lumina atque ornamenta Dominicus & Franciscus quasi de cælo lapsi sunt, vt hæreticorum frænarent impetum, errorum radices euellerent, vitia tollerent, mores componerent, denique vniuersum terrarum orbem admirabili vita atque doctrina illuminarent. Sic obuiauit Ioanni Wicleff, perditissimo incendiario, Thomas Waldensis, sic Martino Luthero Ignatius. Sic singuli hæresiarchæ singulos Patriarchas religiosos fortiuntur, hodieque formidant.

Aa. *Serm. 95. de temp.* Bb. *Vide Bibliotheca Iacobi Gretseri.* Cc. *Vide Fabium Paulum in Hebræis lib. 1. cap. 3.* Dd. *Lutherus in tomo 3. nouorum operum.* Ee. *Melanchthon in apologia pro confessione Augustana de votis.* Ff. *Ioannes Vvicleff in suis articulis apud Constantiam reprobatis.* Gg. *In vita eiusdem lib. 2. cap. 18.*

IV. Atque

Digitized by Google

IV. Atque isti magnanimi duces cum ab AVGVSTINO plerique omnes animati contra antagonistas processerint, magnamque partem & debellârint, & debellaturi imposterum sint, cum magna nominis & gloriæ iniuria, non omnem gloriam quæ inde redundat fonti adscriberemus. Quis equites Ierosolymitanos, quis S. Iacobi, quis S. Ioannis in gentiles armauit? quis tot duces ad impias sectas fundituis euellendas militari disciplinâ instruxit, & in aciem emisit, nisi AVGVSTINVS? Xerxes ipse, qui nauium numero velut ponte stratu Oceanum, non tot hostes strauit, vnde subens gloriam cedit.

Alexander magnus qui tametsi tot victorias ab hoste tulerit, vt non plures esse mundos doluerit, præ AVGVSTINO suæ paruum agnoscit. Abimelech militiæ dux fortissimus imbellem sese fatetur. Quid enim? in expugnatione Thebes lapide à mulieris imbelli manu emisso, occubuit, & omnium facinorum laudabilem seriem morte minùs gloriosâ clausit. Et ille qui Oceanum suis classibus occuluit, vix Lembum ad turpem fugam inuenit. Philippi autem filius veneno ablatus est. Gloriâ AVGVSTINVS; nam in omnibus suis quantumuis præclarè factis Gloriam iste quæsiuit illam, quæ gloriam ex gloriæ & opum contemptu vendicat. N.

Vt Thyrsus & hedera perennem seruant virorem, ita perpetuò florebit AVGVSTINI gloria; vt aquila omnes volando superat alites, ita infinitis parasangis alios Doctores post se reliquit AVGVSTINVS.

Herodianus auctor est, h h. Imperatore vitâ functo pyram in tabernaculi formam constructam olim esse, eamque auro & ebore signisque & tabulis pictis exornatam mirificè: in cuius summo culmine aquila cum omnium odorum aggestu, lectoque aureo & purpurâ constrato collocabatur, vt ibidem maiori admiratione cadauer spectaretur. Hunc lectum verò senatorius & equester ordo, viri triumphales & omnes ij qui amplissimos honores gesserant, in pyram cum carmine & hymnis deferebant, multis omnis generis honoribus diuinis & humanis aggestis. Tandem incensa pyra cùm vapore & fumo aquila agitata è summo rogo aëra petijsset, religio excussa fuit demortui Imperatoris animam cœlum petijsse, eo quod mortale fuit

priùs defæcato in numerum cælestium & Deorum concilium receptam esse. Vana ista quis nesciat? At non vana ab aquila AVGVSTINVM in cœlum sublatum, ad quantam gloriam & dignitatem? nullus explicare potest.

Asserat AVGVSTINVS, neminem ordinario cursu posse à terra in supremum cœlum venire spatio quingentorum annorum millium, ab aquila triumphante citius ictu oculi ad cœlos vectus est, vbi corona aurea super caput eius expressa signo Sanctitatis, gloria honoris & opus fortitudinis. Volet pennata illa Dea pernicibus alis celer bona tum cùm lætis nuncijs occupat aures. Volet reflatâ veste vestigio instabili toscidis pedibus per terras per maria cum *ciconia*, & æternam sine futura hyeme AVGVSTINO factam esse æstatem denunciet. Ita merentur eius in Ecclesiam merita.

Hh. *lib. 4. historiæ Romanæ.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICVS RERVM.

A.

Aaronici Sacerdotes, quibus ritibus sint initiati. pag. 119.
Abrahamus figura obedientiæ. 133.
Academici hæretici de omnibus dubitant. 46.
Acediæ imago explicatur. 69.
Adeodatus AVGVSTINI filius quo anno natus. 11. cum parente baptizatur. & quando. 80. eius ingenium immensum. ibid. moriente matre altum lacrymatur. 110.
Ægyptij Sacerdotes abstinuerunt carnibus, ouis, ac lacte. 156. canes, ibides, crocodilos adorârunt. 232.
Africa à barbaris deuastatur. 240. causa deuastationis. 243.
Agathocles Rex nunquã sine fictilibus cœnauit. & quare. 223.
Agesilaus Lacedæmoniorum Rex cum filijs pueriliter lusit. 3.
Alexander magni fecit Homerum. 6. etiam libros eius. idem cùm Thebas caperet Pindari domum, & familiæ parci iussit. Aristotelis patriam condidit. 28. Gratitudo eius erga suum præceptorem. 5. Dixit Persicas puellas esse oculorum dolores. 137.
Alipius Romæ offendit AVGVSTINVM cum quo Mediolanum proficiscitur. 47. mutat viram in melius. 73. cum AVGVSTINO baptizatur. 80.
Alphonso Neapolitanorũ Regi chariores scientiæ erant, quàm septem suaregna, cui & liber pro insigni. 27.
Ambrosius quantus. 48. eius conciones adit & audit AVGVSTINVS ibid. ante tempus AVGVSTINIANI baptismi rarò aut nunquam locutus est AVGVSTINO. 78. AVGVSTINVM baptizat. Componit cum eodem *Te Deum laudamus*. 84. Graviter inuehitur in cerussatas facies. 218. Rationes eius quatuor quod vestes non sint mutandæ. 220. Felicitatem pro malo omine habuit. 247.

Digitized by Google

Ammonis strictum silentium cum suis monachis. 138.
Anastasius vsus est dæmonijs velut operarijs in ædificando suo monasterio. 128.
Anaxagoras capillos clauis affixit, ne inter legendum fortè nutaret. 28. cælum votauit patriam suam. 274.
Angelorum officia. 97.
Anser hæreticorum insigne. 54.
Antigonus obloquentes patienter tulit. 182.
Antonij vita duos Potitiani sodales insperatò ad frugem conuertit. 66.
Apsephas diuinos honores ambit. 233.
Aquila veritatis insigne. 54.
Archimedes intentus formis geometricis malè perijt. 29.
Aristides ab Athenienſibus est electus, quòd vbique bonus audiret. 187.
Aristodemus triginta annis apis naturam indagauit. 203.
Aristoteles Euripum capere non potuit. 203.
Arrij error in Dei Filio. 206.
Astra sunt signa malorum obuenientium. 242.
Athenienses in obsidione Xerxis se ligneis muris munierunt ex oraculo Delphico. 36. & 37.
AVGVSTINVS Tagaste litterarum Rudimenta ponit. 4. eius fides in Christum ante baptismum. 5. furtum. 10. ignes incasti maximè Carthagine ibid. Scientiæ. 20. memoria 23. Romam abit. 31. Matrem ludit ne vnà eat. 34. Romæ, Mediolani Rethoricam docet. 47. totos decem annos in hæreticorum sectis errat. 61. turbatus animi descendit in hortum. Rixæ eiusdem interiores. 68. & seqq. sub ficu audit cælestem Musicam. 72. conuertitur. 73. dolore dentium miraculosè liberatur. 78. baptizatur. 79. oculos matri morienti claudit pio & antiquo ritu. 109. commendat matrem aliorum precibus. 111. nunquam in montoso tuguriolo cũ monachis egit. 186. in Sacerdotem insperatò consecratur. 117. munus concionandi oblatum demisse ad tempus recusat. 124. abusus abrogat. 126. tria monasteria condit. 131. & seqq. custodia sensuum. 137. & seq. Episcopus insperatò denunciatur viuente Valerio. 144.

Digitized by Google

quot libros aduersus Pelagium scripserit. 169. euadit Circumcellionum insidias. 189. quærit in creaturis Deū. 200. monetur ab Angelo ne curiosè Trinitatis abyssum ingrediatur. 204. eius Humilitas. 207. vestes. 214 supellex. 223. conuertit Firmum inscius. 229. eius Zelus in propaganda fide, & euellenda hæresi. 236. optat mori, & votis damnatur. 248. febri læthali corripitur. 249. præparatio ad mortem. ibid. eius paupertas & constantia. 250. pijssimè moritur. 255. integris etiam sensibus. 257. planctus ob eius mortem. 260. & seqq. eius libri ab incendio immunes. 264. quot eius libri. ibid. transfertur in Sardiniam. 267. inde Ticinum. 271. eius miracula. 282. & seqq. diuersa instituta seu ordines. 293.

B.

Babel turris. 190. in ædificanda hac à Nemrodianis linguæ primitus confusæ. ibid.
Baptismi ritus antiqui. 80. & seqq.
Barlaami historia de contemptu mundi. 94. & seqq.
Bellum plaga diuina 242.
S. Bernardi inuectio in Sacerdotes mali exempli. 124. modesti incessus, leges. 221.
Bouem habet in ore. quid? 30.

C.

Caij Iul. Cæsaris admiranda memoria. 22.
Caluiniani Sanctorum & Christi patientis imagines eliminant. Veneris, Iouis, & Caluini patiuntur. 181.
Caluinus putat non esse verum ignem apud inferos. 258. eius miraculum. 280.
Camelus bibiturus limpidam turbat. quare? 115.
Candelabrum Theodosij Iunioris quale? 78.
Castitatis symbolum. 128.
Chamæleon etsi sæpè mutet colores, candorem tamen, & rubórem non induit. 197.
Charmidis insignis memoria. 24.
Chimæra Landishuti visa. 192.
Christi & Melchisedech comparatio. 122. quare Christus ante trigesimum annum non docuerit. 227.

Ciconia pia auis. & in sospitatricem grata. 39.
Circumcelliones insidias Augustino locant sed incassum. 189.
Cleopis Ægyptij pyramis viginti annis constructa 195.
Cœli ædificia. 96. gaudia. 98. & 99.
Cœnobitica vita magnos fructus affert. 134.
Columbæ proprietates accommodantur Ecclesiæ. 102.
Concordiæ imago. 182. pro muro est. 183.
Corsici cuiusdam adolescentis mira memoria. 23.
Crocodili astutia. 234. ibidis penna obtorpescit. ibid.
Cupido specie pueri pingitur. pennatus, cæcus & quare? 129.

D.

Darij milites quidam immortales, & quare ita dicti. 294.
Demades quàm stupidus Orator. 21.
Democritus excæcauit se ipsum, eò quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset. 137.
Demosthenes veneno perijt. 21. rasit cæsariem deformem in modum vt domi inter studia maneret. 28. de vmbra asini fabulatur. 50.
Deus quid. 201. & 203. illi omnia obediunt præter hominē. 202. punit bonos & malos. 242. & 243.
Diligentiæ imago. 262.
Diogenes sub hasta venalem proponit sapientiam. 27. pronus sepeliri voluit. 177. eius iocus ad imperitè iaculantem. 189. domus ei dolium. 215. satyra in comptum iuuenem. 219. eius poculum ligneum. 223. puluinaria Platonis sordidè conculcat. ibid.
Disciplinæ hieroglyphicum. 11.
Domitianus Imperator quotidie per duas horas captauit muscas. 220.
Donatistæ vnde. quæ eorum præcipua dogmata. 171. semper subterfugiunt occasionem cum Augustino disputandi, à quo sunt tandem victi. 172. & 179.

E.

Ecclesiæ imago. 86. & 182.
Elephas memoriæ hieroglyphicum. 24. non temerè ingredi. tur amnem & quare. 206.
Elias paupertatis figura. 133.

Enco-

Digitized by Google

Encomia Auguſtinianæ Doctrinæ à multis. 146. & ſeqq.
Epaminondas adeo verax fuit, vt ne ioco quidem mentiretur. 169. egregiæ iuſtitiæ vindex. 114.
Ephod quid. eius lapides onychini. 120. duplex erat. ibid.
Epicurus beatitudinem poſuit in voluptate & ventre. 96.
Epitaphium militis vmbrâ gladij occiſi. 192.
Eradius presbyter in Eccleſiæ regimine ſuccedere iubetur Auguſtino. 239.

R

Fæminarum luxus reſpondet pauonum ſuperbiæ. 217. earum in America ſtultus in maritos amor. 296.
Fidei imago. 87.
Firmus ſubito conuertitur. 229. ſeſe totum Auguſtino addicit. 230.
Franciſci Suarij memoria. 24.
S. Franciſcus ſuis fratribus concionandi normam præſcribit. 228.
Fundatores Auguſtino ſuccenturiati. 294. & 295.

G.

Germani in veſtibus ſunt chamæleontes. 260.
Graculus Æſopicus quid ſignificet. 216.
Gregorij Nazianzeni de Iuliano apoſtata præſagium. 222.

H.

Hæreſis deſcriptio. 52. alia. 196. comparatur chimæræ. 192.
Hæretici ſunt fugiendi. 185. ſunt cogendi ad fidem brachio ſeculari. 186. Auguſtinum capite cenſum tollendum à medio vulgârunt, etiam propoſito præmio. 187.
Hæretici moderni in quibus conueniant cum Pelagianis. 170. in quibus cum Donatiſtis. 175. quomodo eorum fundata Eccleſia. 176. quis dederit claues Eccleſiæ. 177. quot habeant Sacramenta, ibid. non agnoſcunt purgatorium ignem. 178. damnant vota Caſtitatis, ieiunia &c. ſunt blaphemi in Sanctos Dei, in Pontif. Rom. prophanant templa. 179. monaſteria deſtruunt. 197. templa incendunt. 194. Presbyteros, Religioſos, excommunicant, ibid. fucata eorum eloquentia. 233.
Hamilcaris & Hannibalis odium in Romanos. 191.

Digitized by Google

Hannibali inauſpicatum erat videre ſepulchrum. 272.
Heliogabalus conuiuiis ſuis pictas proponit epulas. 93.
Herculis cunæ erant ſcutum aureum. 2.
Hilarionis mira in cibis parſimonia. 155.
Homines monſtroſi. 202. & 203.
Homo quot morbis obnoxius. 257.
Honeſtas morum. 224.
Humilitas. 206.

I.

Iaſonis argonauis qualis. 294.
Ibidis pennæ quantæ efficaciæ. 234.
Imagines Sanctorum ad virtutes excitant. 181.
Indulgentia nimia parentum occidit liberos. 41. & 42.
Intellectûs imago. 12.
Ioſephus Patriarcha ſchema Caſtitatis. 133.
Ioui dormituro lectica fuit cribrum. 2.
Iſæi Philoſophi ingenioſa reſponſio. 137.
Iudæi abominantur ſuillam. 163. & quare. 164.
Iulianus Rhetor capite conuelato cecinit impurum carmen. 22.
Iuſtitiæ ſymbolum. 113.
Iuuat quandoque ſolum patrium mutare. 56.

L.

Lacrymarum mira vis. 230.
Lacrymæ ſororum Phaëthontis in electrum conuerſæ. ibid.
Lacrymantes in Lycia molles habentur & per ludibrium veſtibus mulierum induuntur. 231.
Leges antiquorum circa parſimoniam. 159.
Leges menſales in conuiuij ſeruandæ. 163.
Leonidis amor in filium Origenem. 2.
Leonis ingenium. 56. & 57.
Liberi ſæpè degenerant. 4.
Liberorum cura. 11. & 60.
Lingua detractoris vno ictu tres occidit. 157.
Lucij Siccij Dentati ſpolia. 198.
Luitbrandus quis. 269. à Sardis emit corpus Auguſtini. 270. Ticinum transfert. 271.

Lutheri

Digitized by Google

Lutheri immanitas in Pontif. & Cardinales. 193. eius Wittenbergæ miraculum. 259.

M.

S. Macarij visio sub precibus. 152.
Machtildis comitissa trecentas sexaginta quatuor proles vno partu protulit. 293.
Macedonij error in Spiritum sanctum. 206.
Manes quis. 16. disertus non verus. 32.
Manichæorum error. 17. & 18.
Manichæi binos Deos colunt. 231.
Mariæ & Marthæ studia. 210.
Maria partem meliorem elegit. 211.
Memoria quid. 22. & 23. eius effigies. 24.
Menecratis superbia reprimitur. 93.
Mercurij effigies & cur talis. 20. dicitur inuenisse litteras. 21.
Messala Orator nominis sui oblitus. 26.
Miracula sunt in triplici genere. 279. & 280.
Miracula multa patrant sancti Dei. 281.
Misericordiæ symbolum. 74.
Mithridates 22. linguas calluit. 24. toxicis est innutritus. 233.
Modestiæ leges. 222.
Moluchani pygmæi auribus suis se obtegunt. 26.
Monica frustra prohibet Filio Romanam profectionem 33. somniat salutem filij. 58. impensè lætatur ob conuersionem 72. in febrim lethalem incidit, mortem prædicit. 103. non vult sepeliri preciosè. 104. moritur. 107. vitæ descriptio. ibid. locus sepulturæ. 110. Annus translationis Romam. ibid. tempus vitæ. 111.
Mors omnibus communis. 256. quàm varia. 258.
Mundus in singulas horas mutatur. 91. vanitati est obnoxius. 92.

N.

Nebridius Mediolani offendit Augustinum. 47.
Nero matricida. 21.
Noctua quorum symbolum. 29. noctuas ferre Athenas quid. 30. noctua volat, quid. ibid.

Digitized by Google

O.

Obedientiæ ſymbolum. 127.
Oculi multa mala inferunt, ſi non cuſtodiantur. 136. lippis oculis remedium. 136. & 137.
Orationis encomia, habitus, & forma. 151.
Origenes ſomniat damnatas animas poſt aliquot luſtra liberandas. 159.

P.

Pacis deſcriptio. 244.
Pacuuius aliquis ſingulis diebus eſt elatus. 162.
Panthera inſidiatur maximè homini. 193.
Paraſitus Philippi Regis ſimia. 157. ſunt vermibus ſimiles, excluſi à menſa Auguſtini. 158.
Parcæ vitæ curſum incipiunt & abſoluunt. 90. & 91.
Patientiæ imago. 262.
Patricius Auguſtini parens quis. quando conuerſus. 4. quo anno mortuus. 15.
Pauones olim ſtatuto precio ob raritatem ſpectabantur. eorum ſuperbia. 216. & 217. ſalacia animalia. 218.
Pelagiani damnati opera potiſſimùm S. Auguſtini. 169.
Pelagij patria, adoleſcentia optima. 167. Laodicenſis Epiſcopus creatur. 168. cudit nouam hæreſin ibid.
Pelicani natura. 74.
Perdicis ingenium. 73.
Philoſophorum olim veſtitus qualis. 215.
Pietas admiranda duorum ciuium Catanæ. 40.
Pietatem in parentes docent tabulæ Chriſtianæ, Hierocles, alij. 39.
Pluti imago. 244.
Porphyrio auis caſtiſſima. ſolâ viſâ meretrice moritur. 218.
Porſenæ Regis Hetruriæ ſuperbum ſepulchrum. 105.
Poteſtas quid. 251. & ſeqq.
Potitianus Afer conſodalis Auguſtini. 65. inijcit ſalutares ſtimulos. 66.
Proſcholus mendicus inuenit crumenam onuſtam auro, cum fidereddit. 87. & 88.
Prudentiæ ſymbolum. 242.

Puerpera

Digitized by Google

Puerpera quædam matrem suis vberibus alit. 276.
Pythagoras sapientiam toto orbe quærit. 32. beatitudinem in perfecta numerorum scientia ponit. 95. eius discipuli quinquennio silebant. 216.

Q.

Quietis imago. 101.

R.

Rationalis lapides duodecim. 121. cuius coloris & virtutis. 121.
Regula Augustini quibus scripta. Regulares Canonici vnde. Regulas olim ab Episcopis approbari satis erat. Hodie à solo Pontif. Summo authoritatem sumunt. 132.
Religionis imago. 136.
Religiosæ familiæ non ideo extirpandæ quòd malos interdum nutriant. 295.
Roberto Neapolitano Regi chariores litteræ erant, quàm regnum. 27.

S.

Sabelli error in Trinitatis distinctione. 206.
Sacerdotales vestes in veteri lege, earum explicatio. 119. & seqq.
Sacerdotes gentiles quibus ritibus initiati, quibus Aaronici. 119.
Sacerdotum nouæ legis necessariæ dotes. 122. & 123.
Sacerdotes simplices in Africa olim non obibant munus concionandi. 125.
Sacerdos tot homines occidit, quot ad mortem ire quotidie tepidus & tacens videt. 227.
Salamandra in igne viuit. 218.
Scorpionis ingenium. 193. eius cinis medetur à scorpione ictis. 196.
Scyllurus Rex filijs concordiam commendat. 183.
Semipelagiani qui, & vnde. 170.
Sepulchra olim extra mœnia erant & quare. 272.
Silentium & eius fructus. 309.

Simiæ

Simiæ ſtultè amant fœtus ſuos, & amando enecant. 41.
Simiæ ſpeculum frangunt & quare. 115.
Similius annoſus fuit, ſed tantum ſeptennio vixit. 111.
Simpliciani integritas. 62.
Sinceritatis ſchema. 197.
Sinenſes ſolem adorârunt. 232.
Societas mala adoleſcentiæ incommodat. 9.
Socrati pulcherrimum animal eſt eruditus. 22. mutus pudicè peroraturus operuit caput pallio. 22. eius patientia. 263. patria illi mundus. 274.
Somnia non ſemper ſunt inania. 59.
Spartani ſolis meretricibus floridas veſtes conceſſerunt. 215.
Spei imago. 100.

T.

Theodoſius Imperator maximè ſuſpicit Auguſtinum. 260. ob mortem illius lacrymatur. 261.
S. Thomas meditationi nimis deditus, nec aduri digitos ſenſit. 205.
Thomas morus grauiter reprehendit virginem coram ſpeculo doprehenſam. 218.
Timon beatitudinem in tranquillitate poſuit. 96.
Titus & Veſpaſianus grauiter punierunt detractores. 157.
Turci nephas ducunt chartas abijci aut calcari. 234.
Turtur ſtudiorum ſymbolum. 29.

V.

Verbi Dei imago. 55.
Verecundus quis. 77. concedit Auguſtino prædium. ibid.
Veritatis ſchema. 196.
Veſpertilio cuius ſymbolum. 140.
Victorini doctrina & ſubita conuerſio. 63.
Victûs ratio certa à quibuſdam præſcripta. 154.
Vinum Romanis mulieribus olim guſtaſſe capitale fuit. quæ animæ & corpori creet mala. 159. & ſeqq.
Vita hominis breuis. 256. & 257.
Vitium virtutis pallium inuenit. 58.
Vltramontanis apparet Auguſtinus. 272.

Vpu-

Digitized by Google

Vpupa libidinosos significat. 4. pro meretrice accipitur 43.
Wandali Africam obsident. 240. eorum furor & crudelitas. ibid.

Z.

Zaleuci Locrensis iustitia. 114.
Zelus diuinus quid. 235.
Zelosus Moyses, Phinees, Matathias, Petrus. 235. & 236.
Zopyri iudicium ex lineamentis motibusque corporis 221.

FINIS.

Digitized by Google

Errata sic corrigenda.

Pagina sexta vers. 16. pone ad marginem. **D.** *pag. 6. v. vlt. & & . pone, & vt. pag. 10. v. 5. pyrgo. p 15 v. 4. in Manichæorum secta. p. 23. v. 36. ac plenè. p. 31. v. 5. deplorat. p. 32. v. 8. alijq; pag 35. v. 17. gemitu. p. 40. v. 2. post extulit, interpone. quibus cæleste numen adeo propitium extitit. p. 42. v. 13. renidente. pag. 49. v. 21. ad marginem pone* **C.** *p. 50. v. 10. filo. p. 50. v. 27. dicendi. p. 51. v. vlt. vt. p. 58. v. 1. magnis. p. 58. v. 22. discendi. p. 58. v. 33. somnium. p. 61. v. 11. portu. p. 68. v. 3. dicebant. p. 80. v. 24. adhiberi. p. 82. v. 4. noxij. p. 83. v. 1. ad marginem scribe* **M.** *p. 83. v. 18. ad marginem* **N.** *p. 85. v. 20. bi. p. 86. v. 23. exurendæ. p. 89. v. vlt. Ammon. p. 90. v. 28. panem. p. 104. v. 10. ob. p. NB. muta in imagine 8. litteram* **H.** *cum* **L.** *pag. 113. v. 11. in margine pone* **N.** *p. 113. v. 32. infinitos. p. 114. v. 22. γνῶθι. p. 154. v. 27. Religiosos. p. 158. v. 32. nequa. pag. 163. v. 17. Rhamno. p. 173. v. 17. post descenderent, interpone totidem alij cùm cpus esset, consilijs roborarent. p. 174. v. 15. post indit. fac virgulam. p. 196. v. 15. χρόνου, χρόνον. p. 209. v. 9. pecoribus. p. 210. v. 22. Eteocleam. p. 246. v. 2. illustratur. p. 248. v. 5. pone in margine* **P.** *pag. 250. v. 16. Christi. p. 262. v. 7. scribenda primùm littera* **I.** *p. 258. v. 7. multitudo. p. 260. v. 15. ipso. p. 260. v. 16. versa est. p. 260. v. 27. terror. p. 270. v. 35. reuerterunt. p. 272. v. 8. medico. p. 272. v. 13. medicum. p. 274. v. 12. rationum. p. 275. v. 12. occinunt. p. 277. v. 4. Ticini. p. 285. v. 25. nunc.*

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1917

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google